639

VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ SYNOPSIS ACCVRATISSIMA:

Tomus Tertius.

OCTO LIBROS ARISTOTELIS de Phyſico auditu continens.

Authore P. IACOBO FOVRNENC Presbytero Congregationis Oratorij D. IESV, Doctore Theologo.

PARISIIS,
Apud Viduam SEBASTIANI HVRÉ,
ET
SEBASTIANVM HVRÉ, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Cordis Boni.

M. DC. LV.
Cum Priuilegio Regis & Approbatione.

Digitized by Google

Errata Phyſices.

Pa.	Lin.	dele	lege.	Pa.	lin.	dele	lege.
1	6	*acoramatica*	acroamatica-	134	16	*derinatio*	deuiatio
2	41	*ſi ens*	ſit ens	145	11	*debat*	debebat
7		*ſecundum, ſe*	ſecundùm ſe,	159	46	*quidem*	quidam
10	2	*Heraclytus*	Heraclitus	161	36	*ſit*	ſi
21	32	*Lauguſtiùs*	auguſtiùs	168	25	*ferre*	ſerè
32	4	*determinabil*	determinabile	169	31	*ad alium*	ad aliud
	20	*in completi*	completi	170	30	*illuc*	illua
35	1	*S.3*	S. 4.	171	26	*minuitit*	minuit
	15	*potentiatem*	potentialem	176	11	*di gegere*	digerere
42	13	*ſuaque*	ſuumque	177	30	*propriùs*	propiùs
59	35	*ſubſiſtantia*	ſubſiſtentiæ	179	37	*immedia è*	immediatè
61	28	*Damaſcus*	Damaſcenus	180	30	*diſſiteor*	diffiteor
62	22	*imbreſſitire*	imbres ſitire	184	15	*efficiendem*	efficientem
64	33	*patentem. Ex*	patentem ex	191	40	*veſane*	verſare
76	30	*paſſim*	paſſum	210	28	*intentionis*	intenſionis
116	26	*quarum*	quarum	212	4	*Themiſtiu*	Themiſt ius
117	17	*miror*	mirer	247	27	*impereritiſſimi*	imperitiſſimi
123	23	*nutriator*	nutriatur	255	1	*omnes*	omnis
131	21	*ant.*	Ma	256	41	*metiedam*	metiendã
	22	*neceſſitatem*	libertatem	294	26	*qui*	quit
133	9	*digniſſiſſima*	digniſſima	300	44	*monetur*	moretetur!

IN VNIVERSAM PHYSICAM PROOEMIVM.

PHYSICA dicitur à nomine Græco φύσις, quod naturam ſignificat: eſtque propterea ſcientia naturalis. Hanc Ariſtoteles in duas partes diſtribuit; quarum altera Ætiologica eſt, atque acoramatica, ſeu auſcultatoria, altera verò exoterica dicitur. In priori quidquid naturalium eſt arcanorum, atque profundiſſimarum quæſtionum eruditiſſimè diſcutitur, necnon demonſtratur: vocatur αἰτιολογία.i. ſermo de cauſis; quia rerum naturalium intimas quaſque, ac ſupremas cauſas, ſiue principia inueſtigat: acroamatica verò, quia quæ hic ſcribuntur, intelligi vix poſſunt, niſi eorum auſcultetur explicatio. Ad hanc pertinent 8. libri Phyſicorum, & reliqui de cœlo & mundo, de elementis, de generatione & corruptione, ac de anima. Qui libri propterea ſolent in ſcholis prælegi ob eam quam diximus intelligentiæ difficultatem, nimiumque abſtruſa myſteria.

Pars exoterica ea continet, quæ ſtylo euidentiore ac populari compoſuit, vt omnium captui poſſent eſſe accommodata. Huiuſmodi ſunt libri de hiſtoria animalium; de eorundem partibus: de mirabilibus naturæ, Phyſiognomia: Mechanicæ, &c. In his certè omnibus Ariſtoteles plurimùm inſudauit, illamque ſcientiam ea qua pollebat ſubtilitate ingenij, accerſitis hinc inde, atque collectis veterum omnium Philoſophorum monumentis, itemque habitis innumeris experimentis mirum in modum illuſtrauit, auxit, digeſſitque. Vt meritò tantùm in rerum naturalium eruditione, quantùm Plato in diuinarum, cæteris omnibus iure poſſit, meritòque anteponi.

Porro Phyſicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam hactenus negauit nemo. Et nos iam in Logica diximus, qualem hæc ſcientia inter Philoſophiæ partes ordinem obtineat, itemque quomodo ea quæ naturam attinent duplici tractatione Plato ſoleat inueſtigare, vnâ ſecundùm ideales abſtractiones: alterâ ſecundùm ſenſibiles hypotheſes, quo pacto de ijs hic diſputabimus, quatenus ſcilicet extra nos, & extra Deum exiſtunt, atque adeo quatenus materiæ connexa, concretaque ſunt. Quæ adhuc dupliciter poſſunt conſiderari: primò in ſingulari ſecundum id quòd in hac vel illa parte materiæ, hoc vel illo tempore oritur, mutatur, fluit, atque intercidit: ſecundò in vniuerſali ſecundùm id quod æternæ veritatis eſt, eodemque ſemper modo ſe habere diſcernitur; quodque denique ex ſuppoſitis principijs demonſtratiuè infer-

tur, primo modo res naturales ſub ſcientiam non cadunt; ſed ſecundo, vt conſtat ex ijs quæ de ſcientia tradidimus in Logica. Quamquam & hoc certè fatendum eſt, quòd admodum pauca ſint in hac vniuerſa Phyſica, quæ verè ſciri poſſint. Neque enim ea, quæ quiſque poteſt ſenſu percipere, ipſa eſſe Phyſices obiecta debemus arbitrari: vlteriùs ea progreditur, & ex ijs quæ vel ipſis ruſticis notiſſima ſunt, ad ea tranſcendit, quæ ſoli ſapientum animi penetrare vix queant; hæc verò cùm ſecreta ſint, abſtruſa, & ſola ratiocinatione adinuenta; omnino ex ijs pendent, quæ ſupponuntur: itemque ex animi ſolertia. Quæ duo plurimum dubietatis ex ſe pariunt; quamobrem omnis iſta diſciplina probabilibus fere conficitur argumentis. Neque quidquam adſtruit, quod vtramque in partem non fuerit aliquando agitatum. Adeo incertum eſt quod ex ſenſibus pendet iudicium.

§. 2.

De obiecto.

QVÆRITVR quodnam ſit huiuſce ſcientiæ obiectum: quatuor reperiuntur modi loquendi: aliqui volunt illud eſſe corpus naturale, alij corpus mobile, alij ens naturale; alij ens mobile. Verùm facile vt puto, lis iſta componi poteſt: qui mobile dicunt, naturale intelligunt, eo quòd natura definiatur internum principium commutationis. Hinc reciprocari videntur duo iſta, *Naturale*, & *mobile*: nam per mobile quid intelligitur niſi quod interno principio commutationis, quod eſt natura, conſtat? atqui idipſum naturale eſt, ita *Corpus naturale*, & *corpus mobile*, prout explicantur, idem ſunt, tametſi prout verba ſonant, multùm certè diſcriminis per ſe habere videantur. Quod verò corpus alij, alij ens malint dicere, hoc inde fit, quòd illi ſubiectum propriè pro eo vſurpent, cuius principia, vel proprietates expenduntur in Phyſica. Hoc autem corpus eſt prout hoc ſubſtantiam materialem & mobilē deſignat, iſti verò id nomine obiecti deſcribant, quod tanquam genus inuoluit omnia quæ Phyſices ſpeculationibus expenduntur, quod quidem eſt ens naturale, ſeu mobile: quippe quod de omnibus dici poteſt, nimirum tam de accidentibus, quàm de ſubſtantijs; nam hæc omnia ſunt entia naturalia, vel certè illi ens pro corpore intelligunt, vt ſentire videtur D. Th. qui indifferenter modo ens mobile, vt in prooemio Phyſic. modo corpus mobile, vt 4. Ph. text. 74. & 1. poſt. l. 41. ſtatuit obiectum Phyſicæ.

Mauult tamen dicere ens mobile, quàm corpus mobile: quia corpus de ente mobili aptiùs, quàm ens mobile de corpore demonſtratur. Corpus enim ſignificat id quod trinis dimenſionibus deſtenditur, hoc autem de ente mobili demonſtratur in 6. Phyſ. nuſquam verò demonſtratur, quòd corpus mobile ſiens, quandoquidem per ſe notum eſt: atqui ſubiectum tale quiddam debet ſtatui, quod in ſcien-*Subiectum naturalis* tia, quæ ipſum contemplatur, demonſtrari non poſſit, ſed de ipſo po-

tiùs cætera, necnon & per ipſum. Ita D. Th. cæterùm de ſolâ tunc vi ſignificandi ſermo videretur inſtitui: nam quoad rem, conſtat omne ens mobile eſſe corpus naturale, vt patet ex D. Th. & etiam omne corpus naturale eſſe ens mobile, vt patebit ex definitione naturæ. Ita demptis hiſce formalitatum argutijs, haud multum quoad rem definitam variare authores deprehendentur. Omnes namque in eo conueniunt, quòd Phyſica de eo per ſe tractet, quod corpus eſt naturale, ac mobile, deque ipſius principijs, vel proprietatibus. Dico *Corpus naturale*, vt à Mathematico diſtinguatur, quod ſolam ſine ſubſtantia quantitatem inſinuat. Addo *Mobile*, eo videlicet motu, qui circa materiam, in materia fit, cuius vtique principium propriè natura eſt; atque hæc de obiecto ſatis.

ſcientiæ eſt ens mobile, non dico corpus mobile, quia omne mobile eſſe corpus oſtenditur 6. Phyſic. nullaq; ſciẽtia probat ſuum ſubiectum. D. Tho. in Proœm. Phyſic.

§. 3.

De Methodo.

MVLTA hucà multis de Methodo congeruntur. Nobis ſequentia ſufficient, *μέθοδος* recta eſt & Compendiaria via: hinc à Philoſophis transfertur ad ordinem explicationis rectiſſimum explicandum, à Galeno 9. l. de plac. Hipoc. & Plat. ſic definitur, in multis ad eandem artem, vel ſcientiam pertinentibus, nec tamen eundem in hac gradum obtinentibus, viæ ſiue ordinis inſtitutio. Paucis, methodus eſt ordinatus modus procedendi in veritatis inquiſitione; ſeu breue quoddam ſciendi Compendium, & facilis ad ſcientiam via, *ex Cicer. ad Herennium.*

Methodus diuiditur multifariàm. Secundùm *Rodolphum 3. de Inuentione Dial.* triplex eſt: naturalis, arbitraria, & artificialis. Ab alijs diuiditur in perfectam & imperfectam. Perfecta quæ & Methodus ſapientiæ dicitur, in eo elucet, quòd animus rudioribus iam rerum notionibus informatus, procedat ab ijs quæ ſunt notiora natura ad ea quæ ſunt ignotiora: imperfecta, quæ Methodus prudentiæ, in eo viget, quòd animus ad aliquam ſcientiam capeſſendam primò accedens, ab ijs quæ ſunt nobis notiora, progrediatur ad ea quæ ſunt abſtruſiora. Verùm communis eius inter Peripateticos diuiſio hæc eſt: alia, inquiunt, eſt Synthetica, ſiue Compoſitiua; alia Analytica, ſiue Reſolutiua. Compoſitiua ea eſt, qua rectus à ſimplicioribus, & prioribus ad compoſitiora & poſteriora progreſſionis ordo ſeruatur; reſolutiua contrà. ea enim eſt, qua fit à compoſitis ad ſimplicia, & à poſterioribus ad priora regreſſus ſeu reſolutio.

Compoſitiua fit quatuor modis, primo à ſimplicioribus ad magis compoſita: vt cùm à ſyllabis ad orationem Grammatici; & ex elementis ad mixta Phyſici, aut à punctis ad lineas, & ab his ad magnitudines Mathematici progrediuntur.

Secundo, ab vniuerſalioribus ad minùs vniuerſalia; vt etiam fit in Phyſicis, cùm primùm corp⁹ naturale in genere: deinde in ſpeciali cor-

pora cœleſtia, elementaria, &c. perpenduntur.

Tertio, à cauſis ad effectus, vt in demonſtrationibus *Propter quid.*

Quarto, à medijs ad finem, quemadmodum procedunt Architectus, medicus, &c.

Reſolutiua fit totidem modis contrarijs nimirum à compoſitis ad ſimplicia, à ſpecialibus ad generalia, ab effectibus ad cauſam, à fine ad media. Dicitur & Reſolutiua, ſeu Analytica, quia quod vltimum eſt per medias cauſas ad primum principium reſoluitur.

Porro Platonicis triplex eſt Analyſeωs genus, vt patet ex Alcinoo inſtit. ad doctr. Plat. cap. 5. *primùm, cùm à ſenſibilibus ad prima intelligibilia fit aſcenſus. Secundùm, cùm ex demonſtratis, & ſubdemonſtratis proceditur ad prima, & immediata principia. Tertiùm, cùm ex ſuppoſitione ad ea principia, quæ ſine ſuppoſitione ſumuntur, proceditur: primi exemplum ab eodem Alcinoo ſic proponitur; vt ſi à pulchro, quod in corporibus cernitur, ad id quod animorum eſt, progrediamur: ab hoc ad aliud, quod in vitæ officijs, inde ad id quod legibus continetur, tandem ad eius immenſum Pelagus ſcil. Deum ipſum.*

Exemplum ſecundi, vt ſi probaturus animum eſſe immortalem, gradatim ita procedas: & primum demonſtres animum, eo quòd per ſe ſit intelligens, per ſemetipſum quoque ſubſiſtere; tum eo quòd per ſe ſubſiſtat, ipſum deſtructo corpore ſuperuiuere, inde tandem iſta propoſitio immediata, & per ſe nota inferetur; Animus per ſe ſubſiſtens eſt immortalis: *ſiquidem ſubtracto corpore ſuperuiuendo manifeſtat ſe morte ſuperiorem eſſe, nec aliunde illi poſſe amplius pereundi periculum imminere.*

Exemplum tertij ſit huiuſmodi, ſi mundus ordine conſpicuo conſtat, debet neceſſario ſapientiſſimi cuiuſdam numinis gubernatione regi, ac prouideri, ſi hoc eſt, Deus eſt. Sed illud primum ſupponitur verum: ergo abſolutè verum eſt Deum eſſe.

Nunc ad Peripateticos reuertamur, quærunt ipſi ac dubitant, vtra ex præfatis methodis propriè competat ſcientijs. Communis opinio eſt compoſitiuam ſcientijs ſpeculatiuis, reſolutiuam practicis ſiue artibus accommodari. At non vſquequaquè id verum eſt: ſed vtraque plerumque in eadem ſcientia conſueuit adhiberi, quidquid dicat, *Zabarella in l. de Methodo.* Nam & ipſe fatetur Ariſtotelem in Phyſica exquiſijſſe materiam ordine reſolutiuo, ſcilicet à fine, qui eſt generatio. Conſtat autem Phyſicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam, & ordine Synthetico, ſiue compoſitiuo vt plurimùm procedere: idem quoque in alijs ſcientijs ſæpiſſimè contingit. Quare

Præcipuè hæc de Methodo præcepta tenenda ſunt, primò vt in omni re, quæ habet principia, & cauſam, hæc potiùs expendantur, quàm proprietates, & effectus. Secundò, vt quoad fieri poteſt, ab ijs quæ vniuerſaliora ſunt, incipiatur: tertiò, vt etiam ab ijs quæ nobis notiora ſunt, præſertim ſi de Methodo inueniendi agatur, quartò, vt ad diſcentium ſemper captum obſeruetur. Hæc de Methodo ſatis.

§. 4.

De quæſtionibus aliquot Procemialibus ex Ariſtotele excerptis.

ARISTOTELES initio Phyſ. ſic ait, *quoniam circa omnes Methodos, quæ principia, & elementa habent, ex eo quòd hæc ſciantur, contingit ſcientia: (tunc enim putamus vnumquodque cognoſcere, cùm cauſas primas, & principia prima, vſque ad elementa ſcimus) perſpicuum eſt quoad Phyſicam ſcientiam id quoque tentandum eſſe, vt ea primùm definiantur, quæ ſunt circa principia. Ab ijs autem quæ nobis notiora, & manifeſtiora ſunt, ad notiora, & manifeſtiora naturâ inſita via eſt; non enim eadem ſunt ea quæ nobis nota, & quæ ſimpliciter. Ea verò ſunt nobis notiora & manifeſtiora, quæ ſunt magis confuſa: idcirco ab vniuerſalibus ad ſingularia progredi oportet.*

CIRCA hunc textum multa quæri ſolent ſcitu admodum neceſſaria: primùm, vtrum ad exactam rei ſcientiam requiratur, vt omnes eius cauſæ cognoſcantur. Reſp. duplicem eſſe ſcientiam, vnam propriam & particularem vnius videlicet particularis concluſionis: alteram communem & totalem. Certè ad primam ſufficit noſſe rem per vnam eius cauſam adæquatam, quia tali notitiæ verè competit ipſa definitio ſcientiæ. Ad ſecundam verò ipſe exiſtimo requiri, vt omnes probè noſcantur, quia non cenſetur exacta ſcientia totalis, niſi ſubiectum ſciatur omnibus modis, quibus ſciri poteſt; & ſecundùm omnes effectus, ſeu proprietates, quas habet. Ex diuerſis autem principijs diuerſæ innoteſcunt habitudines, & diuerſi effectus. Prima quæſtio.

SECVNDO QVÆRITVR, quæ ſint nobis notiora. De ijs enim tria pronuntiat Ariſtot. primum, quòd nobis notiora non ſint notiora naturâ: ſecundum, quod vniuerſalia ſint nobis notiora: tertium, quod à notioribus quoad nos debeamus procedere. Secunda quæſtio.

PRIMVM videtur eſſe falſum, vt conſtat in Mathematicis, in quibus quam multa ſunt, quæ ſimul nobis & naturâ conſpicua cenſentur. Item elementa nonne ſunt nobis notiora, quam mixta? & tamen etiam naturâ ſunt notiora: adhæc ex 4. *Phyſ. text.* 104. mobile dicitur eſſe notius motu quoad nos cum ſit & naturâ notius, &c. Ad 1. membrum ſecundæ quæſtionis Reſp.

Reſp. nolle Ariſtotelem quòd hæc duo ſemper differant; ſed ſolùm quòd non ſemper idem ſunt, quod certè negari non poteſt, quandoquidem multa ſunt naturâ clariſſima, quæ tamen rudibus, & ignaris obſcuriſſima eſſe videntur. At ſi ſapientum illuminatas mentes attenderimus, tunc cum *Ariſt. 6. Top. cap. 3.* rite affirmare poſſumus omnia, quæ ſunt illis notiora, eſſe quoque notiora naturâ. Nam ſicut ſano ſtomacho ea ſalubria magis ſunt, quæ ſecundùm ſe magis talia ſunt: ita quæcunque ex ſe plus habent luciditatis & euidentiæ, aptiora ſanè ſunt, vt peruideantur ab alijs rite alioquin diſpoſitis ac perſpicacibus, quàm quæ minùs.

Hinc dupliciter aliquid dici mihi poſſe videtur notius nobis, primo, quod facilius, ac prius à nobis ſecundùm viam originis & inuentionis cognoſci aptum eſt, ſecundo, quod certiùs, euidentiùs, nec non & priùs ſecundùm viam iudicij ſinceri cognoſci poteſt.

Primo modo id nobis notius eſt, quod communiùs, & vehementiùs cadit ſub ſenſus, vt notat hic Ariſtoteles. Secundo modo, id quod Deo totius intelligibilitatis fonti propius accedit: quodque plus habet ſinceræ, atque immutabilis veritatis. Veritas enim lux eſt, qua quæ abundant magis; ea certè lucidiora ſunt, & per ſeſe manifeſtiora: quare quæ huius ſpiritualis lucis plus habent, per ſe oculis ſpiritualibus animorum quidni clariùs inſpergentur? Quæ autem magis immaterialia ſunt vtpote puriora, & veriora, Deoque viciniora, nonne ſpiritualis & diuinæ lucis plus habent? At cur inquies, ſi hoc ita eſt, non priùs & facilius iſta ediſcimus? Reſp. quia mens humana ſuo corpori mancipata debet primum excitari per ſenſus: deinde vulneratus eſt oculus naturalis intelligentiæ, ac tantùm non extinctus, ideo quaſi ſub denſiſſima nebula conſtitutus, nequit niſi diligenti ſtudio ſanatus, vel expeditus clarum illud iubar veritatis rerum immaterialium intueri. Sed vitium hoc præter naturam hominis eſt, ipſi ex Adami peccato adſcitum: emendaturque in ſapiente, qui propterea dicitur conformari cum natura, quia eius mens in naturalem perſpicacitatem quodammodo reſtituta, in debitam quoque proportionem cum rebus intelligibilibus eleuatur. Fateor tamen quadamtenus hoc ab Ariſtotelis opinione diſcedere. Cenſet enim ille animam ex conditione propriæ ſuæ naturæ, improportionatam eſſe rebus purè intelligibilibus, vt dicemus aliàs. Ideo vt ad ſolis adſpectum oculus, ſic ad diuinorũ intuitum mens humana ipſi penitus caligare videtur. At non deſunt grauiſſimi Theologi, qui ſecus ſentiant, ſecuti videlicet D. Auguſtinum & alios Chriſtianæ ſapientiæ Coriphæos. Hinc Gerſon docet rationem cur Deus per ſe nobis notus non ſit, non eſſe illam, quæ ſolet vulgò efferri, quòd humani ſuperet captum ingenij; ſed quia non vult ipſe animis viatorum clariùs innoteſcere, ſed de hoc aliàs.

Ad 2 membrum ſecundæ quæſtionis Reſ.

QVOAD ſecundum, vtrum vniuerſalia ſint nobis notiora. Paucis Reſp. duplex eſſe vniuerſale, vnum Phyſicum & confuſum: alterum Metaphyſicum & diſtinctum, de quo iam aliàs, item duplex eſt genus cognitionis, alia enim eſt cognitio cogitatiua, quæ procedit ex ſenſibus per rationis indaginem, vimque argumentandi; alia purè intellectiua, quæ veritatem ex illuminatione diuinæ mentis, in qua ſunt puriſſimæ, & ſinceriſſimæ rationes rerum, apprehendit, indeque iudicium ſincerum, & limpidum profert. His poſitis, Platonicos poſſumus facile cum Peripateticis conciliare, dicendo vniuerſale confuſum eſſe nobis notius cognitione cogitatiua, non intellectiua; vniuerſale verò diſtinctum contrà, notius eſſe cognitione purè intellectiua: non verò cogitatiua. Ratio eſt, quia id eſt notius nobis cogitantibus, quod à pluribus ſingularibus, atque etiam ſignis ſenſum magis pulſantibus aptum eſt commonſtrari: ſed tale eſt vniuerſale illud

confuſum, de quo hic loquitur Ariſtot. nam ſolùm intelligit id quod plura ſingularia ſenſibus ſubiecta manifeſtant; ex altera parte, quod puriori veritatis luce fulget, id purè intelligentibus nobis fit notius: ſed vniuerſale diſtinctum eſt huiuſmodi, vt patet ex cap. 9. Logicæ §. 9.

Cæteroquin ſecum ipſe Ariſtoteles debet conciliari: quod enim affirmat hic, videtur in 2. poſter. inficiari, ait enim illic vniuerſale notius quidem quoad ſe, at quoad nos ipſum eſſe ignotius. Ad hæc quid Peripatetici? Sanè nihil aliud, quàm quòd hic vniuerſale confuſum vſurpet, quod tanquam totum plura complectens, in pluribus veluti ſparſum ac commultiplicatum viſitur: in *Poſter.* verò vniuerſale diſtinctum ſumat, quod ſit ratio quædam ſimplex ex multis abſtracta. Quamquam hoc ab illo adhuc quærendum reſtat, realis ſit, necne illa ratio, cui inſit; cuiue ſit aſſimilis, aliaq; id genus multa. Quoad tertiũ ſcilicet an à notioribus quoad nos debeamus progredi, ſolùm ſupereſt nonnihil in Ariſtotele explicandum: ipſe enim textu cit. docet in Phyſica progrediendum eſſe à cognitione principiorum: at principia ſunt quoad ſe, nec non naturâ notiora, imo videntur eſſe minùs nota quoad nos; nam res naturales potiùs cognoſcimus, quàm materiam primam. Quomodo ergo primùm à cognitione materiæ primæ exordiemur, ad notitiam rerum naturalium progreſſuri? Reſp. breuiter duplicem eſſe cognitionem, vnam confuſam, alteram diſtinctam: confuſa eſt notio rudis & inchoata, quâ res vtcumque incipit internoſci ſecundum, ſe nondum partibus ſigillatim examinatis. Diſtincta eſt notio exacta, qua ſingulis rem attinentibus diligenter enucleatis, eſſentia clarè penetratur, ac peruidetur: ideo prima ſecundam ſemper præcedit. Contingit autem ea quæ nobis ſunt notiora cognitione confuſa, eſſe aliquando minùs nota quoad nos cognitione diſtincta. ita totum ſenſibile, vniuerſale Phyſicum, &c. cognitione confuſa ſunt quoad nos ſuis principijs notiora; ſecùs verò, cognitione diſtincta. Hinc confuſè, primò nouimus rem naturalem, deinde materiam; tum materiam examinamus, eaque ſic penſiculatiùs ponderata, tandem rem naturalem diſtinctiùs noſcimus. Sic omnis, ſi qua in Ariſtotele apparet contradictio, ſoluenda eſt.

§. 5.

Partitio totius Phyſicæ.

VNIVERSAM hanc Phyſiologiæ conſiderationem ſex tractatibus abſoluemus, primus erit de corpore naturali in genere: ſecundus de mundo, ac de principali eius parte, quæ cœlum eſt: tertius de reliquis quatuor primarijs, ac ſimplicibus membris, nimirum elementis: quartus de mixtis in genere, eorumque generatione, necnon corruptione: quintus de mixtis imperfectis quæ Meteora dicuntur: ſextus, de perfectis quorum forma eſt anima. De his omnibus, diſer-

tè admodum, ac ſubtiliter diſſeruit Ariſtoteles, de corpore enim naturali octo libros edidit: de cœlo duos, de elementis duos, de generatione duos, de Meteoris quatuor, de anima tres.

CAPVT I.

DE PRINCIPIIS RERVM naturalium in genere.

DE principijs rerum naturalium tot ferme ſententias legimus, quot ſunt Philoſophorum veterum capita. Eas in certum numerum redigere, ac ſigillatim examinare operoſiſſimum foret, & vel forte ſuperfluum: nihilominus in genere poſſumus ita breuitatis cauſa præcipuas ſectas diſtinguere. Aliqui ſunt purè Metaphyſici, & ſpirituales, qui omnia ſub intelligibili quadam ratione contemplabantur; alij penitus Phyſici, & corporales, qui ſenſuum cancellos perrumpere nequeuntes, nihil ſupra corpora intelligere potuerunt. Alij denique vtrumque rerum ordinem diſcernere ſtuduerunt, vt Plato & Ariſtoteles.

§. I.

Secta Metaphyſicorum & Spiritualium.

Xenophanis opinio. IN hanc claſſem præcipuè debemus reuocare *Xenophanem, Parmenidem, & Meliſſum.* Hi docuerunt id omne quod eſt, eſſe vnum: at non vno modo id deffendiſſe leguntur. Xenophanes apud Simplicium hic ex ſententia Theophraſti voluit id neque finitum, neque infinitum; nec item mobile, neque immobile eſſe, ex ſententia verò Alexandri Aphrodiſæi legitur illud finitum, ac Sphæricum conſtituiſſe, inſuper *Referente Cic. 2. Acad.* cenſuit Lunæ globo contineri terram multis vrbibus ac montibus exornatam & habitatam.

Parmenidis. PARMENIDES Eleates Xenophanis auditor arbitratus eſt ſecundum rationem, & veritatem omne quod eſt, vnum tantummodo eſſe, idque finitum, & immobile: tametſi ſecundùm fallax iudicium ſenſuum vulgique opinionem res multæ eſſe videantur: vnde, duo ſecundùm apparentiam principia deſignabat, terram ſcilicet loco materiæ, & ignem loco efficientis. Ratio ipſius hæc fuit: ſi quid eſt præter ens, id nihil eſt; ergo vnum ens ab alio diſtingui non poteſt, nam vel diſtingueretur ente, vel nihilo: diſtingui nihilo, non diſtingui eſt, ſed eſſe quid vnum. Aliunde ente ipſo ens ab ente nullomodo diſtinguitur, igitur omnia quæ ſunt, vnum ſunt: ita tradit Ariſtoteles 1. Met. c. 5.

Meliſſi. Meliſſus Parmenidis diſcipulus exiſtimauit illud vnum eſſe ingenitum, infinitum, & immobile: ingenitum, quia æternum; infinitum, quia principio & fine caret; immobile, quia nequit è nihilo, vel in nihilum demutari.

Non

Non deſunt grauiſſimi authores qui defendant illos hæc vel de Deo ipſo, vel certè de mundo Archetypo, qui apud Deum eſt, & vnicus, intellexiſſe. Ita Simplicius hic, Card. Beſſarion, &c. quin Ariſtoteles diſtinctè declarat Parmenidem voluiſſe, omnia eſſe vnum ſecundum rationem: Meliſſum verò ſecundùm materiam; at Xenophanem quamquam perobſcurè, ipſum Deum ſub cœli ſymbolo innuiſſe. Plotinus Enn. 5. l. 1. c. 8. de Parmenide, ſic ait: *Is prior opinionem huiuſmodi attigit, & in idem ens, mentemque reduxit: atque ens ipſum in rebus ſenſibilibus minimè collocauit, dicens intelligere, atque eſſe idem prorſus exiſtere, idque immobile*: Omnem ſanè *corpoream inde ſubſtulit motionem, vt eodem ſemper modo permaneat.* Ita res omnes tripliciter videntur ſub *Vnius* notione poſſe comprehendi, primò, quatenus in Deo vt in communi, & vniformi omnium centro præeminent: ſecundò, quatenus in mente, vt in vno multiformi omnium Archetypo, præformantur: tertiò, quatenus in materia, vt in communi ſuſceptaculo, poteſtate præiacent, primum ſenſum videtur attigiſſe *Xenophanes*; ſecundum *Parmenides*; tertium *Meliſſus.* Xenophanes de vno negat, quòd mobile ſit, vel immobile, finitum, vel infinitum, &c. quia Deus eſt ſuper omnes notiones, quæ his nominibus innuuntur, vt etiam oſtendit D. Dionyſ. 1. de diuin. nomin. Parmenides id dixit eſſe finitum, ſeu definitum, id eſt, certum, determinatum, atque omnis determinationis formalis principiũ: vt opponatur materiæ, quam ideo Meliſſus infinitam appellauit, quia omnem ſuam formationem, & determinationem à forma, ſiue ratione exemplari mutuatur; cùm ipſa ex ſe rudis ſit, atque penitus indefinita. Vtrumque verè immobile eſt, atque ingenitum, quia putabatur æternum.

Cæterum hos omnes in eo quòd indiſtinctè docebant omne quod eſt, eſſe vnum, Plato, eiuſque diſcipulus Ariſtot. meritiſſimè impugnant. Ille in Sophiſta, iſte in 1. Phyſ. & ratio ipſorum eſt, quia quomodolibet ſumatur omne ens, neceſſum eſt, vt præter eam rationem, qua omnia in vnam aliquam notionem communem veniunt, differentias habeant, quibus multa exiſtant, & in plura genera, ſpecieſque varias, ſiue accidentarias, ſiue eſſentiales diſtinguantur. Neque vrget ratio Parmenidis: quia licet quod eſt præter ens, ſit nihil; tamen cum ratio entis non ſit vniuoca, ſed analoga, optimè fit vt vnum ens ab alio ente differat, per aliquid quod ſit ens, eo quòd multiplex ſit ratio entis, vt diximus in Logica.

§. 2.

Secta Phyſicorum.

OMNIA veterum Philoſophorum hac de re placita exactè recenſere non licet. Solùm ne omnia videar omiſiſſe, pauca hæc è multis ſelecta ſufficient: aliqui vnum admiſerunt, ex quo per condenſationem, & rarefactionem cætera fierent, vt *Thales Mileſius,*

aquam; *Anaximenes*, & *Diogenes*, aërem, aut eo quidpiam ſubtilius, *Heraclytus*, ignem; *Pherecydes* & *Heſiodus* terram. Alij duo, vt *Xenophanes*, terram & aquam. *Hippo Rheginus* ignem, & aquam: *Oenopides Chius*, ignem & aërem; *Parmenides* aquam ſimul & ignem: Pauci tria, vt *Onomacritus* ignem, aquam, & terram. *Empedocles*, elementa, & inſuper litem & amicitiam .i. mutuam illorum pugnam, & concordiam. Denique Heſiodus primò chaos, deinde terram, tum amorem, quin & noctem, rerum omnium principia eſſe prædicarunt, alij aliter.

At *Leucippus*, *Anaxagoras*, *Democritus*, *Epicurus*, &c. Atomos induxere, & quidem infinitas, quibus ſingula coagmentari corpora crediderunt. Eas autem adeo ſolidas eſſe, vt diuidi nullo vſpiam pacto poſſent: inſuper temerè in infinito inani excurrere, in quo nec ſummum, neque infimum, neque medium, nec primum, nec denique vltimum quidquam poſſet aſſignari. Ad hæc ex mutuis earum concurſionibus effici, vt mutuo ſibi aliæ alijs cohærerent, vnde ſoboleſcerent ea quæ ſunt, quæque cernuntur omnia. Ex æterno item eas ſecum ita conſueuiſſe conflictari: denique ſecundùm variam earum mixtionem, (quæ ex varietate figurarum, ordinis, & expoſitionum, quibus accinguntur, proficiſceretur,) diuerſas effici generationes, rerumque mutationes ſomniarunt. *Anaxagoras*, eo à cæteris differt, quòd teſte Laërtio, dixerit mentem confuſis primò rebus acceſſiſſe, omniaque compegiſſe ſimul, atque ordinaſſe.

Sunt qui hos omnes authores cum diuino Moſe conciliare aggreſſi ſunt, vt *Aug. Steucus*, *Eugub. in ſua Coſmopœia*, & alij: ſed perperam. Fateor equidem nonnihil illos ex ſacris litteris exſpiſcari potuiſſe, ſed falſis imaginationibus limpidiſſimos hoſce fontes turbauiſſe. Hæc enim Moſes ſcripſit: *In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis, & vacua. Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux*: ergo terram nominat cum *Heſiodo*, aquam cum *Thalete*, aërem ſeu æthera ſub appellatione cœli cum *Anaximene*. Ignem lucis nomine cum *Heraclito*: de Chao manifeſtiſſimè loquitur. Vocabulum enim, quo terra inanis Hebraïcè dicitur, eſt cohu; hinc à Feſto Pomp. mundus appellatus eſt Cohus: hinc etiam inchoandi Etymologia profluxit, eo quòd initia ſemper inania ſint, rudiaque. Item noctem, ſcilicet tenebras; & amorem nomine ſpiritus, cum Heſiodo cecinit: ſed quid Atomi? Forte vires ſunt ſeminales, quas ſparſit in rebus Deus, & è quibus naſcuntur omnia, vt infrà declarabimus. Quid mens Atomis præſidens? Forte ſpiritus Domini, qui ferebatur ſuper aquas, hoc eſt, ſuper ſementes humidas calore viuifico fœcundandas. Hæc non abſurde quidem, ſed minùs forte veraciter coaptantur.

Quidquid ſit, hæc quæ primo loco numerata ſunt, aqua ſcilicet, aër, ignis, elementa quidem ſunt; at non prima rerum principia, cùm aliunde fiant, & in antiquiora primordia reſoluantur: vt ex dicendis apparebit. Nox, amor, lis, &c. ſolùm principiorum conditiones ex-

446

primunt, non principia. Nox informitatem materiæ; amor, eiuſdem ad formam appetitum, lis, formarum repugnantiam, ita de cæteris.

Atomos verò quod attinet, difficilior eſt quæſtio, quæ quidem iam pene à Philoſophis neglecta penitus obſoleuerat, ſed dudum à recentioribus quibuſdam Epicuri opinio reformata, & in integrum reſtituta pene eſt, Quamobrem paulò fuſiùs hic pertractanda videtur.

CAPVT II.

DE ATOMIS.

§. I.

Quid ſint Atomi, an & cur ſint, quales & quorum cauſæ.

QVI antiquatam hanc renouant opinionem multa docent, hic capitatim diſtinguenda. Primo dicunt eas eſſe corpuſcula omnino inſectilia: dico corpuſcula ne putentur puncta Mathematica, de quibus inferiùs. Ergo aliquid habent molis corporeæ, ſiue extenſionis, quod poſſit quidem cogitatione diuidi, imo forte etiam diuina virtute; at viribus naturæ, nunquam. Et hinc Atomi .i. inſectiles dictæ ſunt. Duabus de cauſis dicuntur inſectiles, primò, propter exiguitatem: ſecundò propter ſoliditatem. Ita enim exiguæ, ac tenues deſcribi ſolent, vt nihil eſſe poſſet in natura tenuius: adeo verò ſolidæ, vt nihil compactius: fingebât enim Epicurus, Lucretius, &c. corpora inde ſolùm molleſcere, ac ſectionibus cedere, quòd inane, vel vacuum aliquod intra ſe continerent: Atomis verò nihil ineſſe vacui. Ideo diuidi eas non poſſe, neque frangi, nec tranſmutari, aut in aliquid exolui ſimplicius.

Secundò, dicunt in eas vltimo ſolui cætera quæcunque naturâ gignuntur, aut corrumpuntur; eas verò inſolubiles eſſe, atque intranſmutabiles: quia in reſolutione rerum Phyſicarum natura debet aliquouſque procedere, ne ſi procederet in infinitum, nuſquam exolui poſſet res quæ deſinit, neque quidquam noui poſſet quandoque vltimò perfici, idcirco rei cuiuſque ſolutio debet fieri in extremas particulas, quæ ſolui ampliùs nunquam poſſint. Tales ſunt Atomi.

Tertiò, dicunt Atomos illas quibuſdam inter ſe accidentibus diſcriminari, at fuit aliqua diſſenſio *Anaxagoram* inter, & *Democritum*; quem ſecutus eſt *Epicurus*. Anaxagoras docuit eas ſecundùm ſubſtantiam ſic intimè differre, vt alia foret ex ſe calida, alia frigida: alia carnea, alia ſanguinea, &c. Ita vt quidque ex ſimili Atomo fieret v. g. alimentum puta panis, licet videatur vniuſmodi, tamen in eo latent particulæ carneæ, ex quibus nutriantur, ſeu accreſcant partes viuentis carneæ: item ſanguineæ, ex quibus ſanguineæ, &c. Ita ſecundùm illum Atomi videbantur aliud nihil deſignare, quam primordialia re-

rum generandarum ſemina. Item omnia ſic dicebantur eſſe in omnibus, denique ob id Atomi dicebantur partes ſimilares, ὁμοιομερῆς.

Democritus verò Atomos omnes eſſe voluit ὁμουσίυς .i. eiuſdem ſimiliſue ſubſtantiæ: ſolis accidentibus diſcrepantes, quorum duplex ſit genus, alia namque inſeparabilia, ſeu propria eſſe aiebat, alia verò ſeparabilia, ſeu communia. Accidentia prioris generis ſunt magnitudo, figura, pondus: quorum hoc tertium à Democrito prætermiſſum, addidit Epicurus. Accidentia poſterioris generis ſunt concurſus, coniunctio, poſitio, ordo, &c.

Magnitudinem habere dicuntur, qua ſaltem à punctis Mathematicis differre cenſeantur, quamquam adeo exiguam, vt nulla tam parua particula cerni poſſit, quæ non multis huiuſmodi Atomorum myriadibus contexta, coagmentataque ſit. Nec mirum, cùm animalculo, quod acarus dicitur, vix punctulo compar, innumeræ partes organicæ, ac diſſimilares innumeris item alijs particulis contextæ inſint, ipſoque engyſcopio diſpiciantur; vt cerebrum, cor, fibræ, venæ, &c. & in detritiſſimi pulueris granulis, magnitudo ſuperans piſum deprehendatur, cum faciecul is, & angululis tot, tamque amplis, vt eorum quodlibet ex decies centenis millibus partium videatur eſſe compoſitum. Et adhuc credendùm eſt engyſcopio non poſſe, omnes quas natura digerit, Atomorum minutias ſatis acutè perluſtrari.

Hinc talium corpuſculorum figuræ naſcuntur; quibus *Quadam leuia,* inquit Cic. *Alia aſpera: rotunda alia; partim angulata, & pyramidata, curuata quadam, quaſi adunca,* &c. paucis omni genere figurarum quaſi ſtipatas Atomos fingunt: & quidem in quolibet ſi non infinitas, ſaltem innumerabiles; ita vt innumeræ ſint orbiculares, innumeræ item quadratæ, cubicæ, ouatæ, lenticulares, vncinatæ, haſtatæ, angulares, tetrahædricæ, pentahedricæ, hexahedricæ, &c.

1. de natura deorum

Denique pondus illis ineſſe omnibus, atque grauitatem aſſerunt: de cæteris ſeparabilibus accidentibus hoc vnum ſubijciam, ea præcipuè ab earum motu proficiſci, eoque ſolùm locali (nam alium Epicurus nullum agnouit) porro ille duplex fuit. Vnus naturalis, rectus, perpendicularis, nempe is qui rectà deorſum cadit: alter reflexus, tranſuerſus, & decliuis, nempe qui in aduerſam Atomum incurrens aliò reſilit, & diuertitur. At quod certè mireris, centrum grauitatis nullum admittit Epicurus, ſed ex quocunque loco veniat Atomus, illum eſſe ſurſum: in quemcunque proſiliat, eum eſſe deorſum: vt docet *Gaſſendi de Phyſ. Epic. c.* 12. moueri inſuper Atomos inceſſanter, donec ab alijs cohibitæ, vel retardatæ, alio repercutiantur, vnde iterum infernè ſuum lapſum proſequantur: ita ſecum eas ſemper nouis occurſibus congredi, indeque noua ſemper mixta generari; aut reſolui iam generata.

Quartò, dicunt ex huiuſmodi corpuſculis Atomiſque conſtare omnia, quæcunque in hoc mundo viſuntur: ad eum modum, quo ex granis pulueris pigmentarij inuicem contemperatis variæ picturæ reſultant, aut ſicut ex 23. characterum combinationibus infinitæ propemo-

447
dum ſyllabę conficiuntur. Norunt enim qui vocabulorum origines inueſtigant, ex 3. litteris confici 6. voces diuerſas: ex 4. 24. ex 5. 120. ex 6. 720. ex 7. 5040. ex 8. 40320. ex 9. 362880. ex 10. 3628800. ſic de cæteris. Hinc præter Atomos, earumque connexiones & texturas nec formas ſubſtantiales, neque qualitates admittunt vllas: nec lumen neque ſpecies intentionales, neque colores, neque odores, &c. ſic Atomorum quas fatentur eſſe incomprehenſibiles, ſubtilitate inextricabili comprehendere nituntur omnia, ſed tunc mirum quantum ipſimet intricantur. Cæterum duobus aiunt componi mundum, *Atomo & inani.* Iiſdem duobus principijs etiam conſtare ſingula multi aſſerunt, negant alij v. *Gaſſendi ſup. cit.*

§. 2.

Quid ſentiendum videatur.

IN præfato dogmate nonnulla vera, at quam plurima falſa mihi ſubeſſe videntur.

Primò, non negauerim corpora omnia poſſe in corpuſcula diuidi, ac diſſolui, quæ ampliùs ſuapte naturâ diuidi nequeant: quia cuiuſuis magnitudinis vt eſſentia, ita & menſura finita eſſe debet. Aliunde omnia in quaſdam veluti Atomos reſolui videmus, terrea in puluerem, in guttulas aquea; ignea in fauillas, &c. Item dum gutta vini cum magna aquæ copia, vel contrà, commiſcetur, in quam exiguas particulas vinum reſoluitur? Idem contingit in ſanguine dum in omnes corporis partes natura diſpenſante diſtribuitur.

Secundò, etiam verum eſt certas rei cuilibet magnitudinis aut paruitatis metas à natura eſſe præſcriptas, quas præterire fas non ſit. Id quod præſertim de viuentibus certum eſt: neque enim poteſt forma equi ſub millij tenuitate concludi, neque ad Caucaſi vaſtitatem grandeſcere. De inanimatis verò homogeneis duo mihi dicenda occurrunt, primum, quòd infra omnem ſenſibilem paruitatem poſſint imminui: ſecundum, quod inuiſibilem habeant terminum paruitatis, quo tenuiora eſſe non poſſint; vtrumque ſufficienter probatum eſt ex iis, quæ de magnitudine Atomorum dicta ſunt. Quæ etiam ſatis eſſe poſſunt ad ſoluenda ea quæ de terminis magnitudinis, ſeu paruitatis copioſiùs hic ſolent diſputari.

Cæterùm multò plura ſunt, quæ refellere facile, probare autem difficillimum ſit, primò falſum eſt mundum, & ſingula, quæ in eo ſunt, corpora vacuo, ſeu inani conſtare, vt inferiùs tradetur.

Secundò, falſum eſt ex eo ſolùm molleſcere corpora, & frangi poſſe, quòd vacuo conſtent: nam ſupponimus eo illa carere; deinde omnis certè à rebus continuitas, imo & contiguitas tolleretur, ſi quæuis partes vacuo interpolarentur; ſed quid, ſi duæ Atomi ſeſe immediatè contingant? An non poſſent inuicem ſeparari?

Tertiò, falſum eſt Atomis ſuas ſic figuras ineſſe, vt reuera muta-

ri, vel ſeparari non poſſint: cur enim frangi, vel obtundi non poſſint anguli, quibus aſperantur? An quia vacuo carent? At hoc iam refellimus; an quia hæ figuræ ſunt proprietates, & differentiæ indiuiduales? At ſi hoc eſſet, non poſſent duæ, vel plures Atomi eadem figura ſignari, quod tamen negant.

Quartò, falſum eſt haſce Atomos, tametſi darentur, eſſe omnes eiuſdem naturæ. Etenim ſumo experimentum, quo Gaſſendi pro Epicuro contrarium tentat aſſerere. *Si permiſeris*, inquit, *aquam ſalſam ad ſolem euaporare, relinquetur ſal totum conformatum in figuras cubicas; ſi aluminoſam, in octahedricas, &c. idque continuari pulueriſato ſale.* Ergo diuerſa hæc grana ſalis etiam in Atomos exoluta naturâ ſuâ diuerſas figuras exigunt. At diuerſas quomodo naturâ eâdem exigerent & non potius eaſdem? Ad hæc aqua vltimò reſoluatur, hinc ſolùm exit vapor, qui aqua eſt. Vitrum vt maximè trituretur, eius vel minima particula vitrum manet: terram ſimiliter in Atomos deteras, puluis fiet, qui terræ ſeruabit non pondus modò, ſed & eſſentiam. Ergo minima illa corpuſcula in quæ reſolui aiunt omnia, quæque Atomi nuncupantur, non ſunt eiuſdem inter ſeſe naturæ, niſi velis terram, aquam, vitrum, &c. ὁμοῖα eſſe .i. vnius eiuſdemque ſubſtantiæ.

Quintò, falſum eſt etiam ex Atomis ſuperiùs explicatis conſtare omnia. Probatur hoc primum quia res omnes eſſent entia quædam aggregata per accidens, nec lapis à leone diſtingueretur aliquo principio ſubſtantiali, ſed ſolo ſitu, & ordine connexionis Atomorum: at hoc vel primis ipſis notionibus à Deo humanæ menti infixis videtur penitus repugnare: quod inde patet, quia communi ferme omnium Philoſophorum edicto illa Epicureorum opinio exploſa ſemper fuit, tanquam ſanæ menti aduerſa. Quaſi prima veritas in ipſa velut concione totius generis humani clamans intus in omnium cordibus pronuntiauerit, *Falſum eſſe, quòd nihil Deus, niſi Atomos finxerit: quòdue formæ ſubſtantiales non ſint vllæ, quibus ſpecies diſcerni, aut diuerſæ rerum naturæ conſtitui debeant.*

Enn. 6. l. 5. cap. 1. Confirmatur ex illo præclaro dicto Plotini, *Principium*, inquit *eiuſmodi omnium eſt firmiſſimum, quod animæ noſtræ naturali ſpiritu ſpirant.* Quod enim omnium fere hominum mentibus vbique ac ſemper altè manet infixum, id inter primas veri notiones, quas Deus humanis animis inſeuit, debet collocari, adeo vt negari non poſſit, niſi diuina hæc ſpiramina veritatis temerè præfocentur. Atqui omnium fere Philoſophorum animæ naturali ſpiritu hæc inter alia ſpirant, quòd ex puris Atomis res omnes, non coaleſcant. Vnde Cicero verè concluſit,

L. 1. de finib. l. de facto. *Epicurum in argutando ſibi aliquid dicere viſum eſſe, cùm id dicat, quod omnium mentes aſpernentur, ac reſpuant:* & ſanè ex tot tantiſque ſapientibus quos abhinc Epicuro tot ſecula protulere, quotus quiſque fuit, qui ſi vnum vel alterum modernum exceperis, puluerulentam hanc, & Atomicam Philoſophiam approbarit?

Confirmatur ſecundo, ſupradicta opinio, cùm ſit ſupra modum intricatiſſima & inſolubiles omnino habeat quæſtiones, certè nullam

448

habet rationem vel probabilem, qua corroboretur, ac defendatur.

Duo ſunt præcipuè, quæ in horum ſententia nunquam probare potui. Primum, quod formas omnes ſubſtantiales eliminent: ſecundum, quod earum omnes vires, potentias, & qualitates Atomorum texturâ ſolâ conentur explicare.

De primo ſolùm ſummatim dicam ab hiſce authoribus non poſſe declarari, primò, quònam ſit principium extrinſecum efficiens rerum Phyſicarum, ſecundò, quodnam ſit principium internum formale & effectiuum tot ac tam vniformium operationum; quæ à qualibet ſubſtantia prodeunt: tertiò, quodnam etiam ſit principium formale diſtinctionis naturarum. Quartò, quodnam ſit principium concilians Atomos ſub tam diuturno ac tam rato ſtatu.

Primum ſic breuiter demonſtro: ſi ſolis Atomis conſtant omnia, omnia tolluntur agentia præſertim vniuoca, hoc falſum. Ergo & illud: ſequela Ma. patet ſic: dum leo leonem generat, ſi vterque non niſi Atomorum concurſione coaleſcit, debet in genito talis Atomorum concurſio fieri qualis eſt in generante vt illi fiat aſſimilis: debet & virtute illius effici vt ab illo procedat. At neutrum continget. 1. in nouo fœtu leonis longe alia eſt concurſio Atomorum, quam in gignente. 2. ſi vis ineſt aliqua taliter connectendi Atomos, hæc vel diſtinguitur à figuris & grauitate Atomorum vel non: ſi diſtinguitur ergo iam dabitur aliqua qualitas præter Atomos: deinde ex quonam principio formali fluet? An ab Atomorum natura? At hæc eadem eſt in omnibus. Ergo in omnibus etiam eſſet hæc vis leonem generandi, quod quia falſum eſt, quid reſtat niſi vt præter communem naturam Atomorum, detur aliqua ſoli leoni propria, vnde peculiaris hæc virtus fluat perenniter vniformis? Si vero à figuris & grauitate non diſtinguitur, contrà hæc accidentia communia ſunt omnibus Atomis: ergo omnes Atomi habent vim generandi leonem.

Dices: Atomi ſub tali leonis connexione habent hanc vim non ſub alia: contra, Grauitas ſub quacumque poſitione non habet per ſe niſi vnicum effectum formalem, qui eſt deorſum deprimere: ergo per illam Atomi ſub quacumque connexione non poſſent per ſe niſi vnicum effectum exercere. Aliunde quis ſanæ mentis vnquam credat, ſola hac Atomorum grauitate, vel etiam ſi vis, addito exteriorum Atomorum circumquaque declinantium, vel irruentium incurſu, poſſe tam iugi, & tam conſtanti ordine ſuſceptas in genito Atomos alias in ſanguinem, alias in oſſa, in carnem alias: has in fibras, illas in cartilagines; &c. digeri, eodemque ordine vniformiter ſemper diſſimilari, nouas ſemper ſuccedenteſque Atomos in conſimiles naturæ fœturas ordinatiſſimas conformari? Eccur in germine pomi non omnes conformantur in fructus, cur non omnes in flores, &c. imo cur potius in hos fructus, aut in hos flores, quam in pampinos, aut in metalla, vel in plantas? Quis hinc non intelligat his tam miris operationibus arcanum quoddam propriumque prædominari principium, non fortuitum, non aduentitium, ſed ratum, ſtabile, per ſe à naturâ intentum & per ſe in natu-

Phyſica.

ra ſubſiſtens, denique ſubſtantiale, cuius virtute permanente permanens ille ordo ſeruetur.

Ad hæc ſi explicare non poſſunt cauſas motuum tam variarum declinationum Atomorum, quomodo iſtos effectus multò mirabiliores explicabunt?

Secundum ſic probo. Operationes naturales, quæ vniformi diuerſitate, ac determinato ſemper modo, à certis quibuſdam agentibus ſemper fiunt ac nunquam ab alijs vt iam relatæ, debent ſane à certo quodam ac determinato principio ſubſtantiali per ſe profluere. Hoc autem falſum eſſet ſi ſolis Atomis cōſtarent omnia: ergo non conſtant. Ma. patet cùm experientiâ, tum quia ſicut in arte determinati effectus non veniunt niſi à determinatis principijs, ita etiam in natura. Item viuens à non viuente diſtinguitur quod illud ab interno principio moueatur haud ante aforis moto, ſaltem localiter: ſed Atomi nihil mouent niſi aliunde localiter motæ, aut ſi ſuapte natura mouentur aut mouent, certe non alio motu quam grauitationis. Quomodo ergo per ſe mouerent ſurſum, ſiniſtrorſum, motibuſque augmentationis, nutritionis, ſenſionis, &c.

Tertium ſic: non omnia quæ ſunt in natura ſolum accidentaliter differunt, ſed multa etiam eſſentialiter & ſubſtantialiter diſtinguuntur. Ergo dantur principia ſubſtantialia huiuſmodi diſtinctionum, ſed non Atomi. Quia ſecundum harum ſubſtantiam conueniunt omnia: ergo præter Atomos alia ſunt rerum admittenda principia.

Item ſi ſola varietas figurarum & concretionum diuerſas pareret ſpecies, ob quamlibet variationem rerum, naturæ variarentur. Sicut ex qualibet numerorum combinatione diuerſa reſultat ſpecies numeri: at hoc eſt falſum: deinde eccur non poſſent plures quam 7. planetæ, aut plura quam 7. metalla, aut centies millies plures ſpecies plantarum, quam quæ à natura produntur ex omnigena Atomorum complexione prodire?

Quartum denique ſic, niſi adeſſet principium internum, quo Atomorum illa confœderatio in quolibet indiuiduo ſeruaretur, quî fieri poſſet, vt in iugi fluctuatione corporum mundanorum, non continuò ſoluerentur?

De qualitatibus porro nihil hic dico, præterquam quòd vix explicari queat, quomodo confuſiſſima omnis generis corpuſculorum penetratio non concedatur: cùm enim ſimul lumen calor, ſapor, odor, &c. per totum aërem ſpargantur, & in eius qualibet parte cohæreant ac pereunte vna ex his qualitatibus reliquæ maneant: ſi Atomi ſunt; corpuſcula erunt, eaque diuerſa, imo contrarijs plerumque armata conis & angulis, quibus diuerſos ſolent effectus formales exponere: quinam ergo ſimul tandiu, ac tam pacificè coibunt? Item ſpecies nigri an non deberet pupillam mouere contrarijs Atomis quàm ſpecies albi? Et tamen ſimul vtramque in eodem pupillæ centro admitti neceſſe eſt.

Ad hæc: cur tot ſenſus, ac tam diuerſos natura prouidiſſet ad illas perſentiſcendas,

449

ſentiſcendas cùm vnus tactus ſufficere debuiſſet? Neque enim ſenſum vllum mouent Atomi, niſi per ſuos angulos in organa penetrando. Hoc autem ſolo fit tactu: quorſum ergo ſenſus alij?

Item niſi qualitates admittantur ab Atomis diſtinctæ, totam inuertent Theologiam: quomodo enim habitus gratiæ, fideique & dona Spiritus Sancti, aliaque id genus multa exponent? Quomodo item habitus, actuſque intellectus, & voluntatis? Ibi autem ſi qualitates admiſerint, quidni etiam in corporibus?

Sed eſto quæ diximus omnia nullius per ſe momenti ſint; certè hactenus explicare non potuere, vnde tam varius, tam multiplex, atque tam oppoſitus motus illis obueniat. Affluere enim deberent vndique, & quoquouerſus inter ſe ac contrà ſe incurſare ab ortu, ab occaſu, à meridie, à ſeptentrione, èſurſum, è deorſum: in homines huc verſos ingruunt ea quæ ſenſus mouent, qualia hæc cumque ſint. Deus bone, quantus vbique corpuſculorum conflictus ederetur? Neque quid pugnam cieret, aut quid impulſum daret, poſſet aſſignari.

Atomos naturali ſuo pondere deorſum ruere dicunt; at vnde ſurſum, & in tranſuerſum aguntur vndique & quocunque? an à cœlo ſimul ſecum aërem totum rapiente? At motus is ſolum ab ortu in occaſum fit: effluxus vero atomorum vndequaque, & quoquouerſus, &c.

CAPVT III.

DE PYTHAGORÆ, PLATONIS, & Ariſtotelis ſententia, eorumque mutua comparatione.

§. I.

Quid ſenſerit Pythagoras.

PYTHAGORAS Italicæ Philoſophiæ author, Samo inſulâ progenitus, numeros ſtatuit principia rerum hoc modo: primum ſuper omnia ipſam vnitatem collocabat; ſub ea numeros, in quibus contrarietates 10. hoc ordine ſecundùm Ariſtotelem commentus eſt.

Finitum,	Infinitum.
Impar,	Par.
Vnum,	Multa.
Dextrum,	Siniſtrum.
Mas,	Fœmina.
Quies,	Motus.
Rectum,	Curuum.
Phyſica.	

Lumen,	Tenebræ.
Bonum,	Malum.
Quadratum,	Altera parte longius.

Laërtius eius exponens ſententiam ſcribit *Principium omnium eſſe vnitatem: porrò ex vnitate indefinitam dualitatem, vel materiam authori vnitati ſubieciſſe: ex vnitate verò, ac indeterminata dualitate, numeros gigni, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex quibus plana figuræ conſtent; ex planis ſolida, & ex his ſolida elementa, ignem, aquam, terram & aërem*, &c.

Verum iſthæc non vt ſonant, ille intellexit. Symbolis delectabatur, ideo allegoricè iſta intellige: vnitate Deum, numeris ideas certò adumbrauit, & in hoc loquendi genere illum deinceps imitatus Plato eſt: hunc D. Dionyſius, & alij poſtmodum ſancti ſcriptores.

At cur vnitas Deum notat? Reſp. multas poſſe ſubtiles rationes adhiberi; ſed breuitati conſulens dico primùm vnitate Deum exprimi, quia ſicut nomen hoc *Vnum*, ſeu vnitas, determinatam naturam nullam ſignificat, tametſi omnis multitudinis principium ſonet, à quo effluat omnis ordinata multiplicatio, & in quod item illa terminetur ac refluat: ſic notio Dei nullam animo noſtro determinatam eſſentiam repræſentat, obijcit tamen id quod principium eſt, finiſque omnium. Adde vnitatem ab omni ſerie numerorum exemptam eſſe, ita Deus ſub nullo entis multiplicati, vel multiplicabilis ordine, graduve comprehenditur. Omnis item multitudo vnitatis participatione gignitur, continetur, creſcit, terminatur, vnde vnitas infinita quadam vi pollere, immenſa eſſe, ſimplex, omniumque comprehenſiua cenſeri poſſit. Ita Dei participatione gignuntur omnia, ſpecificantur, conſeruantur, perficiuntur. Vnde facile deducas attributa infinitatis, immenſitatis, ſimplicitatis, perfectionis, &c. hæc de vnitate ſufficiant; plura de hac in Metaph.

At cur numeris ideæ deſignantur? Reſp. primò, quia ideæ puriſſimæ ſunt atque intelligibiles rerum eſſentiæ, cum ipſo vno .i. cum Deo immediatè, atque inſeparabili identitate connexæ, ſicut numeri qui & intelligi, magis quam ſentiri queunt, ſemper in vnitate, & per vnitatem; imo & ex vnitate neceſſariò iugiterque ſubſiſtunt. Numeri item diſtinguendarum, atque ordinandarum rerum omnium ſunt principia: ſic originales atque primitiuæ regulæ diſtinguendi, ſpecificandi, ordinandique omnia ſunt ideæ.

His omnia format, diſponit, diſcernitque ſapiens Deus, &c. idcirco rectè ideæ dicuntur numeri primi, & numerorum originales formæ: Primò, quia in ideis prima omnium multitudo eluceſcit, ſecundò, quia hinc Deus omnia proprijs ac definitis numeris creat. Horum imitatione, expreſſione, & participatione fiunt noſtrates eſſentiæ. Hinc Proclus quatuor admittit numerorum gradus: diuinum ſeu eminentem qui in diuina eſſentia; eſſentialem, qui in ideis, animaſticum, qui in rationibus animarum, & Phyſicum, qui in formis materiatis conſi-

ſtit. Primum vocat vniformem; ſecundum immobilem; tertium, ſe mouentem; quartum, ab alio motum. Plato inde hominem ſapientiſſimum nuncupauit, quòd numeri ſcientiam capiat, quippe qui per hos numerorum gradus ad ipſum vnum ſapiētię fontem eleuari valeat. Denique hinc etiam præfatus Plato teſte Plutarcho l. 8. ſui conuiuij, aſſeruit Deum Geometricis numeris delectari. Hæc de numeris ſufficiant, D. Auguſt. plura genera numerorum agnoſcit. *l. 6. de muſica c. 4. 6. 12. &c.*

Quoad cætera quæ de 10. illis contrarietatibus adduxit Ariſtoteles, longiorem hæc expoſcerent interpretationem, quàm vt hoc compendio declarentur. Solùm dicam his adumbrari oppoſitionem, quæ materiam inter & formam Archetypam ſeu exemplarem occurſat: nam infra ipſum vnum imparticipatum, qui Deus eſt, admittebat vnum participatum, nempe formam idealem. Huic opponebat materiam veluti è diametro repugnantem. Formam illam exprimebat nomine finiti, quòd ſit principium ſpecificandi eſſentias; imparis, quòd formalis diſtinctionis, quæ per eſſentias indiuiſibiles ſemper impariter multiplicantur, origo ſit; vnius, quòd ſpecificam vnitatem efficiat, quietis, quòd generationes terminet, &c. contrarijs nominibus materiam deſcribebat ob effectus, ſeu aptius, defectus oppoſitos.

§. 2.

Digreſſio prima Platonica.

Quid Plato de mundo intelligibili ſenſerit.

PLATO *duplicem mundum agnouit: vnum intelligibilem; ſenſibilem alterum, de illo ſecutus eſt Pythagoram; de hoc ipſum ſecutus eſt magna ex parte Ariſtoteles. De mundo intelligibili ſic Auguſtinus l. 1. Retr. cap. 3.* Mundum intelligibilem *Plato* nuncupauit ipſam rationem ſempiternam, atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum, quam qui eſſe negat, ſequitur, vt dicat irrationaliter Deum feciſſe, quod fecit, aut cùm faceret, aut antequam faceret, neſciſſe quid faceret, ſi apud eum ratio faciendi non erat: ſi verò erat, ſicut erat, ipſam videtur Plato vocaſſe intelligibilem mundum.

Certum porro eſt mundum hunc apud Platonem, eſſe mentem ipſam diuinam, prout comprehendit primum ens, primumque intelligibile, in quo ideæ rerum omnium continentur: & præterea etiam certum eſt hanc mentem eſſe Deum ipſum. Vnde Plato in Phædone multa de illo primo ente quod vocat diuinum, purum, ſempiternum, vniforme, ac ſemper eodem modo ſe habens, pro locutus, tandemque concludens animæ noſtræ ad mundum intelligibilem reditum, hæc ait: Anima verò, quæ inuiſibile quiddam eſt, in ſimilem quendam, aliumque locum migrans excellentem, purum, inuiſibilem, nobis occultum, reuera ad bonum, ſapientemque Deum, quo ſi Deus voluerit, paulò poſt, meo quoque animo eſt migrandum.

In hoc tria principia quoque ennumerat, ſicut Pythagoras: nempe vnum, infinitum & terminum, hæc ſunt principia entis: quatenus ex his tribus conſtat aut promanat id omne quod in mundo Archetypo clauditur. Vt autem Platonis mens clariùs penetretur,

Obſeruandum eſt nomen entis à Platone communiter ſumi pro eſſentia incommutabili cui tanquam æterno atque inuariabili exemplari, reſpondent res participatæ tanquam imagines defluentes, ideo ens huiuſmodi ſolũ illud diuinæ naturæ ſignificat, quod participabile eſt. Illud verò quod imparticipabile omnino eſt, atque adeo quo diuinitatis proprius gradus deſignatur, nomine vnius deſcribitur. Quo fit vt ipſum vnum meritò ſemper ente prius, ac ſuperius demonſtretur, quatenus inducta per intelligentiam noſtram virtuali quadam diſtinctione inter gradus perfectionum, quæ diuinitati inſunt, certum eſt id quo formaliter in eſſe Dei conſtituitur, eſſe virtualiter prius & ſuperius omni eo, quo in eſſe entis participabilis conſideratur. Hinc vlterius fit, vt cùm mens creata nequeat tranſcendere vltra gradum entis participabilis, ipſum vnum, optime dicatur ſuperius omni omnino intelligibili: & ſola ſui ignoratione ſuſpicandum, ſolo denique adorandum ſilentio.

Vlterius Platonicis mundus ille intelligibilis, ſeu ens primum, vocatur ſplendor boni, quia vt optimè notauit P. Orgeuillæus Dial. Plat. p. 3. c. 1. prop. 2. vt ſplendor ea diſtinctè pandit exteriùs, quæ alioquin inuoluta latebant in ſole: ſic mundus Archetypus ea in ſe diſtincta formaliter ſub luce veritatis æternæ manifeſtat, quæ in gradu Vnius non niſi præeminenter, impliciteque præhabentur. Porrò ipſum vnum poſſumus appropriatè Deo Patri attribuere, eo quòd primum ſit in Trinitate principium; mundum hunc Archetypum Filio, quia Quod factum eſt in ipſo vita erat, alibi de ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ illius dicitur.

Secundò, obſeruandum eſt à Platone vocabulo entis intelligi, multa & vnum. Multa, eo quòd in illo rationes omnes omnium rerum exemplariter inſint, ſicut in hoc mundo condito res omnes participatæ comprehenduntur: vnum verò, quia rationes illæ ideales vnum ſunt inter ſe realiter, ſolis vtique notionalibus eſſentiarum characteribus diſtinctæ.

Hinc qua parte multa in huiuſmodi mundo diuino intelligimus, infinitum vocant; quà verò vnum, finis ſiue terminus dicitur, id copiosè cum alibi, tum præſertim in Parmenide ſuppoſ. 4. Plato explicat, probatque multitudinem, ſi ab eo rationem vnius intelligendo abiunxeris, manere neceſſariò infinitam, quia qualibet eius particula, vt pote non vna, (nam niſi vnitate vnum non fit,) multa ſit oportet, & ita in infinitum. At ex eo quòd multitudo neceſſario eſt vnius particeps, (eſt enim vna multitudo) partes ad totum comparatæ habent terminum, quia quod comprehendit, inquit, eſt terminus.

Paucis infiniti nomine in hocce mundo intelligibili nihil minùs intelligas quàm ineffabilem diuinæ naturæ amplitudinem, quatenus interminabile eſt, atque inexhauſtum pelagus totius eſſe infinities in infinitum ſemper ac ſine termino participabilis. Hæc magnitudo, inquit D. Dionyſ. eſt ipſum infinitum, & quantitatis & numeri expers: eſt que ipſa exuberantia ſecundum effuſionem abſolutam, & ſuper extenſam ipſius incomprehenſibilis magnificentiæ.

Idem nomen infiniti aliter vſurpatur in mundo ſenſibili: ſignificat enim materiam primam, quatenus principium potentiale eſt, ex quo non tot formæ deprehenduntur educi, quin poſſint adhuc plures, tum quia hæc ex ſe indefinitum quiddam eſt, nulloue actu terminata. Ita duæ ſunt abyſſi, ex quibus omnium formas Deus eduxit: Prima eſt abyſſus infinitæ plenitudinis: ſecunda eſt abyſſus infinita priuationis: illa ob excellentiam proprij actus; iſta ob indigentiam tenebris impenetralibus videtur obſeſſa. Denique illa diuina eſſentia eſt, quam poſſumus concipere ceu fundum omniforme, & infinitè ferax, ex quo idea omnes, omneſque rerum participabilium gradus, fines atque determinationes in primo ente, quod eſt Deus, noſtro intelligendi modo quadamtenus educuntur. Iſta verò eſt materia prima, quæ vt dicetur infrà, receptaculum eſt iners & informe, in quo formæ omnes atque actus corporum innaſcuntur.

Quòd in mundo intelligibili ratio termini ex Vnius *prædominio deriuetur, non ſolùm Plato, ſed etiam D. Dionyſ. aſſeuerat cap. 13. de diu. nom: Vbi de ipſo vno quod omnium cauſa & ſuper omnia eſt, ſecundum Platonicorum μεγαλοτεχνίαν loquens, hæc ait, primò quòd illo ſola & tota poſſit deitas celebrari, ſecundò, quòd ſuper* Ipſum vnum ens *ſit, &* ipſum vnum ens *definiat,* καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ ἓν ὄν, καὶ αὐτὸ τὸ ἓν ὂν ὁρίζον. *Vbi notabis imperitè verba hæc ſolere ſic verti:* Suprà ipſum vnum, eſt id quod eſt, & ipſum vnum determinat. *Qui ſic vertunt Philoſophiæ Platonicæ rudimenta neſciunt: illa enim ex Platone in Parmen. diſtinguit ipſum vnum abſolutè ab ipſo vno ente. Illudque iſto ſuperius facit:* Vnum ens *eſt idea, cui notio eſſentiæ, per ſe; notio vero vnius, per ſolam de nominationem & participationem vnius abſoluti, conuenit: at ipſum vnum eſt principium idearum, quod eſt ſuper omnes eſſentias, nec vnum de nominatione, nec participatione, ſed per ſe, ac ſubſtantiuè* vnum *eſt.*

Præter hæc principia, 5. adhuc genera in hoc intelligibili, & diuino mundo enumerant, quæ ſunt ſtatus, quies, idem, alterum, eſſentia: *de quibus, quantum compendioſæ narrationi ſufficiebat, diximus in Logica cap. 21. §. 2.*

P[illegible]que de hoc mundo à Platonicis euulgantur adeo pulchra ſunt, nihil vt à Catholicis Theologis dici ferè poſſit auguſtius, ſanctiuſque. Primò eum æternum, immenſum, puriſſimum, ac ſine vlla multiplicitate omniformem, ſine partitione multiplicem, ſine participatione formatum, denique ſine pluralitate omnia continentem Intelligibilia, *inquit Plot. produnt Enn. 6. l. 5.* ſunt multa in vno, & in multis vnum: & omnia ſimul: *Quod quò clariùs explicaret, vſus eſt exemplo circuli ſic: centrum circuli terminat omnes lineas. Finge terminos linearum centro contiguos vno puncto ſingulos deſignari, quod proprium ſingularum linearum ſit centrum, à centro vnico circuli nihilominus diſtinctum: quapropter, inquit, quot ibi lineas medium ipſum attingit, totidem eſſe puncta videntur. Vnum verò illa apparent ſimul omnia eſſe, ſic multis centris ſimilia ſunt intelligibilia omnia, centris, inquam, in vnum centrum redactis, penituſque coniunctis, apparentibus verò multis propter lineas, quæ non generant centra, ſed ea ſolùm oſtendunt, vnde hic mundus* Multa & vbique videtur adeſſe: *Ita ſecundùm Plotinum ipſa rerum quarumlibet exemplaris & primitiua eſſentia vbique eſt, & to-*

ta in ſingulis participantibus, & omnes in vnoquoque: imo totus hic mundus intelligibilis alibi quàm in ſe ſolo ſubſiſtit nuſquam. Nec ille in ſenſibili, ſed ſenſibilis in illo eſſe, conſeruari, contineri dicitur, vt ſic omnia eſſe in omnibus, & in omnibus ſingula, & in ſingulis omnia: ac demum hoc modo quadamtenus omnia eſſe vnum poſſit affirmari.

Mirabilius eſt quod idem ait Enn. 5. l. 8. c. 4. omnia, *inquit*, illic vndique perſpicua ſunt. Nihil tenebroſum, nihil obſiſtens, ſed omnis illic omnibus eſt conſpicuus, intrinſecus atque per omnia. Lumen namque lumini occurrit vbique: quilibet in ſe habet omnia, & omnia rurſus conſpicit in alio; cuncta igitur vbique ſunt. Omne illic eſt omne, illic quodlibet eſt vniuerſum: ſplendor ibi micat immenſus; quodlibet enim ibi magnum eſt, quandoquidem & paruum illic eſt magnum. Ibi ſol, ſtellæque omnes: Vnaquæque ſtella ſol eſt, & ſtellæ ſimiliter omnes, &c. *& infrà.* In rebus corporeis non procedit ex alia parte vbique pars alia, ſed vnaquæque pars ſola ipſa eſt. Illic autem ex toto quodlibet vbique prodit, ſimulque extat quodlibet, ac totum. *Et rurſus*, indomita illic, & indefeſſa ſunt omnia: quodue ibi dicitur inexplebile, propterea tale dicitur, quòd plenitudo eius nunquam efficit, vt ſpernat implentem: videndo namque magis aſſiduè ſpernit. *Denique c. 8.* rutilant illic omnia, ſpectatoreſque ſuos ſplendore colluſtrant, adeo vt ipſi quoque inde pulchri euadant: quemadmodum accidit his qui altiſſimos montes conſcendunt, vbi terra flauo colore ſplendeſcit: colore namque eodem ſtatim inficiuntur, facti ſimiles terræ ad quam aſcenderant; in mundo verò diuino florens ille color ipſa eſt pulchritudo, imo quidquid ibi eſt, totum color, & funditus pulchritudo. Non enim aliud quiddam pulchritudo illic extat quaſi ſuperficie florens, *&c. mox* operæpretium eſt in ſeipſum iam diuinum ſpectaculum tranſmittere, ac velut vnum protſus intueri, & tanquam ſeipſum omnino inſpicere: ceu ſi quis occupatus à Deo, ſeu Phœbo, ſiue muſa potiſſimum aliqua raptus, in ſeipſo Dei ipſius intuitum iam efficiat, ſiquidem in ſeipſo Deum valeat contemplari.

Hiſce verbis videtur alludere ad caducitatem rerum in mundo ſenſibili apparentium, quæ innumerabilibus particulis, velut in atomos diſtributæ, vix minima ſui parte poſſidentur: quarum plenam feliceмque adeptionem impediunt: primò tenuitas, qua vix eſſe credantur, ſecundò partitio, qua vix fruſtulum teneas; tertiò caducitas, qua vix inſtanti ſuperſint: quartò, oppoſitio, qua ſe inuicem irreconciliabili pugna excludant; vnde omnium neceſſe eſt fruitione priuari, vt vnius gaudiolo potiaris, &c. horum nihil in regno illo intelligibili, imo oppoſita omnia ſunt. Ita ex his, quæ nouit infrà ſe animus, ad ea quæ ſuprà ſe ſuſpicit, ſperanda, fruendaque, Platonici ſemper nos conſcendere adhortantur. Hæc de mundo intelligibili.

§. 3.

Quid de mundo ſenſibili.

QVOAD ſenſibilem verò, Plato & Ariſtoteles conueniunt, quòd ambo tria rerum principia definitè conſtituant; differunt verò, quòd diuerſa determinent.

Plato recenſet Deum, exemplar, materiam, Ariſtoteles materiam, formam, priuationem.

Plato conſiderans res omnes non aliter fieri, aut conſeruari, quàm participatione verorum entium, quæ in ideis conſiſtunt: ea ſolùm inter principia numerauit, quæ aliunde participata non ſunt, & ex quibus omnis participatio pendet. Huiuſmodi autem ſunt Deus, exemplar, materia; Deus eſt primum principium efficiens, exemplar eſt primum principium formale; materia eſt primum principium ſuſceptiuum. Certe in omni participatione tria ſunt, primum id cuius eſt participatio, ſecundum, id à quo illa fit: tertium, id cui vel in quo fit. Primum, eſt idea, ſecundum, efficiens, tertium, materies. Vel aliter ſic: in qualibet re participata tria ſunt, primum eſſe, ſecundum eſſentia, tertium limitatio, ſiue ſuppoſitalis indiuiduatio. Primum ab efficiente à quo res fit actu, ſecundum ab exemplari à quo ſpeciem ſumit: tertium, à materia fit à qua rei ratio recipitur, limitatur, & numeranda diſpergitur, vt ex dicendis conſtabit. Quod ſi quis dicat ideam, cùm ſit Deus ipſe, non poſſe diuerſum à Deo principium facere;

Reſpondebunt Platonici, ſufficere quòd idea vt ſpecificans eſſentiam, ratione diſtinguatur à Deo vt efficiente: ſicut priuatio ſecundum Ariſtotelem, tametſi à materia ſolùm differat ratione, diuerſum tamen ab ipſa principij genus inducit. Hæc autem tria ſecundùm Platonem aliunde non participantur, de Deo, & de exemplari certum eſt; materiam verò à Deo non fuiſſe productam, ſed ſuppoſitam quibuſdam videtur aſſerere: ſed de hoc aliàs; quidquid ſit, tametſi ſit à Deo condita, eſt nihilominus prima potentialitas & hac ratione non ſit aliunde quaſi ab alia priore potentialitate. Inſuper nouit ipſe formam receptam in materia, itemque priuationem vt dicemus: ſed neutram principium fecit: non formam, quia participatio eſt, non priuationem, quia non ens, ſeu nihil eſt.

Ariſtoteles, corporum principia intra ipſorum corporum ſepta requiſiuit; ideo neque Deum quem forte mundi authorem, ſeu cauſam efficientem eſſe noluit, ſi credimus Auerroi, &c. neque ideam (quam, in Deo ſi non forte ſit inficiatus, certe negauit in res productas influere) principiorum Catalogo inſcripſit. Quidquid ſit, hæc duo non enumerauit, eò quòd metas rerum Phyſicarum videantur excedere: materiam verò, formam genitam, & priuationem admiſit, vt veterum dogmata proſcriberet: materiam, ne creationem, qua è nihilo res prodirent, admitteret; formam, ne ſola materia tota rerum naturam,

Phyſica,

& ſubſtantiam conflare videretur; priuationem, ne formæ crederentur omnino latitare in materia, quaſi per ſolam diſgregationem inde cum videntur gigni, extraherentur. Ergo propter materiam, quidquid gignitur, ex aliquo præiacente fit: ob formam, omnis ſubſtantia Phyſica componitur ex duobus, quorum alterum eſt potentia communis: alterum actus determinans. Ob priuationem, formæ priùs actu non erant, quæ deinceps actu eſſe incipiunt. Dixi, actu non erant: quia fuere, qui duo extrema aſſererent; alij aiebant formas omnino præexiſtere, ideo nihil noui generari: alij formas omnino non præexiſtere, ideo è nihilo eas fieri. Ariſtoteles medium amplexus dixit, formas nec omnino non præfuiſſe, nec omnino præfuiſſe: ſed præfuiſſe poteſtate, non præfuiſſe actu.

Notandum porro hic eſt, cur tria generationis rerum principia definitè ab Ariſtotele conſtituantur. Hoc duobus axiomatibus ſtabiliuit, primum *è nihilo nihil fit*: ſecundum, *Quodlibet ex oppoſito, ſeu ex contrario .i. ex non eſſe ſui fit*. Hæc duo paſſim in ll. Phyſ. ingeminat, (an verò creationem admiſerit dicetur initio lib. de mundo,) & inductione, exemplis & à paritate artificioſorum probat. Hinc ſic licet argumentari: generatio eſt tranſmutatio, in omni autem tranſmutatione hæc tria inſunt, primò terminus ad quem, qui ſpeciem tribuit, ſecundò, ſubiectum, ex quo inexiſtente res fit: alioquin fieret ex nihilo; tertiò, terminus à quo qui eſt ipſa priuatio termini ad quem, vt ex oppoſito fiat, id eſt, ex non eſſe ſui, vt calidum ex non calido, Viuens ex non viuente: hæc tria ipſam definitionem generationis & eſſentiam attinent; cætera vt efficiens, forma præuia, &c. non ſic: extrinſece enim ad illam ſe habent, & potius ad eius exiſtentiam, quàm ad eſſentiam ordinantur: ſic nec plura nec pauciora ſunt principia.

Plato & Ariſtoteles iterum conueniunt in definitione principij: Ille *In Phædro*, ait, *principij nullam eſſe originem, quoniam ex principio oriri debent omnia; ipſum autem naſci ex alio non poteſt*. Ariſt. 1. Phyſ. 5. *Oportet*, inquit, *Principia neque ex ſe inuicem eſſe, neque item ex alijs, ex ipſis verò eſſe omnia*. Quæ verba ſic debent intelligi, vt principium non poſſit eſſe ex alio, vel tanquam ex componente, vel in eodem genere principij. v. g. forma fit ex materia, ſed neque ex illa componitur; neque etiam ex illa fit in genere principij formalis. Cæterum in rebus poſſunt duo conſiderari, primum earum conſtitutio; ſecundum productio. Hinc certum eſt ſolam materiam & formam genitam eſſe principia conſtitutionis. Neque hoc negat Plato, imò diſertè ſtatuit in Philebo, *primum igitur*, inquit, *infinitum dico, ſecundum terminum, tertium mixtam ex ijs, genitamque eſſentiam*. Conſtat autem per infinitum, materiam; & per terminum, formam deſignari; vt ſuprà dictum eſt: atque ita materiam facit partem alteram, ex qua inexiſtente componitur mixtum naturale, & hoc nota.

Quoad productionem verò mallem equidem ſequi Platonis ternarium, quam Ariſtotelis: primò, quia abſoluta ratio principij, Deo & Ideis multò magis competit, quàm formæ productæ, & priuationi. Sa-

453

ne quod ſimpliciter eſt principium productionis, id debuit eſſe ſimpliciter improductum: forma autem genita nequit eſſe improducta, niſi ſecundum quid .i. in quodam genere. Dices; materia eſt principium productionis & tamen non eſt ſimpliciter improducta. Reſp. materiam in prima rerum creatione non fuiſſe principium, quia fuit creata: deinceps verò in ſubſecutis generationibus eſt principium, quia exinde eſt ſimpliciter improducta. Secundò, quia priuatio vt diſtincta à materia, eſt non ens, quod quomodo vere poſſit eſſe principium, equidem concipere potui nunquam, fateor quidem eam eſſe connotatum quoddam eſſentiale, vt ens ex non ente fiat, ſeu vt res quæ fit, incipere cenſeatur. At non propterea notionem principij germanam ac propriam vellem illi concedere: quia principium hoc loco initiandi, vel influendi vim quandam denotat, quæ non enti nuſquam conuenit. Verùm non eſt, cur in hoc nuntium remittamus Ariſtoteli: ipſe enim priuationem ſolum facit principium per accidens, vt principia poſſint contraria exhiberi; in quo illi non aduerſatur Plato: nam ipſe in Phœdone conſtituens terminos ortus & interitus, ait cuncta fieri ex contrarijs, & contraria conſtitui, terminos tranſmutationis, quæ omnia in formam & priuationem rediguntur: & hoc ab illo didicit Ariſtoteles.

Inſuper Plato & Ariſtoteles conueniunt in deſcriptione materiæ, quamquam Ariſt. multorum haberi velit Inuentor, quæ inculcat neglecta, vel ignorata fuiſſe ab alijs, inter quos ſanè Platonem frequenter innuit: cùm tamen ab ipſo hæc vt plurimùm mutuetur.

Primò Plato materiam dicit eſſe ſubiectum formarum informe, ſeu ens ſolùm in potentia. Hinc in Timæo de illa iſtud ait, quòd *à propria potentia recedit nunquam: ſuſcipit enim ſemper omnia, nec vllam vnquam ſibi formam contrahit: omnis ſane natura fictioni ſubiecta eſt, agitataque ab ingredientibus & figurata quodammodo, aliàs aliter ſe habere videtur.*

Quæ vero ingrediuntur, & exeunt, verè ac ſemper exiſtentium ſimulachra ſunt miro, & vix explicabili modo ab ÿs entibus, quæ verè ſunt, figurata, vt deinceps narrabimus. Tria *In præſenti genera ſumenda ſunt, vnum quod gignitur: aliud in quo gignitur: aliud à quo ſimilitudinem trahit, quod naſcitur. Quod recipit, matri; vnde recipit, patri; naturam iſtorum mediam, proli comparamus. Sed ita intelligendum eſt, quod cùm eſſe debeat effigies rerum omni formarum varietate diſtincta, nunquam illud ipſum formationis huius gremium bene erit præparatum, niſi informe ſit*, &c. idque probat 3. exemplis, primo auri, cuius natura omnium figurarum expers ideo debet eſſe, quia omnium capax eſt. Secundò ceræ, quæ dum apparatur varijs figuris ſuſcipiendis, omnibus quoad fieri poteſt debet exui. Tertio vnguenti, quod ex humida fit materia, quæ odorem proprium nullum habeat. Deinde ſubdit; *Quamobrem vniuerſi, quod genitum eſt, & ſenſibus omnibus manifeſtum, matrem ipſam receptaculumque, neque terram, neque aerem, neque ignem, neque aquam eſſe dicamus, neque rurſus ex his aliquid conſtitutum, aut aliqua ex quibus propriè hæc ipſa ſubſiſtunt: ſed inuiſibilem potius ſpeciem quandam, & informem ſi-*

rum omnium capacem, qui modo quodam ambiguo, & vix explicabili diuinæ & intelligibilis naturæ ſit particeps, ipſe quidem comprehendi per ſe nullo pacto valet: ſed quantùm ex ſupradictis naturam eius attingere licet. Et infrà, tria diſtinguit, primum ideam immutabilem, ſecundum formam productam ideæ cognominem & affinem, *Quæ fertur & ſuſtentatur ab alio ſemper, & inde recedit.* Tertium materiam ceu locum, qui *interit quidem nunquam, ſed omnibus quæ gignuntur, ſedem exhibet & ſine tangentis ſenſu tangitur, adulterina ratione vix opinabilis*, vocatur locus formarum, eo ſcilicet modo, quo Ariſt. mentem noſtram vocat locum ſpecierum .i. ſubiectum. *lib.3. de anima.*

Ita Plato conſiderat materiam primam, ſicut quoddam rude inchoamentum rerum Phyſicarum, quod Deus polit & exornat dum ſuarum in eo idearum veluti radios .i. formas participatas imprimit: ideo illud ſecundum ſe nullius ideæ charactere formatur, quod ſecundùm idioma Platonicum nihil aliud ſonat, niſi quòd nullam propriè eſſentiam habeat, ſitque omni actu formali penitus deſtitutum, quod alio etiam nomine infinitum vocat: hinc colliges quam multa de materia diſcipulus eius Ariſtoteles ab eo excerpſerit, nempe ſequentia.

1 Phyſ. t. 82 PRIMVM, quòd materia ſit primum ſubiectum, ex quo inexiſtente per ſe fit compoſitum naturale.

1 Phyſ. t. 75. & 79. SECVNDVM, quòd ſit partim ens & partim non ens: ens quia ſubiectum eſt; non ens, quia informe. Ita iuxta Platonem materia eſt non ens, quia eſt infrà verorum entium, id eſt, idearum participationes ſiue ſimulachra.

TERTIVM, quòd materia nullam determinatam habeat eſſentiam; nam in 7. & 10. Met. dicitur non eſſe quid, neque quantùm, &c. ſed hæc omnia in potentia.

1 Phyſ. 69. 7. Met. QVARTVM, quòd per ſe ignota ſit: atque ex ſola quadam analogia ad res artificioſas declaranda.

1. Ph. t. 80. QVINTVM, quòd ſit cauſa generationum, vt mater.

1. Phyſ. 81. SEXTVM, quòd ſe habeat ad formam, vt quid turpe ad bonum ſuum diuinum, & appetibile.

1. Ph. t. 82. SEPTIMVM, quòd per ſe incorruptibilis ſit.

OCTAVVM, quòd diſtinguatur à quatuor elementis: hoc enim clariſſimè affirmat Plato.

NONVM, quod elementa ex materia prima componantur: ait enim Plato partem materiæ ignitam eſſe ignem, & partem humefactam eſſe aquam.

DECIMVM, quòd illa ita ſit à ſingulis ſuis formis ſeparabilis, vt eſſe nequeat ſine vllis. Ideoque ingredientium & exeuntium formarum viciſſitudine agitetur: vnde miror cur Ariſtoteles Platoni oppoſitum affinxerit 2. de gener. t. 4.

Iam quoad priuationem. Euidenter Plato eam in materia præſupponit vt poſſit formam oppoſitam ſuſcipere: ſic enim ait; *Nam ſi erit alicuius eorum, quæ in ſe recipit ſimile; cùm contrariam eius, cuius ſimile eſt naturam, aut aliam prorſus ſuſcipiet, nequaquam eius ſimilitudinem,*

& effigiem exprimet, cum præſe tulerit ſuam. Quo fit vt nullam ſibi propriam habeat ſpeciem, quod eſt omnia genera ſuſcepturum. Imo quod ait in Lyſide bene explicat quomodo priuatio ſit accidentalis materiæ, & materia non ſit per ſe mala, & inde formam appetat: ait enim id quod eſt per ſe, & ex natura ſua malum, non poſſe appetere bonum, ſed ſolum quod eſt malum per accidens: & ſubdit, *Quod appetit, illud quo indiget appetit, indigum itaque appetit id quo indiget, & eget quodlibet eo quo eſt priuatum.* Ergo cum materia bonum .i. formam appetat, ſequitur eam non eſſe per ſe malam .i. eſſentialiter priuatam formis. Hoc etiam docet Ariſt. 1. Phyſ. t. 81.

Denique quoad formas: Plato ſubſtantiales admiſit, eaſque in gremio materiæ natas, & hactenus Ariſtoteli non repugnat. Verùm has ab ideis in diuina mente exiſtentibus in materiam cenſuit imprimi, qua in re ab Ariſtotele impugnatur: ipſe tamen Ariſtoteles formis ectypis .i. participatis ea concedit, quæ Plato ſolis ideis: vt cùm 2. *Ph. t.* 28. formam vocat rationem, exemplar, & quod quid erat eſſe rei, & 1. *Ph.* 81. eandem vocat quidpiam diuinum, bonum, & appetibile. Hæc de principiorum opinionibus ſufficiant.

CAPVT IV.

DE MATERIÆ PRIMÆ exiſtentia.

§. 1.

Exponitur quæſtio.

EA quæ diximus de numero principiorum ſecundum doctrinam Platonis & Ariſtotelis hactenus ſufficere poſſe ſum arbitratus, interim ad eundem illum numerum corroborandum noua ex dicendis argumenta ſuggerentur. Quamobrem videndum modo an ſit materia prima, quid ſit, quotuplex, qualis & cur. Idem de forma deinceps, ac de priuatione.

Patres Orthodoxi vt plurimùm materiam hanc explodunt. S. Baſil. 1. Hexaem. S. Greg. Nyſſ. l. de creat. hom. c. 25. Euſeb. l. 7. de Euang. præpar. c. 8. Origenes, Lactantius, &c.

Alij contrà omnes admittunt. D. Aug. paſſim cum omnibus D.D. Scholaſticis, &c.

Nota materiam à priſcis Philoſophis excogitatam fuiſſe vt eſſet ſubiectum aliquod ſine quo non poſſet Deus quidquam producere. Hinc Deo illam coæternam faciebant. Ita ſenſit Ariſtoteles, & forte Plato: ſecus orthodoxi, eam enim admittunt, ſolùm vt ſit ſubiectum muta-

tionum naturalium, quibus res aliæ in alias tranſmutantur.

§. 2.

Quæſtionis ſolutio.

CONCL. prima. Materia iuxtà priorem ſenſum non eſt admittenda. Hoc volunt SS. Patres: patet quia ſic rerum creatio negaretur, contrà illud Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Sane grauiſſimum contra fidem erratum eſſet aſſerere aliquid præter Deum, ab æterno ingenitum, plura in hanc ſententiam legi poſſunt apud ſanctos ſuprà cit.

CONCL. ſecunda. Admittenda eſt materia prima iuxta poſteriorem ſenſum: hoc maximè perſuadet ſenſus vnanimis omnium fere Doctorum, ac virorum illuſtrium. Poteſtque vlterius comprobari, primò, authoritate diuina, quia Sap. 11. dicitur Deus feciſſe *Orbem terrarum ex materia inuiſa*: ſecundò, quia quæ generantur, ea ex aliquo antecedente fiant, neceſſe eſt: alioquin non generari hæc, ſed creari dicenda eſſent. Illud autem ex quo aliquid fit, eius materia eſt, vt patet in rebus artificioſis.

Dices generationem forte ſatis à creatione diſtingui, ſi quis diceret creationem eſſe rei alicuius ſecundùm ſe totam ex nihilo traductionem. Generationem verò eſſe vnius totius & ſimplicis ſubſtantiæ conuerſionem in aliam totam, & ſimplicem ſubſtantiam: id quod poſſet explicari ſic: dum v. g. creatur terra, nihil fuit antea quod in illam conuerſum ſit. Ideo ſola Dei operatione ſine præuia diſpoſitione producitur; dum verò ex aqua generatur, præfuit ipſa aqua, quæ quidem actione agentium naturalium præparata fuit, & quaſi appropinquata per diſpoſitiones accidentales ad rationem & eſſentiam terræ, dum nempe denſatur, ſiccatur, &c: ita vt cum in vltimum terminum huius aſſimilationis prærequiſitæ aqua peruenerit, tunc aqua permutetur in terram, id eſt, ceſſet eſſe aqua, & incipiat eſſe terra, & ſi quis opponat inde non poſſe adduci diſcrimen, quo generatio naturalis diſtinguatur à conuerſione miraculoſa, qualis v. g. fuit conuerſio aquæ in vinum: & conuerſio panis in corpus Domini: Ad hoc dici poſſet, in generatione naturali duo reperiri: primum quod in ſubſtantia permutanda præcedat diſpoſitio approximans, ſecundum, quòd noua ſubſtantia fiat vi talis approximationis quorum neutrum contingit conuerſionibus miraculoſis. Et ſi quis vlterius vrgeret non poſſe euitari, quin in viuentibus eſſent duæ partiales ſubſtantiæ; quarum altera ſit anima, & altera materia, ad hoc dici poſſet partem diſtinctam ab anima eſſe completam in ratione corporis, ex ea tamen & ex anima fieri totum viuens, reſpondens vni per ſe ideæ: à qua ſemper peti debet vnitas ſpecifica rei cuiuſlibet.

Reſpondeo id mihi non videri omnino improbabile, & certe non paucæ difficultates quibus multum premitur hæc materiæ affirmatio,

euaneſcerent. Aliunde antiquorum præſertim SS. Patrum authoritas ſatis multa patrocinaretur. Nihilominus prædicta noſtra tenenda eſt aſſertio: & ad obiectionem ita reſpondendum: in huiuſcemodi conuerſione naturali v. g. aquæ in terram, vel aliquid aquæ-ſubſtantiale manet in terra, vel non: ſi primum, illud materia prima eſt; ſi ſecundum, certè non magis ſubſtantialiter ex aqua fieret terra, quam ex pane corpus Chriſti: quia tam verè tota ſubſtantia aquæ deſineret, quam verè deſinit tota ſubſtantia panis. Cætera ſi qua ſunt diſcriminis ſigna, hæc ad ſolam cauſalitatem pertinent, non ad eſſentiam conuerſionis: vnde hæc quoad eſſentiam vtrobique eadem foret; adde quòd difficillimè reddi poſſet eſſentiale creationis à generatione diſcrimen. Nam quid eſt terram ex nihilo fieri? Certè non aliud, quam terram totam ita produci, vt nihil eius antea fuerit, ſeu ex nulla re quæ priùs quoquo pacto fuerit, eam conſtare: at ſi nihil ſubſtantiale ſit in terra genita, quod in aqua præceſſerit, an non ea quæ diximus, intercurrent?

CAPVT V.

DE MATERIÆ ESSENTIA.

§. I.

Quæſtio explicatur.

HIc mirè inter ſe digladiantur Philoſophi, ex quo alij aliter materiæ ſpeciem ſuo fingunt in animo, alia quoque de ipſa internè atque eſſentialiter deprædicant. Conueniunt tamen omnes primo quòd ſit ens & ſubſtantia: ita Ariſt. 1. Ph. t. 79. 7. Met. t. 7. &c. Ratio eſt, quia neque nihil eſt, neque accidens: aliunde pars ſubſtantiæ eſt, ergo ſubſtantialis. Secundo, quòd ſit ſubſtantia incompleta, & ens tantummòdo in potentia. Ita Ariſt. 7. Met. t. 7. & 8. & 12. l. t. 7. &c. tertiò, quòd per ſe indefinita, & indeterminata ſit, omnemque ſuam determinationem, atque perfectionem formalem à forma recipiat. Hinc ab Ariſt. ad formam, velut turpe quid, ad pulchrum comparatur 1. Ph. t. 81.

Quæritur autem primo vtrum tale ens in potentia ſit expers omnis actus, an verò aliquem ſibi proprium habeat, quo & tale ens actu ſit, & exiſtat: ſecundò, an potentia, qua formas ſuſcipere apta eſt, ſit eius eſſentia, an proprietas.

Quoad primum, tres ſunt præcipuæ ſententiæ, prima quorundam veterum qui rebus ſingulis ſimplicem ſubſtantiam aſſignabant, eamque nuncupabant materiam; & quæ præter illam erant, omnia ſolùm accidentia dicebant. Secundum illos ſola materia erat ens; atque illi ſoli competebat actus eſſendi, vt aiunt, & exiſtendi, & per ſe ſubſi-

ſtendi, hæc opinio à Platone primùm, deinde ab Ariſtotele clarè reiecta fuit.

Secunda opinio fuit Scoti 2. d. 12. & 7. Met. atque aliorum, quòd ſcilicet materiæ competat per ſe quidam actus exiſtendi dictus entitatiuus, quo materia ſit actu ens ſeipſo poſitum extra cauſas. Illi autem actui volunt in mente Dei reſpondere diſtinctam ideam; item per illum materiam aptam effici vt intelligatur. Similiter per eundem actum fuiſſe terminatam creationem materiæ: denique per illum poſſe materiam conſeruari ſine omni forma; præter hunc alium agnoſcunt, quem formalem vocant à forma ſcilicet prouenientem; his duobus actibus duas potentias opponunt, primo, potentiam obiectiuam, ſecundo ſubiectiuam: potentiam obiectiuam appellant, qua res poſſe fieri dicuntur. Hanc nolunt eſſe potentiam actiuam agentium, à quibus res fiunt; neque paſſiuam, in qua recipiuntur; ſed mediam: potentiam ſubiectiuam vocant eam quâ materia recipit formas.

Tertia opinio eſt D. Thomæ, & quàm plurium aliorum. Quòd materiæ nullus omnino ex ſe actus competat: neque eſſendi, neque exiſtendi, eo quòd ens in potentia ſolùm ſit, ſeu ens poteſtate. Dicitur enim 1. p. q. 7. a. 7. *Materia non exiſtit in rerum natura per ſeipſam; cum non ſit ens actu: ſed potentia tantùm.* Hinc nec per ſe intelligi eam poſſe, neque ſeorſum ſine forma exiſtere. Ab his itaque D D. materia non conſideratur eſſe in rerum natura tanquam ſpecies aliqua, neque habens certam vllam naturam, ſiue rationem entis ſpecialem: ſed velut confuſum quoddam, & commune, & indefinitum inchoamentum ſpecierum entis. Ita Zabarella; qui poſt D. Th. conſequenter aſſerit illi nullam in mente Dei propriam ideam reſpondere, quæ ſit diſtincta ab idea compoſiti. Ita etiam Platonici ex profeſſo vt *Plotinus*,

Enn. 3. l. 6. *Porphyrius*, &c.

l. de occaſ.

cap. 11.

§. 2.

Soluitur quæſtio.

CONCLVSIO. Hæc tertia opinio probabilior eſt: probatur, primo ex Ariſt. qui euidenter 1. de ortu & interitu materiam ait eſ-

Tit. 11. ſe *Ens poteſtate*, & actu non ens: item eſſe *Subſtantiam poteſtate, non a-*

10. Met. 24. *ctu*, rurſus *eam neque quid, neque quantum, neque quale, &c. neque hoc aliquid eſſe actu; ſed hæc omnia in potentia:* Et eam negatione oſtendi. Præterea ex Ariſtotele in quolibet genere reperitur potentia & actus: vnde D. Th.

1. Ph. t. 79 *Vt potentia ad quantitatem non eſt aliquid extra genus quantitatis: ita potentia ad eſſe ſubſtantiæ non eſt aliquid extra genus ſubſtantiæ.* Talis autem potentia eſt materia: ergo illi per ſe opponitur actus in genere ſubſtantiæ; quomodo igitur illi per ſe competeret; ſi debet opponi? Enimuero ſi per ſe aliquis actus conuenit, vel accidentalis eſt, vel ſubſtantialis: non accidentalis; quia is extra rationem ſubſtantiæ, eâque ſemper poſterior eſt; non ſubſtantialis, ſiquidem opponitur materiæ

tanquam potentiæ ſubſtantiali reciprocæ. Ergo nullus: Hinc Ariſtotel. *Tripliciter*, inquit, *dicitur ſubſtantia: hæc quidem vt forma; illa vt materia, tertia ex vtriſque, materia quidem potentia; forma autem actus*, &c. 2. De anima t. 25.

Item actus entitatiuus eſt ille, quo res exiſtunt, ſed iuxta Ariſt. forma eſt id quo res exiſtunt: nam 5. Met. t. 15. *Hæc dicuntur ſubſtantia, quoniam non dicuntur de ſubiecto. Alio verò modo, quodcunque fuerit cauſa exiſtentia, talibuſque inexiſtens, quæ non dicuntur de ſubiecto, vt anima animali*. En quomodo à ſola forma ſolùm prodit ille actus, quem vocitant entitatiuum: hæc certè omnia conuincunt Ariſtotelem fuiſſe perſuaſum, quòd materia nullum actum habeat. Alioquin cur non eſſet hoc aliquid? Cur per illum non poſſet intelligi? Cur forma illi cauſa eſſet vt exiſteret? &c. cur diceret actu nihil eſſe eorum quæ in prædicamentis continentur? quis neſcit omnia quæ ſunt aliquid actu ſub illorum ſerie fuiſſe comprehenſa? Ita quoque antiqui omnes peripatetici, *Auerrores, Auic.* &c.

Idem Platonici omnes ſenſerunt, inſtar omnium Plotinus erit, qui de materia ſic ait, *Cùm neque anima ſit, neque mens, neque vita, neque ſpecies, neque ratio, neque etiam terminus, eſt indefinitas quædam. Merito non ens eſt, & quando quis non videt, tunc quodammodo præſens: quando verò quis intentiùs incipit, non perſpectum*, &c. & Enn. 2. *At verò materiam ipſam, quam eſſe omnia entia in potentia indicamus, quinam eſſe actu aliquid entium aſſerere poſſumus?* Enn. 3. l. 6. L 5 cap 4.

Hinc etiam D. Auguſt. lib. 12. Confeſſ. cap. 8. *Tu Domine feciſti mundum de materia informi, quam feciſti de nulla re pene nullam rem, vnde feceris magna, quæ mirantur filij hominum*, & cap. 7. eam vocat ens prope nihil, quo nihil inferiùs, c. 6. ait, *Hæc quid eſt? Nunquid animus? Nunquid corpus? Nunquid ſpecies animi, vel corporis? Si dici poſſet, nihil aliquid eſt*. Denique cap. 5. *Conatur*, inquit, *humana cogitatio, eam vel noſſe ignorando; vel ignorare noſcendo.*

Probatur ratione ſic: quod ſecundum omnem rationem entis per ſe indeterminatum eſt, & determinabile per omnes actus ſpecierum entis qui ſunt in natura poſſibiles, nullũ actum entis includit. Sed materia prima eſt huiuſmodi: ergo. Ma. ſatis per ſe patet, explicatur tamen ſic: omnis actus eſt terminus alicuius potentiæ, qua ſcilicet aliqua ratio entis in ſpeciali poteſt participari, vt patet inductione v. g. aër poteſt participare rationem entis lucidi. Terminus ſiue terminatio huius potentiæ eſt actus lucidi, &c. vel aliter: omnis actus eſt terminus alicuius operationis, qua communicatur aliqua ratio entis, ſicut actus lucidi eſt terminus operationis, qua ſol illuminat aërem. Ita actus entis ſemper eſt terminus operationis, qua Deus peculiarem rationem entis, quod in mente præhabet, exprimit extra ſe, hinc actus eſt expreſſio & energia entis ſe foras prodentis, vt colligitur ex Ariſt. 9. Met. & diuerſus actus eſt diuerſa expreſſio entis. Secundùm hæc ergo euidens eſt nullum poſſe admitti actum entis in materia, niſi continuo ipſa foret determinata ſecundùm aliquam rationem entis, ſicut impoſſibile eſt, vt ſit vllus actus coloris in corpore, niſi & hoc deter-

minatum ſit ſecundùm aliquam rationem ſeu ſpeciem coloris: quare ab oppoſito, quod eſt indeterminatum ſecundum omnem rationem entis, certè omni actu deſtitutum per ſe eſt. Vnde & oritur, vt ſit ens purè ac ſimpliciter determinabil, & indifferẽs ad omnes actus qui ſunt poſſibiles in natura Quod ſi ita eſt, neceſſariò nullos actus ex ſe habet.

Mi. ſcilicet quòd materia prima ſit tale ens, patet primò ex illo veterum omnium axiomate, quòd materia non ſit actu vlium ens, ſed omnia in potentia. Secundò, quia 9. Met. t. 1 & alibi ens reale diuiditur in potentiam & actum, ergo potentia entis, quæ ab actu contrà diſtinguitur eſt realis: ſub huiuſmodi autem potentiâ certè Ariſt. includit potentiam paſſiuam materiæ, vt patet ex t. 2. Confirmatur, quæ diuidunt ens naturale, provt primò eſt diuiſibile in potentiam realem, & actum realem, debent eſſe pura potentia realis, & purus actus realis: ſed materia & forma diuidunt ens naturale, provt primò diuiſibile eſt in potentiam & actum; ergo in ente naturali materia eſt pura potentia realis, & forma purus actus realis, nec actus in materia debet includi, ſicut neque potentia in forma. Alioquin membra diuidentia æquarentur diuiſo.

Ad hæc communis reſponſio eſt, quòd materia ſit pura potentia in genere entis incompleti: quòdque ſit indeterminata ſecundùm omnem talem rationem entis Phyſici completi, & determinabilis per omnes actus formales poſſibiles: interim determinata per actum entitatiuum, & reſolubilis in potentiam obiectiuam, & actum illum entitatiuum.

Contrà: omne ens conſtans propria potentia & proprio actu, eſt ens completum in genere entis: conſtat enim ex primis, & adæquatis membris componentibus ens; quæ ſunt potentia & actus, ergo eſt etiam completa ſpecies entis, ſiquidem ex ſpeciali potentia & ſpeciali actu eſt: quid ergo deeſt? Dices: quia ordinatur ad compoſitum aliud conficiendum: contrà, Elementum ordinatur ad mixtum, & nihilominus eſt completa quædam ſpecies entis Phyſici: ergo quidni talis eſſet & materia?

Secundò, illa potentia obiectiua nihil eſt. Ergo ens reale & naturale non poteſt diuidi vel reſolui in illam. Antec. patet, quia neque ipſa ſubiectum cuiuſquam eſt, neque in ſubiecto: neque à potentia actiua creatoris vllo pacto diſtinguitur.

Tertiò, ſi materia determinabilis eſt ab omnibus actibus formalibus, quæro an vel immediatè per ſe ipsā vt eſt potentia pura, vel per actũ entitatiuum. Si primum, ergo ſuperfluus eſt iſte actus; nam ob nihil aliud materia ponitur niſi vt ſit ſubiectum tranſmutabile: ſi ſecundum contrà; materia per actum ſuum eſt determinata vt ſic, ergo per illum nequit eſſe determinabilis. Quomodo enim per actum fieret in potentia? Confirmatur ex D. Th. q. de pot. 7. a. 2. ad 9. *Neque intelligendum eſt, quòd ei quod dico eſſe, aliquid addatur, quod ſit eo formalius, ipſum determinans, ſicut actus potentiam.* Dices materia per actum formalem ſubſtantialem fit in potentia ad actus accidentales; cur etiam per

actum

457

actum entitatiuum non fiet in potentia ad actum ſubſtantialem? Reſp. negando antec. quia non materia per formam fit in potentia, ſed ipſum potius ens formatum, per materiam reſtat in potentia, quia enim forma ſola deficit à completa perfectione ſpeciei: ideo totum ex illa, & materia remanet determinabile vlteriùs; ſed vnde fit vt ita deficiat à totali perfectione ſpeciei, niſi ex imperfectione materiæ, cuius ſuſceptione limitatur? Ita in eius potentialitatem refundi debet omnis defectus perfectionis in formis, & ab ea radicaliter omnis reliqua potentialitas emanat.

Multa huc congeri poſſent argumenta: ſed iſta ſufficient, alia legi poſſunt in alijs. Solùm addam maioris explicationis gratiâ non eſſe concipiendam materiam velut rem aliquam certæ, determinatæque naturæ, quæ per ſeipſam exiſtat. Sed ſolùm vt ens vno ſolum gradu potentialitatis realis à nihilo diſterminatum, cui nihil aliud conueniat, quam quòd ſit nonnihil pure tranſmutabile ſicut alter Protheus, in omnem ſpeciem entis naturalis per informationem cuiuſcunque formæ: ipſum interim ex ſeipſo nullum habens entis actualis & determinati characterem: id eruditè declarat D. Aug. 12. Confeſſ. c. 6. *Intendi*, inquit, *in ipſa corporea, eorumque mutabilitatem altiùs inſpexi, qua deſinunt eſſe quod fuerant, & incipiunt eſſe quod non erant: eundemque tranſitum de forma in formam, per informe quiddam fieri ſuſpicatus ſum, non per omnino nihil: mutabilitas enim rerum mutabilium, capax ipſa eſt formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles.* Certe ex ijs facillimè ſoluuntur omnia quæ de materia dici poſſunt.

§. 2.

Quædam ex dictis inferuntur.

PRIMO, infertur rectiſſimè à Platonicis eſſentiam materiæ declarari, dum aiunt eam eſſe *Infinitum*, ſe enim habet ad omnes formas rerum Phyſicarum, ſicut ipſa multitudo indefinita ad differentias numerorum, V. Plotin. Enn. 2. l. 4. cap. 15. *Dicendum*, inquit, *Materiam ex ſeipſa infinitum eſſe oppoſitione quadam ad rationem* .i. ad principium formale à quo deſumitur ipſa rei cuiuſque definitio: quod quidem eſt vel forma vel ſpecies per formam conſtituta. Hinc enim forma ſeu ratio, terminus, finiſue appellatur; & per oppoſitum materia, *Infinitum*.

Pergit autem Plotinus: *Ipſa igitur eſt infinitum, quandoquidem, & in mundo intelligibili materia eſt ipſum infinitum: quod quidem forſan fit ex ipſa vnius infinitate ſeu potentia, ſeu æternitate. Adeo vt in ipſo vno non ſit infinitas, ſed ipſum ſit infinitatis auctor*: de hoc infinito plura diximus ſuprà, hic ſolùm adnotabis ea, quæ in hoc mundo ſenſibili ſunt, reſpondere per omnia, ijs, quæ in mundo intelligibili vigent; quanquam non ſecundùm eandem rationem; ſed ſecundum analogiam. Ita forma ideis, materia ipſi totius entis plenitudini & abyſſo, & veluti

centro correſpondet.

Secundò infertur materiam per ſe intelligi non poſſe: etenim intelligi quidquam nequit, ſi definiri non poſſit; diffiniri autem non poteſt, quod nullam propriè rationem entis determinatam habet. Talis eſt materia prima, ergo.

Tertiò infertur materiam per ſeipſam non exiſtere, ſiquidem exiſtentia eſt actus. *Actus*, inquit Ariſt. 9. Met. t. 10. *Eſt rem exiſtere*, & quidem hoc eſt à forma, vt ſuprà ex 5. Met. t. 15. Item, dum materia informatur, certè actuatur à forma. Vel ergo vt ſic actuetur exiſtit actu per ipſam exiſtentiam formæ, vel non: ſi primum, ergo fruſtra in materia fingis exiſtentiam propriam; vt omittam vix poſſe concipi, qua ratione à duabus exiſtentijs ſubſtantialibus idem poſſit ſubiectum actuari: nam vel immediatè ab ambabus; vel ab vna per alteram: non primum, quia defectu ſubordinationis, inordinatè profectò exiſteret: & nonne per vnam exiſteret actu? Quid ergo per alteram? Non ſecundum, quia repugnat vt actus exerceat officium potentiæ; exerceret autem, ſi per illum aliquid fieret potens & capax exiſtendi, denique per nihil aliud materia ſuſcipit actum exiſtendi, quàm per puram potentialitatem. Ergo ſi per exiſtentiam actus entitatiui ſuſciperet exiſtentiam actus formalis, prior illa exiſtentia eſſet pura potentialitas.

Si autem dixeris materiam dum actuatur, non exiſtere per ipſam exiſtentiam formæ, quæram quomodo actuetur? Aut quid ſit actuari; ſi actus eſt rem exiſtere, quid eſt actu alicuius affici, niſi exiſtentiâ ipſius exiſtere? Item forma ſubſtantialis actuans materiam, an non illi dat eſſe ſimpliciter? Et quomodo eſſe ſpecificum conferet, niſi & entitatiuum, ſine quo nihil actu eſſet, infundat? Mitto cætera.

Quartò infertur materiam non poſſe ſine vlla forma omnino exiſtere: repugnat enim eam eſſe actu ſine actu, vt optimè D. Th. quodlib. 3. poſt Auerroëm & alios: item repugnat quidquam actu exiſtere ſi non ſit ens aliquod actu determinatam quandam ſpeciem entis participans. Sine forma nihil tale eſt: ergo. Item entitas multitudinis nunquam poteſt actu exiſtere ſine determinata forma & differentia numeri: ſed ita ſe habet materia. Ergo.

Quinto infertur non dari ſpecialem ideam materiæ, quia ideæ ſunt rationes & formæ principales ſecundùm quas formantur naturæ ſpecificæ rerum actu exiſtentium. Materia nihil eſt huiuſmodi: ergo. Deinde ſuprà diximus materiam correſpondere illi diuinitatis plenitudini, ex qua ideæ omnes prodeunt: ſic tamen vt quemadmodum abyſſus illa entis diuini eſt ſuper omne verè ens, quia eſt ſuper ideas; ita abyſſus iſta entis materialis ſit infra omne participatum ens, quia eſt infra formas ideatas. Nihilominus cum materia ſit pars ſubſtantiæ naturalis ſpecificæ, cuius datur idea in Deo: ſic reductiuè ſub ideas Dei cadit, & earum prouidentiâ, influxuque in compoſitis ſubſiſtit, ac permanet.

58

§. 3.

Soluuntur obiectiones.

OBijc. primo, id quod actu reperitur extra cauſas, habẽs entitatem realem diſtinctam ab omnib⁹ alijs, eſt ens actu: at materia eſt huiuſmodi. Ergo. Reſp. negando Ma. res enim habens entitatem realem potentialem poteſt reperiri extra cauſas actu, non proprio, ſed alieno; nempe actu informante, quare vt actu ita exiſtat, ſatis eſt, quòd ſit pars realis entis actualis: ens enim quod eſt actu, eſt quidem totum actu, licet vna ſola pars ſit actus, & altera potentia. Sicut compoſitum animatum eſt quidem totum animatum, licet altera ſola pars ſit anima.

Ob. ſecundò, materia definitur ſubiectum ex quo inexiſtente res fit. Ergo exiſtente. Reſp. vt priùs, materiam in exiſtere actu diſtincto & formali: ita dicimus materiam manere quidem actu ſub formis ſucceſſiuis ſecundùm eandem quidem entitatem potentiatem, ſed diuerſis & ſucceſſiuis actibus.

Ob. tertiò, totum actuale debet conſtare duabus partibus actualibus: ſed ex materia & forma fit totum actuale. Ergo. Reſp. vt ſuprà: nego ma. totum denominatur actuale non à duobus actibus, ſed ab vnico; quia ex duobus actibus non fit totum per ſe vnum, ſed ſolùm ex poteſtate, & actu. 2. De anim. t. 7. & 7. & 8. Met.

Ob. quartò, actus exiſtendi non diſtinguitur ab eſſentia rei exiſtentis, ſicut actus lucendi non diſtinguitur à luce. Ergo actus quo materia exiſtit, non diſtinguitur ab ipſa, Reſp. nego Ant. hæc enim duo diſtinguuntur vt potentia & actus. Item, eſſentia rei per ſe ab idea prouenit, eſſe verò à libera diuinæ voluntatis determinatione, vt dictum eſt in Log. c. 18. §. 2. Deinde, eſto licet eſſentia quælibet determinata ſuum ex ſe haberet actum exiſtendi, certè id de principio potentiali, & indefinito entis negandum eſſet omnino.

Ob. quintò, quæ diuerſis productionibus fiunt, aut conſeruantur, habent diuerſos actus, quibus exiſtant: quia productio terminatur ad actum, & diuerſa ad diuerſum; ſed materia & forma diuerſis productionibus fiunt, & conſeruantur. Ergo, hæc mi. probatur, quia materia creata eſt, non forma. Materia conſeruatur à ſolo creatore, & manet incorrupta, & non generatur, dum formæ corrumpuntur, vel generantur vi agentium naturalium, &c. Reſp. nego Mi. propriè. Quare diſtinguenda eſt duplex productio: vna diſtincta & propria; altera implicita & abuſiua: per primam ſolùm producitur id totum, quod exiſtere denominatur, ac incipit: per ſecundam verò, pars quælibet, dum incipit extra cauſas protrahi, vel nouo actu exiſtere. Sit vnica ſolùm actione fit compoſitum naturale: fit autem, dum quòd in illo eſt potentia, actuatur ab illo quod eſt actus. Ita contingit vt ſi vtraque pars antea nuſquam fuerit, vnica illa productione inci-

piat actu eſſe: nec tamen propriè pars potentialis creatur, licet non fiat ex ſubiecto .i. ex altera potentia, quia non fit niſi per creationem compoſiti: fitque dependenter ab actuali altera parte. At hoc totum dicitur creari, cùm nihil ſui priùs actu extiterit: quòd ſi pars potentialis ante productionem noui compoſiti extiterit, vti quotidie contingit, hæc non propriè generatur; ſed compoſitum: impropriè verò dici poteſt, quòd generatur vt & forma, quatenus vi talis generationis exiſtit nouo actu: vel ſolam formam ſic produci poſſumus dicere, quia ſola hæc ante non fuit. Vtrumuis dicatur, haud refert, quia abuſiua locutio eſt: ſufficit vt quoad veritatem teneamus materiam ſemper mutare actum, quo exiſtit, quoties noua fit forma, & nunquam eſſe vel fuiſſe ſine aliqua forma. Ideo ſi corrumpi dicatur id quod deſinit eſſe antiquo actu: ſic corrumpitur, ſed impropriè. Ita ſi generari item ſit ac ex nullo actu tranſire in nouum actum, materia poſt primam ſui creationem nunquam generatur; ſi ſit ex antiquo actu tranſire in nouum actum, generatur, ſed impropriè.

Ob. ſextò, quod ex ſe non eſt actu, ex ſe nihil eſt. Reſp. Id nego, quia potentia illi actui ſubſtrata, eſt quid reale: alioquin de potentia obiectiua quid dicent? certè à fortiori tenerentur ipſi dicere illam nihil eſſe: vel ſic diſtinguatur, quælibet res merè potentialis, dum ſub nullo actu eſt, ſimpliciter nihil eſt; at dum ſub actu eſt, etſi diſtincto, realis eſt & actualis.

Quæres cur ſaltem diuinitus non poſſit aliunde illi ſuppeditari exiſtentia, quam à forma, vt ſic Deo non negetur potentia illam ſine forma conſeruandi: quemadmodum reuera conſeruat accidens ſine ſubiecto.

Reſp. contradictionem in illo eſſe, quòd repugnet ens potentiale & indefinitum exiſtere ſine aliqua ratione ſpecifica & definiente: vnde non in hoc detrahitur diuinæ potentiæ; ſed materiæ debilitas demonſtratur. Sicut non minor eſt omnipotentia, licet multitudinem edere non poſſit, quæ ſub certum numeri terminum non adſtringatur. Quare non eſt idem de accidente, quia hoc entis aliquam habet rationem & actum.

Dices, in Chriſto Domino materia non exiſtit actu per formam rationalem, ſed per verbum diuinum, vt docet D. Th. 3. p. cur ergo non poſſet etiam per illud ſine forma conſeruari?

Reſp. certè nuſquam & à nullo aſſeri, quòd ſine forma extiterit, quia per illam debuit ad certum gradum eſſentiæ redigi; vt capax exiſtendi efficeretur.

Inſtabis: nunquid ſaltem anima Chriſti actuat & informat ſuam materiam, tametſi eſſe ſimpliciter ipſi non tribuat? Ergo aliud erit actuare, quàm dare illud eſſe ſimpliciter.

Reſp. quòd anima corpus informet per illud eſſe, quo ipſa exiſtit: hoc eſt, per eſſe Verbi, ita vt exiſtentia Verbi fiat primò exiſtentia animæ; deinde ſic facta exiſtentia animæ, communicatur mediante hac anima corpori: & rurſus anima mediante hoc eſſe Verbi dat corpori eſſe rationale & humanum. Sed de hoc in Theologia.

459

§. 4.

Quomodo potentia ſe habeat ad materiam.

DVPLEX diſtingui poteſt potentia materiæ: prima purè paſſiua, qua ſolùm capax ſuſcipiendi formas efficitur: ſecunda eductiua, ſecundùm quam dici ſolet formas materiales educi è potentia materiæ. De hac ardua aliàs orietur quæſtio: ſolùm ergo nunc de prima eſt ſermo.

Nonnulli celebres Peripatetici aſſeruerunt potentiam illam eſſe ſolùm proprietatem materiæ, non eſſentiam: adeoque accidens eam eſſe prædicamentale, &c. *Ita Zimara, Zabarella, Mercenarius, &c.*

CONCLVS. Ad eſſentiam materiæ pertinet illa potentia. Patet hoc primo, ex illo axiomate: in omni genere datur actus & potentia. Ergo cùm in genere ſubſtantiæ, forma ſit actus, in eodem materia debet eſſe potentia.

Secundò, forma vt actus vnitur immediatè materiæ ſub ratione propriæ ſuæ potentiæ, & ex ijs duabus immediatè iunctis fit vna per ſe ſubſtantia. Ergo potentia illa materiæ non eſt accidens: quia ſubſtantia prior eſt quocunque accidente.

Tertiò, ratio ſubiecti per ſe potentiam ſuſcipiendi formam includit: ſed eſſentia materiæ eſt ratio ſubiecti. Ergo eſſentia materiæ includit illam potentiam.

At, inquies, quomodo ergo potentia dicitur ſpecies qualitatis? Reſ. id de potentia ſolùm actiua, & actionum accidentalium effectrice intelligi, non de potentia paſſiua formarum ſubſtantialium ſuſceptrice.

Dices ſecundò; potentia innuit relationem ad actum: ſed materia ſecundùm eſſentiam non innuit relationem, quia eſt aliquid abſolutum. Ergo. Reſp. materiam ſecundùm eſſentiam non innuere relationem prædicamentalem, ſed innuere tranſcendentalem, quæ nullatenus obeſt entibus abſolutis. Nec ſane quidquam eſt quod aliqua tali relatione non aliò tendat. Aliunde quomodo poſſes tibi materiam fingere, quæ non illico cenſeatur, & verè ſit materia cuiuſdam formæ? Summùm hinc ſequitur potentiam à materia diſtingui ſolo reſpectu; ita vt ſub notione materiæ, ſola ſecundum ſe, ſub notione vero potentiæ conſideretur ſub reſpectu ad formas.

Denique contrarium videntur inſinuaſſe Auerroës, Themiſtius, &c. quid propterea? An in illorum verba iurauimus? Et quidni etiam de potentia proxima explicabuntur, qua per diſpoſitiones ad formas proximè præparatur?

CAPVT VI.

DE PRIVATIONE.

§. I.

Quid ſignificet.

DE priuatione quoque ingens mouetur controuerſia, primò quid eius nomine intelligi oporteat: ſecundò, quomodo conueniat.

Primum non vno modo explicant Peripatetici. Quibuſdam placet eam aliud nihil eſſe quam ſolam abſentiam formæ in ſui ſuſceptrice materia: alij præterea volunt eo nomine conſignificari formam, cuius corruptioni ſuccedit ea cuius priuatio indicatur.

Nota ergo quòd cum priuatio à negatione diſtinguatur, eò quòd ſupponat in ſubiecto cui accidit, formæ aptitudinem, vt ſæpe dictum eſt, videndum eſt quomodo materia ſit ad formas ſuſcipiendas idonea. Primò enim per ſe, ſuamque eſſentiam apta dicitur, quatenus per ſe ſubiectum eſt formæ; verùm hæc potentia vniuerſalis eſt indefinita & remota: hanc ſequitur etiam priuatio vaga, remota & propemodum infinita: ſecundò, materia ſit apta proximè ad hanc vel illam formam ſubeundam. Hæc potentia eſt particularis, determinata & proxima, hanc ſimilis quoque ſequitur priuatio ſcilicet particularis, vt pote ad formam particularem comparata. Ideo ſuperaddi debet aliquid, quo generalis illa materiæ potentia determinetur ad hanc formam potiùs, quam ad illam: id autem dicunt eſſe formam ſubſtantialem, cui tunc coniungitur, & quæ aliam, cuius priuationem quærimus, proximè antecedit. v. g. cùm ex ſanguine fit caro: materiæ ſanguineæ potentia, ſiue habilitas, vel aptitudo alioquin communis, & indifferens, per formam ſanguinis cui cohæret, determinatur, vt proximè formam carnis excipiat; hæc igitur forma ſanguinis ſecundùm multos includitur in ea particulari priuatione, ex qua fit caro. Nam cùm dicitur carnem ex non carne fieri, item eſt ac eam fieri ex ſanguine: tamen primo loquendi modo ſignificatur priuatio; ſecundo, forma oppoſita. Denique vnum per alterum implicitè deſignatur: ita *Auer.* 5. *Met. Themiſtius hic*, *Zabarella*, &c.

Cæterùm plurimùm hic de vocabulo litigari exiſtimo: malim tamen cum cæteris loqui, & concludere, quòd priuatio, quæ principium generationis ſtatuitur, ſolam abſentiam formę generandæ in materia per ſe habili & capace deſignatam exprimat. Hoc patet ex ijs quæ ab
T. 67. & 69. Ariſt. de illa differuntur, primò Phyſ. vbi priuatio dicitur eſſe idem
T. 79. re & numero cum materia, ſolâ diſcrepans ratione: at forma re ipſa maximè differt. Secundò, dicitur per ſe non ens: at hoc de forma ſal-

ſum eſt, tertiò, t. 80. dicitur eſſe cauſa corruptionis potius quam generationis, id autem quî competeret formæ? Ipſane ſuæ ſibi eſſet deſtructionis cauſa? T. 80.

Dices. Ariſt. vocat priuationem quodammodo formam. Reſp. non formam ſed ſpeciem verti debere: ſic enim ait, *Forma & natura dupliciter dicitur; nam & ipſa priuatio quodammodo ſpecies.* Quid autem per ſpeciem intelligat, diuinandum: forte id ſolùm intellexit, quod ſubinnuit cùm dixit priuationem ſola ratione diſtingui à materia, vbi videtur velle ipſi priuationi notionem quandam in ſolo intellectu ſubſiſtentem loco ſpeciei competere. 2. Ph. t. 15.

Hoc ſi diſplicet, dicas à priuatione formam aliquam connotari, ſcilicet illam quæ ſubiectum actu efficit priuatum oppoſita, ipſique definitè contrarium reddit. Hoc ſenſu fatendum eſt formam expellendam quodammodo connotari, quia, vt cùm dicimus v. g. carnem fieri ex ſanguine, ſignificatur præceſſiſſe in ſanguine quædam proxima conformatio ad formam carnis, & neceſſaria quædam connexio deſitionis vnius cum inceptione alterius: ita cum dicimus carnem fieri ex non carne, debemus ſubintelligere, ex eo fieri quod tantum non caro eſt, ſeu quod vnico gradu à forma carnis diſtat. Hoc autem nihil aliud eſt, quam forma ſanguinis, à forma carnis vno ſolùm conformitatis gradu pene degener.

§. 2.

Quomodo priuatio ſe habeat ad materiam?

PLOTINVS aſſeruit priuationem conuenire materiæ eſſentialiter: cæteri, accidentaliter; ille ſic argumentatur: materia nunquam à ſua potentialitate, quæ ſua ipſius eſſentia eſt, deficit. In hac potentialitate omnium formarum priuatio per ſe ac ſemper imbibitur: ergò ſecundùm ſe formarum actu ſemper indiget; & ſi ſemper indiget, ſemper orbatur. Huic fauet Plato, dum in Timæo ait materiam à ſua potentiâ nunquam recedere vt ſupra retulimus.

Contra reliqui ſic reponunt, quod eſſentiale eſt alicui, ab eo recedit nunquam: ſed à materia cuiuſcumque formæ priuatio tum cùm forma gignitur, recedit; ergo cuiuſcunque formæ priuatio eſſentialis non eſt. His fauet Ariſtot. cùm priuationem à materia diſtinguat ratione .i. definitione: quamobrem ſuam abſque materia eſſentiam poſſidebit.

Reſp. paucis priuationem duobus modis intelligi poſſe in materia: primo in eſſentia: ſecundo circa eſſentiam. In eſſentia eſt verè negatio formæ; eſtque ipſa eſſentialis materiæ informitas, nunquam deſitura: quia materia quantumuis actuata, ſemper ex ſe manet potentia indefinita, ſicut lutum quantumuis à figulo effigiatum ex ſe tamen nihil niſi maſſa iners eſt & impolita. Neque tam ipſa materia debet dici ens formatum, quam totum quod ex materia & forma coaleſcit: & hoc Plotinus cum Platone voluit, neque id negabit Ariſtoteles.

Circa eſſentiam intelligitur verè proprie dicta priuatio, prout eſt abſentia formæ quæ poteſt in materia ſuſcipi: hoc eſt, illi ſuperuenire ſicut baſi, & ſuſceptaculo per ſe informi, quod tamen formam neceſſariò præſupponit; ſic abſentia vel præſentia formarum eſt potius circa eſſentiam quam in eſſentia, quatenus eſt notio quædam potentiæ purè paſſiuæ adiacens, eamque neque conſtituens, neque permutans. Neque refert quòd materia ſoleat dici verè actuata, informata, terminata, &c. Reſp. hæc de materia dici ſolùm participatiuè: at de compoſito formaliter; illa cenſetur actuata, quatenus eſt connexa cum actu, & pars compoſiti actuati, vel actualis. Licet reuera ipſa maneat in ratione partis purè potentialis: ſic aëris ſubſtantia fit participatiuè viſibilis, & colorata per lucem; quia eſt pars concreti lucidi, quod videtur, tametſi per ſe inuiſibilis & incolorata permaneat: & hoc nota. Iam verò prima priuatio nullo pacto ab ipſa materiæ natura diſtinguitur: quia per illam materia conſtituitur potentia per ſe purè informis, & indefinita.

Secunda verò ab ea diſtinguitur multis modis, quos ex Ariſtot. ita breuiter eruimus, Primò, priuatio eſt oppoſita formæ, & facit vt ens ex non ente, atque adeo vt contraria ex contrarijs fiant. Hoc autem nullatenus facit materia. Secundò, priuatio interit adueniente formâ, non materia. Tertiò, materia eſt aliquid poſitiuum, & pars compoſiti, non priuatio. Quartò, materia eſt principium generationis per ſe, & vt ſubiectum; priuatio ſolùm per accidens, & vt terminus à quo. Quintò, materia ex ſe formam appetit, non priuatio. Sextò, in materia, ceu in communi conceptaculo naturæ conſeruantur rationes ſeminales, ex quibus floreſcunt ac eradiant formæ omnes materiales: at in priuatione nequaquam, &c. Idem vult quoque Plato vt conſtat ex c. 2. §. 3. ſuprà.

Nec tamen cogites priuationem per ſe aliquid eſſe reale, certè priuatio realis eſt; eo modo, quo realis etiam negatio dicitur, vt diſtinguatur à falſa, vel ab imaginaria & ficta. Neque hoc aliud ſignificat, niſi quòd verum ſit nemine cogitante non eſſe formam in materia: at non eſt propterea ens reale; quia quod tale eſt, numerum auget rerum in natura, priuatio verò potiùs minuit.

CAPVT VII.

DE DIVISIONE MATERIÆ.

§. I.

Quotuplex ſit materia.

PRIMÒ diuiditur materia in primam, & ſecundam. Prima eſt ea, qua de hactenus diſputatum eſt: ſecunda eſt corpus conſtans primâ potentiâ,

potentiâ, & primo actu, vlterius tamen formabile. Sicut ſubſtantia completa, quæ vlteriùs poteſt ab accidentibus informari: vel elementum ex qùo vlterius coaleſcit mixtum.

Secundò diuiditur in materiam alterationis, & in materiam compoſitionis: illa eſt, ex qua commutatâ aliud fit, vt lignum reſpectu ignis: iſta, ex qua immanente res conſtat, vt lapis reſpectu ædificij: illa ſecundæ, hæc primæ conuenit.

Tertiò in proximam, & remotam: prima eſt, ex qua immediatè gignitur aliud, vt ex ſanguine caro: ſecunda eſt, ex qua multis intercedentibus mutationibus aliud fit, vt ex terra, homo: illa enim priùs in herbam; hæc in cibum, cibus in ſanguinem vel in ſemen, ex quo denique homo. Rurſus materia prima ſecundum ſe eſt remota reſpectu cuiuſlibet generationis particularis: at ſub forma particulari eſt proximè apta, vt ex eius gremio educatur altera; vt enim affecta eſt forma ſanguinis, proximè ab ea educitur forma carnis. Ita remota eſt prima: proxima, ſecunda.

Quartò, in materiam partis & materiam totius, illa eſt etiam materia prima, quæ eſt pars compoſiti: hæc materia ſecunda, quæ eſt totum compoſitum ſubſtantiale, & vocari ſolet ſuppoſitum, ſiue indiuiduum. Hinc duplex quoque forma diſtinguitur: forma partis vt anima; forma totius, vt humanitas, hic quæri poſſent quam plurima circa huiuſmodi diuiſiones, potiſſimùm circa vltimam. Quibus omiſſis tanquam ſuperfluis tria ſolùm agitabimꝰ, primum an materia ſit pars eſſentiæ nec ne: ſecundum, an ſit principium indiuiduationis; tertium, an in rebus materia conſtantibus indiuiduum ſit quid aliud à ſuppoſito.

§. 2.

An materia prima ſit aliquid præter eſſentiam rei cuiuſque.

ANTIQVI quam plures rati materiam eſſe ſolam cuiuſque rei ſubſtantiam, dicere cogebantur eâdem quoque omnem rerum eſſentiam contineri: ſed dogma hoc formarum irrefutabili varietate oppreſſum euanuit.

Qui ſecus nullam materiam primam admitterent, vt inſinuauimus ſuprà, ij certe ab hac quæſtione, vt & ab innumeris alijs intrepidi liberarentur. Cæteri verò qui illam concedunt à forma diſtinctam, in duas ſectas diuiſi ſunt: antiquiores cenſent materiam primam eſſe præter eſſentiam, ſiue vt loquuntur, præter quidditatem. Iuniores contra, eam eſſe partem eſſentiæ, quamquam minus principalem, atque ex his D. Th.

Notandum eſt in ſubſtantijs, ſi exactè loqui velimus, diſtingui debere notionem eſſentiæ, à notione ſubſtantiæ: quandoquidem ad ſubſtantiam multa pertinent quæ omnino eſſentiæ cenſentur extranea: vt

ratio indiuidui, & ſuppoſiti, de quibus infra: quamquam ob vocum amphibologias ſæpe vnum pro alio ſoleat vſurpari. Ideo exactam locutionem requiſiimus: hinc iure optimo Plato in Timæo docet nullam in rebus noſtratibus puram eſſentiam reperiri, videlicet nuſquam ſinceram ignis rationem elucere, neque purum ignem. ſed igneum quiddam, &c. porro ſubſtantia exprimitur per concretum Metaphyſicum, vt homo: eſſentia, per abſtractum vt humanitas.

Notandum ſecundo formam poſſe conſiderari vel vt abſtractam, vel vt addictam materiæ. Certum eſt vt abſtractam non eſſe propriè rei ſubſiſtentis eſſentiam: ſic anima rationalis à corpore ſeparata non eſt eſſentia hominis; quia eſſentia rei, intelligitur ineſſe rei, & non extra illam; intelligo eſſentiam participatam. Reſtat ergo quæſtio de forma prout materiæ incubat, ſuaque in illa exercet omne formandi officium.

§. 3.

Deciſio.

CONCLVSIO prima: certum eſt materiam primam eſſe partem ſubſtantiæ materialis. Hoc ſi neges, fatearis oportet ſolis formis res naturales conſtitui, ac proinde materiam primam non eſſe, cuius iam ſupra contrarium ſuppoſuimus.

CONCLVSIO ſecunda: admodum probabile eſt totam rei cuiuſque quidditatem formâ ſolâ contineri, non abſtractâ ſed applicatâ. Ita è recentioribus, *Soncin. Perer.* probatur primùm authoritate Ariſtot.
7. Met. q. *Quod quid erat eſſe forma & actui ineſt*: loquitur autem de forma quæ
26. 6. Phyſ. pars compoſiti dicitur; tum quia eam actum vocat, tum quia ſubdit,
cap. 9. *Anima namque & animæ eſſe, idem eſt*: item, *Quoniam verò anima-*
8. Met. 8. *lium anima ſecundùm rationem & formam ſubſtantia, & quod quid erat*
7. l. t. 35. *eſſe tali corpori.* Tum paulò poſt diſtinguit tria: nempe ſingulare; compoſitum vniuerſale: huius eſſentiam, ſiue rationem; *Compoſitum vniuerſale*, ait *non eſſe ſubſtantiam*, ſeu potius, eſſentiam οὐσίαν: ſed *Eſſe totum aliquod ex ipſa ratione, & ex materia quodammodo vniuerſali* coaleſcens; *Singulare verò ex vltima, & extrema materia.* Hæc ſunt eius verba: ex quibus manifeſte patet, primò per compoſitum vniuerſale intelligi eſſentiam in concreto Metaph. ſeu ſuppoſitum in communi, vt *Homo*; ſecundò, duplicem materiam, ab illo nominari ſc. vniuerſalem, & ſingularem: & vniuerſalem non partem eſſentiæ, ſed oppoſitam potius ipſi eſſentiæ declarari; quippe cùm dicat vniuerſale componi ex ipſa eſſentia, & ex materia quodammodo vniuerſali. Ergo euidens eſt ex Ariſtotele materiam etiam in communi conſideratam, non eſſe partem eſſentiæ.

Neque officiunt verba ſequentia: *Pars itaque eſt & formæ* (*formam autem dico quod quid ſit eſſe .i: quidditatem*) *& ipſius totius, quod ex forma & ipſa materia eſt.* En, inquiunt, quomodo ipſe tam quidditatem, quàm totum facit compoſitam ex materia & forma.

Contrà, ſenſus iſte omnino contrarius eſt auctori: ſolùm enim ille vult formam ſiue eſſentiam habere quidem partes; ſicut & compoſitum, ſed diuerſas; quia partes compoſiti ſunt ipſa eſſentia, & materia: eſſentiæ verò partes nihil habent materiæ; cum præter illam ſint, & ad ſolam formam pertineant, ſolùmque ſunt partes definitionis. *Sed rationis partes,* inquit, *Quæ formæ ſolùm ſunt: ratio verò vniuerſalis,* ſup. compoſiti pars eſt. Inde patet partium formalium nomine non intelligi quoque materiam vniuerſalem, vt multi ſentiunt, quia ſequeretur eam bis poni: nam eſſet pars compoſiti oppoſita quidditati, & pars huius quidditatis compartis ſuæ, quo nihil abſurdius. Hæc de Ariſtotele ſufficiunt; alij multi ſunt textus; ſed hunc adduximus, quia eo vel maximè abutuntur aduerſarij, vt eum in partes adducant ſuas.

Hoc idem ex profeſſo a *Auerroës* tutatus eſt, cum omni fere Arabum ſecta. Item b *Alexander. Apherodiſæus* c *nec non & Themiſtius, Simplicius ibidem*, d *Albertus Magnus.*

a 7. Met. c. 7. & 21.
b 2. Met. t. 21.
c 3. de anim t. 9.
d 2. Phyſ. t. 88. &c.

Ratione probatur primo, quia ita ſe habet eſſentia compoſiti naturalis ad ipſum, ſicut eſſentia rei artificialis ad artefactum: ſed eſſentia iſtius non concludit materiam. Ergo neque eſſentia rei naturalis. Ma. certa eſt, cùm natura nihil ſit aliud quam ars Dei. Mi. patet ſic, tota eſſentia rei artefactæ eſt eius forma: Illa enim in ſola ideæ participatione, vel expreſſione conſiſtit; ſola autem forma eam exprimit, ceu formatus eius character, ac typus, & hoc clarè Ariſtoteles, *Dico autem*, inquit, *Materiam vt æs; formam autem, typum ideæ.* Ergo eodem modo cum noſtrates eſſentiæ idearum ſint participata quædam ſpecimina, ſolis formis eſſentiæ continentur, vt iiſdem ſolis exprimuntur ideæ. 7. Met. t. 5.

Confirmatur: ita ſe habet eſſentia equi ad equum, ſicut eſſentia circuli ad circulum. Sed eſſentia circuli per ſe materiam non includit; eſt quidem hæc in materia, ſed non ex materia: ideo materia eſt quædam quodammodo pars circuli, ſed non eius quidditatis, alioquin repugnaret reperiri rationem circuli, abſque materia. Quomodo ergo æterna eſſet? Quomodo in Dei veritate & mente verè ſubſiſteret? Adde quòd ſi materiam per ſe includit, certè variante materiâ, huius variaret & quidditas, quod eſt falſum: Eadem enim eſt ratio circuli, ſiue ſit in ære, ſiue in auro: idem de eſſentia equi dicito.

Confirmatur ſecundò; finge circulum æneum, & quadrangulum item æneum: circulus ille ab hocce quadrangulo, an non tota circuli quidditate diſtinguitur? Ergo materia, qua non differt, non eſt aliquid quidditatis, qua differt. Ita de quauis alia eſſentia.

Secundo probatur ſic: ſecundùm Ariſtotelem, D. Thomam, & omnes antiquos Philoſophos, in rebus materia conſtantibus ſuppoſitum realiter à natura diſtinguitur, vt probatur in Met. & à nobis inferiùs corroborabitur. Hoc autem ſi verum ſit, certè neceſſe eſt, vt id per quod ſuppoſitum ab eſſentia diſtinguitur, non includatur in eſſentia: at per ſolam materiã diſtinguitur, ergo hęc in eſſentia non concluditur.

Reſpondent diſtingui ſuppoſitum per materiam ſingularem, quæ

multa inſuper accidentia complectitur. Contrà, ſuppoſitum differt ſubſtantialiter: ergo non per accidentia.

Denique quod componitur ex forma & materia, non eſt ſimplex quiddam, ſed compoſitum: ſecundùm ſe totum non eſt proprium illi, de quo dicitur, cùm ſecundùm aliquid ſui, commune ſit multis alijs, & ex 7. Met. poteſt eſſe, & non eſſe, &c. ſed eſſentia eſt quid ſimplex; ſecundum ſe totam propria ſuppoſito, incorruptibilis, &c. ergo non componitur ex forma, & materia.

Hactenus loquuti ſumus de rerum eſſentia, quatenus puram continet rationem, ſeu quidditatem rei cuiuſlibet principali ſuo exemplari, quod in Deo prælucet, amuſſinatam. At quia talis non poteſt exiſtere ſine quibuſdam additamentis, ratione quorum mutabilis eſt, multiplicabilis numero, ac variarum dimenſionum capax, &c. totum quod ex illis conſurgit, eſſentia Phyſica dici poteſt. Quæ his caret, Metaphyſica: ex illis autem additamentum præcipuum eſt materia; ideo eam eſſentiæ partem faciunt *Auicenna, D. Thomas & alij*, qui quidem de Phyſica eſſentia intelligendi ſunt; ipſorum præcipua fundamenta obiectionum loco recenſere libuit, vt noſtræ concluſionis ſenſus apertiùs dilucescat.

§. 3.

Obiectionum ſolutio.

OBIICIES primò: definitio explicat rei quidditatem, ſed materia eſt pars definitionis, ergo.

De anim. t. 16. Confirmatur primò, partes compoſiti eſſentiales, ſunt partes eſſentiæ: ſed materia & forma ſunt partes eſſentiales: ergo.

Secundò, ex quibus fit per ſe vnum, hæ ſunt partes eſſentiales: ſed ex materia & forma fit per ſe vnum, ergo.

Reſp. ex Ariſtotele *cit. 1. de anima;* Duplicem eſſe definitionem: vnam Phyſicam, alteram Logicam: illa explicat quidditatem cum naturæ additamentis, & in concreto; hæc ſolam quidditatem Metaphyſicam. *Differenter*, inquit, *definiet naturalis & dialecticus: horum autem hic quidem aſſignat materiam; ille verò formam & rationem, ratio enim eſt forma rei: ſed neceſſe eſt hunc eſſe in tali materia, ſi erit*, hæc patent ex dictis.

Ad confir. Reſpondeo hiſce inſtantijs probari quòd materia ſit pars eſſentiæ Phyſicæ: quod concedimus, at non Metaphyſicæ, quod negamus.

Dices: ergo materia ſecundùm nos ingreditur definitionem eſſentiæ, ſicut eius additamentum, vel ſuſceptaculum, eo modo quo v. g. naſus ſubit definitionem ſimitatis, quando dicitur curuitas naſi: ſed hoc eſt contra Ariſtotelem 7. Met.

Reſp. negari ab Ariſt. quòd in definitione ſubſtantiæ ponatur additamentum alterius generis, at materia eiuſdem generis eſt cum forma.

563

Obijc. tertio: anima non eſt tota hominis ſubſtantia. Ergo, &c. antecedens probatur multipliciter, primò, quia ſola illa non eſt humanitas, ſecundò, quia poſt ſolutionem corporis integra hominis eſſentia ſuperſtes viueret.

Reſp. nego antecedens, ad primam probationem dico; ſi nomine humanitatis ſolum intelligitur forma hominis vel ratio ſpecificans, actuans, diſtinguens, denominans, vel denique puta ideæ ſigillatio ſeu character, certè ſola anima corpus actuans erit humanitas. Sin verò intelligatur notio hominis mente concepta, vel eſſentia Phyſica: ſic non eſt ſola anima.

Reſp. ad ſecundum; animam ſeparatam non eſſe dicendam eſſentiam hominis, quia talis denominatio ſupponit, quòd forma exerceat actu ſuum informandi officium.

Ex ijs itaque conſtat, primò, quidditatem ſeu eſſentiam diſtingui oportere à compoſito ſiue concreto, cuius eſt eſſentia: nam illius pars materia eſt, non huius. Ideo rectiſſimè D. Auguſt. 13. de Ciuit. docet hominem non eſſe corpus tantùm, nec animam tantùm.

Conſtat ſecundò, meliùs intelligi, quomodo dicatur homo ſecundùm eſſentiam gerere Dei ſimilitudinem & imaginem: cùm certum ſit eam non in corpore, ſed in anima fuiſſe cœlatam: vnde D. Auguſt. de vera religione c. 46. adhortari nos volens, vt ea quæ animæ ſunt, diligamus in homine, potiùs quam quæ ſunt corporis; ait diligendum in homine quod homo eſt, non quod vilius: & ſubdit, *Hoc in eo debet diligere quod ſibi ipſe eſt, corpora verò non ſunt, quod nos ſumus.* Ac demum concludit hominem præciſè ſumptum eſſe *Creaturam Dei ad eius imaginem factam.*

Conſtat tertiò; non abs re corpus conſiderari vt organum, quod à Deo conceſſum eſt animæ, vt anima illo ad ſeſe perficiendam vtatur. Vnde merito eos homines carpit Epictetus, qui toti curandis corporibus incumbunt, quos nihilo magis ſapere contendit, quam artificem, qui omnem artis induſtriam in poliendis, deaurandiſque inſtrumentis, neglecta proprij operis perfectione, collocaret. Interim cùm homo dicitur anima vtens corpore, ſignificantur duo; primum quòd anima coniuncta ſit corpori: ſecundum, quòd operatio, qua ſentit anima, non ſit animæ tantùm, ſed animæ vt mouentis, corporis verò vt moti, illius vt principalis operatio, iſtius vt inſtrumenti, vt vult D. Thomas, ex quo apparet eum à Platone non diſſentire. Apud Plat. in alb. l. 1. p. q. 75. a. 3. & 4.

Conſtat quartò, ſcitè à Platonicis hominem interiorem ab exteriore diſcerni: & illum quidem eſſe ipſam quæ intus eſt anima, verumque hominem; prout non corpori; ſed Deo potiùs annuit; hunc verò in externis actibus eſſe conſtitutum, verique hominis vmbram. Ita Plotinus: vnde infert ea quæ ad corpus ſpectant, velut ludicra eſſe nobis habenda, neque ampliùs in illis, quàm in ludis ſcenicis ſpem noſtram figi, aut impendi ſolicitudinem, oportere. Enn. 5. l. 1. ex Plat. in Phædro Phædone, &c.

CAPVT VIII.

AN MATERIA SIT PRINcipium indiuiduationis.

§. I.

Status quæſtionis.

QVÆSTIONEM hanc prælibauimus in Logica cap. 13. §. 5. pauca nunc ſuperſunt adijcienda ob eam quam de materia facimus, mentionem. Non quærimus autem quid ſit differentia indiuidualis, aut in quo conſiſtat: neque quod ſit eius qualecunque principium: nam certum eſt formam ſimul & materiam ad cuiuſlibet indiuidui conſtitutionem intrinſecè concurrere: efficientem verò, finalem & exemplarem extrinſecè, ſolùm quærimus, quænam ſit prima & præcipua radix interna, quodue principium quaſi formale, vel cauſa vltima naturalis, ob quam eadem eſſentia multis indiuiduis propagetur. Qua de re ſunt 4. ſententiæ.

Dur. Prima ſtatuit indiuiduorum multiplicationem oriri primò, & vltimo ab intentione Dei determinantis hoc potius, quam illud edere, & hunc aut illum numerum indiuiduorum prædeſtinantis.

Suarez Picolomin. pererius. Secunda, tale principium facit exiſtentiam, eò quòd quæ propriè exiſtunt, ea ſint ſola indiuidua: hinc alij malunt dicere hoc eſſe formam eò quòd ipſa ſit principale principium exiſtentiæ.

Scotus. Tertia illud in quodam modo, quem hæcceitatem vocant, conſtituit, quia præter eſſentiam videtur addi debere aliquid reale, quo formaliter tam materia, quam forma cum ſuis exiſtentijs determinentur, vt ſint ſingulares, cùm cætera omnia ſecundùm ſe apta ſint ineſſe multis.

D Thomas ferrar. ſalo. Quarta illud eſſe materiam affirmat: ſed huius multæ ſunt ſectæ, nam quibuſdam placet ſolam materiam ſufficere: alij quantitatem adiungunt, ita vt materia quantitate ſigillata, id eſt, in numerabiles partes ſectilis, prima per ſe origo ſit cuiuſlibet numeratilis, & indiuidualis multiplicationis, quæ ſub eadem ſpecie, in rebus corporeis viſitur.

Nota in indiuiduatione, qua de nunc agimus, duo diſtingui oportere, primum eſt conſtitutio indiuidui: ſecundum, multiplicatio ſolùm numerica. In conſtitutione id ſolùm perpenditur, quòd indiuiduum fiat vltimò incommunicabile, eo modo quo illud explicuimus in Logica: in multiplicatione attenditur diuerſitas quædam, quæ omnino eſt præter eſſentiam; & ab omnibus ſolet appellari materialis, *vt inter Petrum, Paulum, Iacobum*, &c. ſicut contrà in multiplicatione ſpecifica diuerſitas eſſentiarum agnoſcitur, quæ formalis nuncupatur.

Vt inter equum & leonem : priorem certum eſt in ijs quæ materia vacant, reperiri, vt in angelis: poſteriorem etiam certum eſt in omnibus rebus corporeis poſſe contingere : an verò in incorporeis, incertum.

Hæc autem diuerſitas numerica ingens argumentum eſt imperfectionis formarum, quia idcirco à Deo intenditur, vt & forma quæ in vnico indiuiduo nequit totam ſibi debitam perfectionem obtinere, eam in pluribus multiplicata conſequatur. Ideo quod per ſe in cauſa eſt, cur forma ſuæ perfectionis complemento careat, etiam in cauſa eſt, cur illa ſic multiplicetur : ita id quod in rebus huiuſmodi multiplicationis numericæ principium eſt, debet primo informe quoddam eſſe puræ pluralitatis principium : ita vt nihil niſi meram multitudinem conferat, nec formalis ſeu eſſentialis perfectionis quidquam per ſe ſe conciliet, inde enim fit vt quæ differunt, ſint eiuſdem rationis : ſiquidem eidem formæ, ſeu eſſentiæ ſolâ additur multitudo. Secundo debet eſſe aliquid potentiale, imo potentialitatis contrahendæ radix atque principium. Hinc enim neceſſe eſt, vt forma quæ illi penitus immergitur, ſuæ actualitatis iacturam aliquam faciat, vnde imperfectior euadat.

§. 2.

Deciſio.

CONCLVSIO vnica. In ſubſtantia corporea, materia eſt per ſe omnis indiuiduorum multiplicationis radicale principium. Ita certè Ariſtoteles & D. Th. primo enim de cælo t. 92. *Alterum igitur eſt hoc cælum, & cælum ſimpliciter : illud vt mixtum cum materia ; hoc verò vt ſpecies, & forma. Videmus quorumcumque ſubſtantia in materia eſt, plura & infinita eſſe ea quæ eiuſdem ſunt ſpeciei*, & 12. Met. t. 49. ait, *Si plures eſſent primi motores, materiam includerent*, & 7. Met. t. 28. *Tota verò talis forma in his carnibus & oſſibus Callias & Socrates, diſtincta quidem per materiam, idem autem ſpecie : indiuiſibilis namque forma eſt.* Denique ipſe vbique, præſertim in 3. de anima: 7. & 8. Met. aſſerit in ſeiunctis à materia non diſtingui indiuiduum à conditione ſpeciei. Ita perpetuo docet ſolam rationem ob quam forma ſit multiplicabilis in plura eiuſdem rationis, eſſe materiam : Sic *Auerr. Alexand. & alij* celebres Ariſtotelis aſſeclæ. De D. Th. quid dicam ? ecquis hac de re ipſius poteſt ignorare ſententiam ? At Plato quid cenſet ? Idem planè : nam ex quo materiam vocauit multa & infinitum, an non ſenſit cum ſuo diſcipulo 3. Ph. infinitum .i. indefinitam multitudinem indiuiduorum ex ſola materia prodire ? Vnde ſic ſecundum eos omnes inuictum & per quam efficax poſſet argumentum confici : quod eſt multitudinis & infiniti origo, id certe indiuiduorum ſub eadem ſpecie multiplicandorum ſola ratio eſt : at materia per ſe huiuſmodi eſt. Ergo. D. Th. crebrò ſic arguit, cum indiuiduum ſit vltimò incommunicabile ; id debet cenſeri radix indiuiduationis, quod eſt radix incommu-

nicabilitatis in rebus corporeis, ſed materia eſt talis, quia forma per ſe communicabilis eſt; nec incommunicabilis fit, niſi per materiam. Ergo. Hanc rationem cõtemnunt aduerſarij eo quòd forma, inquiunt, eſt quidem communicabilis vt forma; non vt vniuerſalis, ſed vt ſingularis. Contrà: communicabilitas rei vniuerſalis fundatur in communicabilitate formæ, ſicut gradus Metaphyſicus in Phyſico, & quia non datur natura communicabilis pluribus, niſi vbi dantur formæ communicabiles materiæ. Secundo, Diu. Thom. ſupponit indiuiduum eſſe ſuppoſitum de cuius eſſentia eſt quod ſit vtroque modo incommunicabile, ita eius argumentum eſt optimum.

Probatur inſuper, quod eſt ratio multiplicandi indiuidua quæ participant eandem ſpeciem & eandem formam, eſt principium radicale multiplicationis indiuiduorum: ſed ſola materia eſt huiuſmodi. Ergo. Ma. de ſe patet: Mi eſt expreſſa apud Ariſt. ſuprà; & probatur ſic, ratio multiplicandi indiuidua quæ participant eandem ſpeciem, debet eſſe aliquid ſubſtantiale, quod ſit diſtinctum à forma, & principium per ſe informe, multitudinis non eſſentialis. Denique formam ſic contrahens vt potentiam ſuum actum, ſed ſola materia eſt huiuſmodi, ergo.

Ma. declaratur per omnes ſuas partes ſic, primò quod debeat eſſe ſubſtantiale patet primo. Quia debet ingredi ipſum indiuiduum participans formam: accidens autem illud non ingreditur; adde quòd indiuiduum ſubſtantiæ debeat prius eſſe quolibet accidente 7. Met. t. 4. &c. ideo principium conſtitutiuum indiuiduæ ſubſtantiæ nequit eſſe accidens: hoc enim inhæret illi, omne autem ſubiectum debet eſſe prius inhærente 1. Phyſ.

Secundo, quod eſſe debeat diſtinctum à forma patet: quia forma eſt de ſe indiuiſibilis vt ait Ariſt. ſuprà. Ergo diuiſibilis ſeu multiplicabilis fit per aliud: item forma eſt principium vnitatis, qua indiuidua conueniunt. Ergo nequit eſſe principium multitudinis, qua differunt. Rurſus ita ſe habet forma multiplicata ad diuerſa ſua participantia, ſicut imago vnius vultus multiplicata in diuerſis ſpeculis ad diuerſa illa ſpecula: ſed ipſa imago per ſe non eſt cauſa ſui multiplicationis, ſed ſola materia ſpeculorum diuiſa & multiplex facta. Ita ſola forma per ſe non eſt cauſa ſui multiplicationis, ſed materia: illa enim quantùm eſt de ſe, vnitatem recipit ab idea diuina, quæ vna eſt; ſed multiplicitatem è ſubiecto multiplici in quo ſuſcipitur. Tum quia omnis multiplicatio facta per formam eſt eſſentialis & formalis, forma enim eſſentia ipſa eſt, omnis autem multiplicatio eſſentialis & formalis eſt ſpecifica. Ergo omnis alia multiplicatio præter formalem & eſſentialem debet contingere per aliquid quod ſit præter formam.

Tertiò, quòd eſſe debeat per ſe principium informe multitudinis non eſſentialis, manifeſtum eſt, niſi enim origo eſſet multitudinis, quomodo ea quæ participant ſpeciem multiplicaret? Et niſi informe, hoc eſt, non formale principium eſſet, quomodo poſſet non formalem multitudinem parere?

Denique

Denique quòd debeat contrahere formam ſicut potentia ſuum actum; patet ex eo quòd ſuprà notauimus, ideo multiplicari ſolere indiuidua, quòd eſſentia in vnico indiuiduo non habeat omnem perfectionem debitam: non habet autem, quia limitatur per potentiam ſubiecti in quo recipitur: ſicut lux ſolis æqualiter in plures nubes irradians, non poteſt tota in ſingulis ſuſcipi, quia non ineſt ſingulis ſufficiens potentia illam ſuſcipiendi.

Iam quòd hæc omnia competant materiæ, etiam ipſi aduerſarij vltro, citróque fatentur; eſt enim ſubſtantia, pars indiuidui; diſtincta à forma, præter ipſam eſſentiam, radix multitudinis, quia eſt radix quantitatis, per quam illa non eſſentialis multitudo actu prodit; denique formam contrahit, quatenus forma eſſentialem ad materiam habet ordinem, propterea illi debet coaptari: imo & coarctari: hæc probatione non egent, quæ tamen ſi attentè perpenderis, aduerſantium omnes opiniones eleuant, argumenta diſſoluunt, & D. Thomæ ſententiam multis rationibus conſtabiliunt, vti ex illationibus & obiectionibus adijciendis elucefcet.

§. 3.

Illationes perutiles.

INFERO primum à nobis non negari, quin Deus per ideas ab æterno numerum rebus præſtituens, ſit cauſa prima extrinſeca indiuiduorum eo modo, quo explicuimus in Logica c. de differentia. Ecquis enim neſciat Dei creantis vel concurrentis intentione primitùs deffiniri quid vnumquodque fieri, aut quibus notis ab alijs diſterminari debeat? Id quod ſic ab eius voluntate procedit, vt tamen ſine idearum ſuarum inſpectione, directioneque non fiat; quò fit vt à D. Dionyſ. cap. 5. de Diu. nom. ideæ vocentur *Dei prædefinitrices voluntates.*

Infero ſecundò formam non eſſe principium multiplicationis indiuiduorum: quia eſt principium vnitatis ſpecificæ, quæ diuerſitati numericæ opponitur, oppoſitorum autem oppoſita eſt ratio, necnon & radix. Ergo forma non protrudet ex ſe numericam illam diuerſitatem.

Infero tertio neque exiſtentiam: quia hæc poſterior eſt formâ iam ſingulari, ergo per ſe ſingularem illam non efficit: Antec. patet, quia eſſe competit ſubſtantiæ ſingulari, tanquam proprio ſuſceptiuo (neque enim competit vniuerſali:) hoc autem ſemper ſupponitur proprio ſuo actui, non quidem ita vt ſubſtantia indiuidua exiſtat priùs quam habeat exiſtentiam: repugnat enim hoc, ſed vt priùs naturâ ſupponatur ſub ratione potentiæ completæ, cui exiſtendi actus immediatè adueniat; hoc conſentit doctrinæ S. Th. dicentis 7. *de potentia & alibi*, actum eſſe vltimam actualitatem, atque adeo ſuperuenire ſuppoſito, quod idem eſt atque indiuiduum. Aliunde ipſum eſſe non

eſt per ſe principium multitudinis: quin imò ipſi ſumma per ſe vnitas conuenit; eſt enim omnium ſimpliciſſimum. Secundum illud conueniunt omnia: illud per ſubiectas naturas, non iſtæ per illud multiplicantur; denique vt aliquid per ſe multiplicationis ferax ſit, debet habere differentias diſtinctionis, vel diuiſionis effectrices: eſſe autem nihil habet eiuſmodi. Ergo non eſt aptum multiplicationis inducendæ principium.

Infero quartò, neque hæcceitatem eſſe tale principium: hæc enim vel eſt ipſa differentia indiuidualis, vel modus ſubſtantialis, vel accidens, vel ſubſtantia. Si differentia indiuidualis, haud reclamo: ſed illa non diſtinguitur à tota ſubſtantia indiuidua, & huius radicem quærimus. Non ergo debet pro radice indiuiduationis aſſignari: ſi ſubſtantia eſt, vel eſt forma, vel materia; non forma: Ergo materia: ſi accidens, contrà: hoc ſupponit indiuiduum ſubſtantiæ conſtitutum, ergo nequit eſſe principium illius conſtituendi. Si modus, contrà: in Logica probauimus nullum dari modum qui non ſit proprium accidens; ſecundò, modus omnis ſecundùm aduerſarios debet adhærere ſubſtantiæ exiſtenti: at ſubſtantia eſt priùs naturâ indiuidua, quam exiſtens: Ergo eſt priùs indiuidua, quàm capax huius radicis ſuæ indiuiduationis: tertiò, hæc hæcceitas priùs conueniret formæ & materiæ quam vnio, quia vniri non poſſunt, niſi ſupponantur ſingulares. Hoc autem eſt falſum, quia materia non exiſtit niſi per formam vnitam: quin eſſe ipſi primò compoſito conuenit, & per illud materiæ & formæ: quartò, per hæcceitates fruſtrà multiplicantur entia.

Infero quintò, neque quantitatem ipſam eſſe hoc principium: quia eſt accidens, neque materiam præcisè ſumptam ſecundum ſe; quia ſic eſt radix genereitatis, eſtque quodammodo communis, & indifferens: ſupereſt ergo vt ſit materia provt virtuali quantitate ſignata eſt, atque diuiſibilitatis proxima radix: explico, vt materia ſit principium prædictæ multiplicationis numericæ, ſatis eſt, ſi per ſe ipſa ſit diuiſibilis, & ab ipſa tanquam à prima radice pullulet quantitas, qua fit actualis diuiſio partium eſſentiam non variegantium; hoc enim pacto ipſa quatenus radix quantitatis, merito radix quoque omnis multiplicationis quantitatiuæ, necnon & indiuidualis cenſenda eſt: vt talis autem quantitatem actu non includit, ſed virtute: eo ſcilicet modo, quo eſſentia ſuas proprietates in ſe geſtat, & ex ſe. Hæc eſt germana opinio D. Th. quæ colligitur ex duobus eius pronuntiatis, quorum primum eſt quòd *Dimenſiones cum ſint accidentia, non poſſint eſſe principia indiuiduationis, ſed ſola materia:* Et quòd *dimenſiones formales ſolùm ſint ſignum demonſtratiuum indiuidui, non autem principium, &c.* ſecundùm eſt quòd, *materia ſecundùm quòd ſtat ſub dimenſionibus ſignatis ſit principium indiuiduationis formæ.* Hæc non poſſunt aliter conciliari, quam per interpretationem noſtræ ſententiæ. Sic itaque fit vt cum duo ſint in indiuiduo, primum quòd ſit incommunicabile; ſecundum, quòd ſit diuiſum ab alio: primum ex materia, provt eſt primum ſubiectum; ſecundum ex eadem provt virtute hanc & non illam habet dimenſio-

Opuſc. 78. 29. & 32.

Opuſc. 70. & in 5. Met. lect. 8.

q. 77. a. 2. &c.

nem, oriatur, vt optime D. Thom. 3. p.

§. 4.

Obiectionum ſolutio.

OBIIC. D. Th. q. de anima ait, *Vnumquodque ſecundum idem habet eſſe & indiuiduationem*: & 2. contra gent. ait, quod *Sicut eſſe animæ intellectiuæ non cauſatur per ſe à materia, ita neque eius vnitas & indiuiduatio.* Reſp. D. Th. ſui ſufficientem eſſe intrepretem, ſi legatur: primo enim loco ipſe clarè docet animam inde habere indiuiduationem, vbi acquirit eſſe, quia res exiſtunt provt ſunt ſingulares, non provt vniuerſales: anima verò intellectiua eſſe acquirit in corpore. Ergo inde quoque indiuiduatur. Secundo loco ſolùm vult quòd ſicut eſſe animæ non pendet à corpore, cui tamen per ſe commenſuratur, vt forma eſſentialiter, & non per accidens ad illud relata; ſic eius indiuiduatio, quam ex tali commenſuratione contraxit, non ita pendet à corpore, quin eo pereunte, conſeruari poſſit: in ijs ergo locis D. Th. ſoluit omnes difficultates, quæ poſſunt de indiuiduatione animarum fieri, vultque corporum multiplicationem eſſe cauſam multiplicandi animas, eaſque plures euadere ob ſolum ordinem intrinſecum commenſurationis & proportionis quem habent ad corpora quibus coaptantur, & in quibus accipiunt eſſe pro diuerſitate corporum ſolo numero multiplex, quod non pendet à materia quoad effectum exiſtendi, ſed ſolum quoad principium differendi: Ideo illud ſoluto corpore adhuc ſic multiplex conſeruant animæ ſeparatæ, in quo à formis corporeis diſtinguuntur; quæ nequeunt conſeruare vnitatem ſuam extra materiam, ſicut neque proprium eſſe, quod in illa, atque inſuper ex illa mutuatæ ſunt.

3. 1. ad 1. c. 73. ad 1. & cap. 81.

Obijc. ſecundò, illud eſt primum principium indiuiduationis, quod dat vltimum complementum indiuiduationis, determinãdo materiam ad hoc vel illud eſſe. Sicut à pari, forma ideo eſt principium conſtituendæ ſpeciei, quia vltimo complet ſpeciem, determinando materiam ad talem vel talem quidditatem. At eodem modo etiam forma vltimò complet indiuiduum determinando eius materiam (alioquin indifferentem) ad hoc vel iſtud eſſe. Ergo forma eſt etiam radix conſtituendi indiuiduum, cùm eo ipſo, id vltimò incommunicabile euadat. Mi. hæc eſt euidens: ſiquidem ſolius formæ eſt complere, terminare, perficere, dare eſſe, &c. eſt enim ſola actus. Materia cum ſit informis, nihil horum habet ex ſe, omnia hæc habet forma. Ergo, &c.

Reſp. duplex eſſe complementum: vnum formale, & actuale; alterum materiale & fundamentale. Primum in vltima actualitate formæ conſiſtit: ſecundum in vltima determinatione paſſiua materiæ; illud facit indiuiduum vltimo actu completum: hoc fundamentum incommunicabilitatis, & multiplicationis vniformis vltimâ potentiâ determinatum conſtituit: ſic lux complementum formale coloribus affert,

466

temperies ſubiecti, materiale: de iſto hic loquimur, non de illo. Iam ad argumentum Reſp. ma. intellectam de primo complemento eſſe falſam; veram de ſecundo: minor contrà vera eſt de primo, falſa de ſecundo. Igitur forma primùm per ſe complet ſpeciem, cuius eſt quidditas, ſecundariò indiuiduum complet, terminat, perficitque dando ei eſſe formaliter, quatenus determinata ad hanc numero materiæ partem, ad quam eſt commenſurata, facit vt ipſa quæ taliter partita ſolùm eſt in potentia, actu ſit talis, & exiſtat: eſſe enim ſequitur formam. Sed materia per ordinem ad hanc numero quantitatis differentiam, determinatur & completur vltimò; vt ſit hæc potentia, & vt hanc formam exigat: ſic forma determinat materiam vt actus, materia formam vt potentia.

QVÆRES quo fit vt materia determinetur ad hanc dimenſionum differentiam potiùs, quam ad aliam? Reſpondent Peripatetici hoc oriri ex diſpoſitionibus præuijs, quibus agens actione ſua ſingulari & determinata extrinſecè præparat & deſtinat materiam ad tale indiuiduum: at Platonici dicent id prouenire ex rationibus ſeminarijs, quæ latent in materia, & quæ tanquam occulta inſtrumenta idearum, intrinſecùs vnicuique imprimunt proprios diſtinctionis, & magnitudinis & progreſſionis characteres, numeroſque, quales nimirum ars Dei omnia præmoderantis ordinauit, ſed de his infrà.

Obijc. tertiò, materia de ſe non eſt hæc; ſed communis, quia poteſt concipi conceptu communi, prædicari de pluribus, eſtque eiuſdem rationis in genito & in corrupto, &c. hæc autem repugnant principio indiuiduationis. Reſp. ad Ma. materiam ſine ordine ad determinatas dimenſiones conſideratam, eſſe quidem communem, prædicari de plurib. &c. non verò prout determinatè dirigitur ad determinatas dimenſiones. Ideo ſolùm hoc ſecundo modo, ſicque ſigillata, eſt principium indiuiduationis: quandoquidem nequit aliter ipſa cenſeri pars, aut radix huius potiùs quam alterius indiuidui; denique per talem ſigillationem fit vltimò incommunicabilis in ratione potentiæ vltimò determinatæ.

Obijc. quartò, quodlibet ſeipſo indiuiduatur. Ergo fruſtra quærimus aliud principium indiuiduationis. Antec. patet, quia res quælibet, eo ipſo quod exiſtat, eſt ſingularis, indiuiſa in ſe & diuiſa à quauis alia; nec poteſt eſſe ampliùs communicabilis alteri, vt diximus in Logica c. de vniuerſalibus.

Reſp. diſtinguo antec. quodlibet indiuiduatur ſeipſo, tranſcendentaliter concedo: prædicamentaliter nego, id eſt; quodlibet ſeipſo fit hoc ens vnum vnitate tranſcendentali, at ſine materia non fit hoc numero vnum, ab alijs ſolo numero differens. Addo etiam in ijs quæ conſtant forma communicabili, antec. eſſe falſum: quia forma non indiuiduatur niſi per materiam, qua omnis eius communicabilitas terminatur.

Obiic. quintò, materia eſt de ſe indifferens ad plura indiuidua. Ergo debet determinari per aliud à ſe diſtinctum: ergo vel per formam,

vel per hæcceitatem, vel per actualem quantitatem. Reſp. eam ſatis ſuperque determinari, intriſece quidem per tranſcendentalem ordinem ad quantitatem qui virtualiter à materia diſtinguitur: extrinſecè verò per eandem quantitatem vt connotatam.

Dices indiuiduum dicit intrinſecè diuiſionem ab altero indiuiduo: ſed diuiſio nequit fieri niſi per formalem & actualem quantitatem. Ergo indiuiduum includit ipſam quantitatem. Reſp. in ſubſtantijs, id quod indiuiduum in recto denotat eſſe ſolam ſubſtantiam: quod verò in obliquo, id eſſe diuiſionem & formalem quantitatem, qua vnum ab alio numericè ſolùm diuiditur. Sicut in denominatione partium ſubſtantiæ diximus in Logica c. de quantitate. Quod enim eſt pars, ſubſtantia eſt; id verò, quo pars eſt, quantitas: quid ergo? An non ex ſubſtantia, quæ in recto, & quantitate, quæ in obliquo attenduntur, fiet vnum per accidens? Negant *Soncinnas & alij*, eo quòd hæc duo per ſe ſubordinatè concurrant ad vnum indiuiduum conſlandum, vnde & in definitione indiuidui ambo collocentur: alij reſpondent aliter. Mihi ſatis ſit, indiuiduum, ſecundum quod in recto innuitur, eſſe quidem ens per ſe, & ſubſtantiam: itemque indiuiduum ſaltem radicaliter, & prius quolibet accidente. Si cui tamen Soncinnatis arriſerit opinio, dicat mirum non eſſe quod quantitas quæ intima eſt materiæ proprietas, concurrat ad conſtituendam ſubſtantiam indiuiduam: cum vnio materiæ & formæ quæ ſecundum omnes eſt vel relatio, vel modus, partibuſque vnitis omnino extranea, eſſentiam ipſam compoſiti ſubſtantialis quodammodo ſubire cenſeatur.

Quòd ſi ſubdiderit quis, de tali indiuiduo non poſſe ſpeciem prædicari: Reſpondeat de illo ſolo, quod in recto innuitur, ſpeciem aſſeri, non de illo, quod in obliquo.

CAPVT IX.

DE SVPPOSITO QVOD materia totius dicitur.

§. I.

Diſcrepantes de ſuppoſito ſententiæ.

QVÆSTIONI præcedenti hanc coniungimus, tum quia vtilem eam fore credimus ad intelligentiam multorum dogmatum Phyſicorum, tum quia ſuppoſitum & indiuiduum idem ſonant. Tametſi valde diſſonent hodierni doctores: ideo paucis, quæ ſit eorum diſcrepantia, hic inueſtigemus, breuem illicò ſubiecturi ſolutionem.

Notandum ergo eſt primùm ſuppoſitum ab omnibus ſic deſcribi, *Id*

quod per ſe completè exiſtit: ita opponitur illi quod exiſtit in alio. Eſſe autem in alio, nulli rei competit, niſi quatenus hæc alteri communicatur: ideo quod per ſe eſt, eatenus incommunicabile perhibetur.

Communicari porrò res aliqua poteſt duobus modis: primò, vt quod, ſecundo, vt quò: illud eſt vniuerſale, quod vt ſit, pendet à ſingulari, vt animal, homo, &c. iſtud eſt forma, ſiue totius vt humanitas, ſiue partis, cuius complementum integrale pendet à toto cuius eſt pars, & hæc communicatur actu, vel aptitudine qua propendeat in aliud: actu, dum ineſt; aptitudine, dum eſt ſeparata: tunc enim propendet in corpus. Sic communicari & dependere idem ſunt. Quod ergo eſt incommunicabile, ſeu independens primò modo, eſt ſingulare: quod ſecundo modo, eſt completa ſubſtantia, quia neque eſt forma, neque accidens. Ita fit vt ſuppoſitum neceſſariò ſit ſubſtantia completa ſingularis: & talis non eſt ampliùs communicabilis, neque vt quod, neque vt quo, neque actu, neque aptitudine .i. propenſione.

Addunt Theologi ſubſtantiam poſſe dupliciter intelligi incommunicabilem: primo ſimpliciter; ſecundò, naturaliter ſolùm: primo modo aiunt ſolam Dei ſubſtantiam eſſe incommunicabilem: ſecundo ſubſtantias omnes conditas, eo quòd iſtæ communicari vlterius poſſint diuina virtute, ſaltem per vnionem aliquam hypoſtaticam, ad eum modum quo humana natura in Chriſto, & tunc dum communicantur ceſſant eſſe ſuppoſita.

Hinc iam quæritur quid includat ſuppoſitum præter naturam ſingularem: cum enim natura ſingularis poſſit amittere rationem ſuppoſiti, ſi nimirum communicetur, videtur neceſſariò admittendum aliquid in ſuppoſito, quod non ſit in natura ſingulari. Reſpondent omnes illud eſſe id, quod particulâ iſtâ *per ſe* deſignatur: quid deſignetur verò, non facile declarant.

Scotus vult ea negationem ſolùm intelligi duplicis dependentiæ formalis, ſiue communicabilitatis vt quo, nimirum tam actualis, quam aptitudinalis proinde duplicem huiuſmodi incommunicabilitatem agnoſcit: poſitiuam, & negatiuam: illam in re, quæ ſimpliciter eſt incommunicabilis, vt in Deo; hanc in re, quæ ſolùm naturaliter, vt in creatura. Priorem vocat poſitiuam, eò quod fundetur in perfectione, cui repugnet communicari: poſteriorem negatiuam, eò quod abſit prædicta perfectio.

In l. d. 34. q. 1. Durandus exiſtimat naturam à ſuppoſito diſtingui ſolo modo ſignificandi, ita vt natura vt res habita; ſuppoſitum, vt habens illam, exprimatur: illaque in abſtracto, vt *Humanitas*, hoc in concreto, vt *Homo*, denotetur. Sic tamen, vt poſſit natura ſingularis habere quidquid ad ſuum eſſe ſubſtantiale pertinet, & non eſſe ſuppoſitum: idque in humanitate Chriſti Domini contigiſſe.

Ab his moderni ſuos quoque modos mutuati, dicunt id quod eſt *Subſiſtere per ſe*, modum quemdam eſſe ſubſtantialem; quo ſubſtantia ſuppoſitum fiat: eo pereunte manere poſſe naturam ſingularem, at non ſubſiſtere; & conſequenter ſuppoſiti quoque tunc deſinere conditio-

nem: & in huius probationem & exemplum, humanam Chriſti naturam inducunt, quia, inquiunt, niſi modus iſte realiter à natura diſtinctus eſſet, illo nuſquam potuiſſet humanitas Chriſti ſpoliari.

Caietanus, Bannez & alij conſentiunt ſubſiſtentiam, qua ſuppoſitum conſtituitur, eſſe rem aliquam mediam inter naturam & exiſtentiam: ita vt per illam natura terminetur, ſicut linea puncto; fiatque ſingularis, atque inde capax euadat exiſtentiam ſuſcipiendi. Simile quiddam admittit Fonſeca, & vocat modum entitatiuum ſubſtantialem, negatque eſſe rem à natura ſingulari diſtinctam: nec tamen vult eſſe purum modum eſſendi. Adeo intricatè rem alioquin intrincatiſſimam expedit.

Thomiſtæ vt plurimum nomine ſuppoſiti, aliud nihil intelligunt quàm ſubſtantiam completam per ſe exiſtentem.

§. 2.

Reſolutio.

CONCLVSIO vnica: Suppoſitum nihil aliud eſt, quam indiuiduum propriè dictum. Ita vt plurimùm SS. Patres ſenſiſſe lego, D. Baſil. *Quæ eſt*, inquit, *ratio communis ad proprium, eadem eſt eſſentia, ſiue naturæ ad hypoſtaſin* (ſic Græci ſuppoſitum vocant.) D. Damaſ. *Commune*, inquit, *eſt eſſentia vt ſpecies, ſeu forma: particulare vero hypoſtaſis, particulare autem dico, non quod aliquam partem habeat naturæ, aliam non habeat, ſed particulare numero ſicut indiuiduum.* Epiſt. 43. & 369. Deſid. 1. 3. cap. 6.

Similiter ita ſenſere omnes antiqui Theologi *Altiſiod. lib. 3. tract. 1. Alenſis 1. p. q. 56.* &c. neque quemquam inuenies, qui hanc Boëtij definitionem non approbet: *Perſona eſt naturæ rationalis indiuidua ſubſtantia.*

D. Thomas idem clariſſimè vbique confirmat, quid enim aliud vult cum 1. p. hæc ait, *In his, quibus indiuiduatio non eſt per materiam indiuidualem*, (ideſt ſignatam virtuali quantitate) *ſed ipſæ formæ per ſe indiuiduantur, oportet quod ipſæ formæ ſint ſuppoſita ſubſiſtentia*, & q. 29. *Hypoſtaſis*, inquit, *apud Græcos ex propria ſignificatione nominis habet, quod ſignificet quodcunque indiuiduum ſubſtantiæ, ſed ex vſu loquendi, quod ſumatur pro indiuiduo rationalis naturæ, ratione ſuæ excellentiæ.* Et 3. p. repetens ea quæ dixerat in q. 3. cit. ait clarè *Suppoſitum eſſe indiuiduum ſubſiſtens in natura*: & q. 4. *Naturam aſſumpſit filius Dei in atomo*, id eſt, *in indiuiduo, quod non eſt aliud à ſuppoſito increato, quod eſt perſona filij Dei.* Ita vbique conſtantiſſimè loquitur; dixi indiuiduum propriè ſumptum quatenus eſt ens diuiſum à quocunque alio: alias laxè indiuiduum eſt quod opponitur vniuerſali, & hoc non eſt idem cum ſuppoſito. Ratio mihi videtur euidentiſſima, nam ſuppoſitum ſecundùm omnes eſt id, quod per ſe exiſtit: atqui ſolum & omne indiuidum propriè dictum per ſe exiſtit; ergo. Hoc totum corroborabitur ſi penſiculatiùs ponderemus ſuppoſiti definitionem: cùm enim dicitur *Ens per ſe exiſtens*, ſignificatur profectò aliquid quod per ſe ſolum, & ſeorſum ab q. 3. ar. 3. ar. 2. ad 1. q. 2. a. 2. ar. 2. ad 1.

alijs ſit completum ſuſceptiuum exiſtentiæ, vnde omnino euadat incommunicabile. Sic pars non exiſtit per ſe, quia eſſe ſolum modo ſuſcipit in toto, & ratione totius: vnde nec per ſe generatur vt dicitur 7. Meta. ſicut neque per ſe à natura intenditur. Quod ergo terminat per ſe actionem generantis, & intentionem naturæ; quodque proinde vt proprium exiſtentiæ ſuſceptiuum per ſe exiſtit, eſt totum: non quidem vniuerſale, & indifferens, ſed totum determinatum & indiuiduale. Hoc autem eſt indiuiduum propriè dictum, quia indiuiduum propriè dictum eſt id quod ſeorſim, & diuiſum à quocunque alio eſt ens, merèque incommunicabile prorſus redditur. Quamobrem forma, materia, natura, pars quælibet, dici quidem poſſunt res particulares, at indiuidua propriè dici non poſſunt: quod adeo verum eſt, vt D. Thom. hæc dixerit, *Anima humana eſt pars humanæ ſpeciei, & ideo licet ſit ſeparata, quia tamen retinet naturam vnibilitatis, non poteſt dici ſubſtantia indiuidua, quæ eſt hypoſtaſis, vel ſubſtantia prima, ſicut nec manus, nec quæcunque alia partium hominis, & ſic non competit ei neque definitio perſonæ, neque nomen.* 1. p. q. 29.

His ita perſpectis optimè conciliantur & intelliguntur omnia, quæ de ſuppoſito ab antiquis dici conſueuerunt, primo axioma iſtud Ariſtotelis, quòd *Actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum:* optimè intelligitur; ſenſus enim eſt, quòd quemadmodum quod agit, & dat eſſe alteri, eſt ſuppoſitum, ſeu ſubſtantia prima; ita quod eſſe quodcunque ſuſcipit, eſt talis ſubſtantia, quæ profecto indiuiduum eſt.

Secundò, D. Thom. poſt Ariſt. paſſim aſſerit in his quæ conſtant materia diſtingui ſuppoſitum à natura, non in ſubſtantijs in corporeis. Hoc ex præſuppoſita noſtra doctrina facile intelligitur, ſi quidem in ſolis materialibus indiuiduum per materiam realiter à natura, ſeu quidditate diſtinguitur.

Tertiò, SS. Patres communiter docent ad hypoſtaſin pertinere, vt habeat modum aliquem exiſtendi ſibi proprium, & nulli alij communem. Hoc autem optimè intelligitur de indiuiduo, non de partibus, quia hæ nullum ſibi proprium vindicant modum exiſtendi, qui non ſit communis toti, in toto ſi quidem, ac per totum exiſtunt. Per hunc modum particularem intelligebant communiter collectionem proprietatum indiuiduantium, vt diximus in Logica, & fuſiùs legi poteſt apud *Petauium tomo primo dogmatum.* Vnde non eſt quòd inde modi quem recentiores fingunt, patrocinium aſciſcatur.

Solùm ex eo inferri poteſt ſuppoſitum per exiſtentiam propria quadam & incommunicabili ratione participatam definiri, id quod intelligi poteſt duobus modis; primo, ita vt ſuppoſitum huiuſcemodi exiſtentiam actu complectatur. Secundò, ita vt ſit id præcisè, quod tali exiſtentiæ ſubſternitur: primo modo dicitur ſuppoſitum formaliter: ſecundo, eſt ſuppoſitum materialiter. Hoc concipi poteſt ſine actuali exiſtentia, non illud. Denique illud eſt indiuiduum, quatenus cum formali vltimo ſuo complemento, quod eſt exiſtentia, habet notas characteriſticas & demonſtratiuas ſuæ Indiuiduationis. Iſtud vero eſt

idem

idem indiuiduum, quatenus præciſè ſubſtantia completa eſt, & immediatè ſuſceptrix talis exiſtentiæ: ergo ſuppoſitum formaliter eſt indiuiduum, ſeu prima ſubſtantia, quatenus tali modo incommunicabili exiſtens. Suppoſitum materialiter eſt eadem prima ſubſtantia ſecundùm quod eſt purum ſuſceptiuum talis exiſtentiæ: hinc D. Th. ſemper obteſtatur quod, *Eſſe per ſe eſt de ratione perſonæ*, 3. d. 5. q. 1. a. 3. quod *Eſſe eſt illud in quo fundatur vnitas ſuppoſiti* 1.2. quodl. 9. a. 3. quod *Vnitas perſonæ requirit vnitatem eſſe completi & perſonalis* 3. p. q. 19. a. 1. ad 4. denique quod *Perſona ſignificat quid completum & perfectiſſimum in natura* 3. p. q. 16. a. 12. ad 3. inde ſubſiſtere apud illum *Non eſt aliud quam eſſe per ſe* 1. d. 23. q. vnica. a. 4.

Quarto, dum quæritur principium indiuiduationis, ſemper D. Th. ad materiam ceu ad primam radicem incommunicabilitatis accurrit. Id optimè ſequitur ex dictis, quoniam cùm indiuiduum ſit ſuppoſitum, certum eſt id conſtitui maximè per id à quo radicaliter habet, vt non communicetur vt forma: id autem habet à materia, per quam tota communicabilitas formæ, nec non & eſſentiæ vltimo terminatur.

Ex his patet ſuppoſitum aliud nihil eſſe, quam indiuiduum per ſe complete exiſtens.

Si modo quæſieris per quid à natura diſtinguatur, facilis eſt reſponſio. Suppoſitum formaliter ſumptum à natura diſtinguitur, eo quòd actu includat exiſtentiam ſub notis characteriſticis appropriatam: materialiter ſumptum ab ea diſtinguitur vt proprium à communi; natura enim ſignificat quidditatem rei, prout definitione declaratur: ſuppoſitum verò eſt ſubſtantia completa, proximè capax exiſtendi modo illo incommutabili. Fit autem hæc aliter indiuidua in Angelis: aliter in rebus corporeis: in illis eſſentia indiuiduatur per ſeipſam: cùm per ſeipſam non ſit communicabilis alteri; propterea per ſeipſam immediatè fit capax incommunicabiliter exiſtendi. In rebus verò corporeis fit vt ſuprà.

§. 3.

Illationes aliquæ de opinionibus aliorum.

EX dictis infertur facile quodnam iudicium ferri debeat de ſententijs quas ſupra retulimus.

Primò enim infertur Scoti ſententiam in multis non differre à ſententia S. Thomæ: ſiquidem per duplicem illam negationem duo poſſunt legitimè indicari: primum, quod nulla ſit alia entitas comminiſcenda in indiuiduo complete exiſtente præter illud ipſum. Secundum, quòd indiuiduo creato non inſit illa perfectio, quæ Deo ineſt, ratione cuius ipſi repugnat communicari extra ſe: hæc duo vera ſunt.

At falſum eſt, quòd ſolis hiſce negationibus conſtituatur: nam ipſum reuera pro formali habet rationem completæ ſubſtantiæ, cum determinato & incommunicabili modo exiſtendi, quæ maximè poſitiua

ſunt; quin ipſa negatio communicabilitatis debet in aliqua perfectione fundari: quia communicabilitas ipſa per ſe defectus eſt alicuius eſſe completi, defectus autem induci non poteſt niſi per oppoſitam perfectionem; ſicut negatio mortalitatis, quæ defectus vitæ eſt, per oppoſitam vitæ perfectionem, infertur. Vnde immortalitas in Angelo, (ſi quidem nomen inſpexeris) aut ſi cum immortalitate Dei cõferatur, negatiui quidpiam ſonat: ſecundum ſe tamen & comparatione mortalitatis, quæ nobis ineſt, vere poſitiua perfectio eſt. Idem de ſuppoſiti creati incommunicabilitate dicere nos oportet, nomen negationem ſonat: res habet perfectionem; eam ſi cum diuinâ contuleris, negatione plenam fatemur, ſi vero cum formis communicabilibus, ipſa totalis exiſtentiæ poſſeſſione completam agnoſcimus.

Aliud eſt etiam quod in opinione Scoti & Nominalium maximè debet improbari: quòd nimirum cogantur aſſerere in natura indiuidua, quæ communicatur (vt factum eſt in Chriſto Domino) nihil omnino reale deperdi quod ad illam pertineat; ſed ſolam tunc deſinere negationem communicabilitatis: certè hinc ſequeretur humanam Chriſti naturam non ſubſtantialiter fuiſſe verè vnitam ſuppoſito Verbi: ſed ſolùm quoad habitudinem, nouamque relationem, id quod præcipuum erat dogma Neſtorianæ hæreſeos. Sequela patet, quia vnio ſubſtantialis neceſſariò exigit, vt ſuſceptiuum formæ ſuſceptæ conferat aliquid, ſine quo ipſa non foret completa ſubſtantialiter: huius enim defectu vnio veſtis cum homine, & auri cum poculo, non eſt ſubſtantialis, quia nec homo veſti, nec poculum auro quidquam præbet, ſine quo veſtis & aurum non ſint ſubſtantialiter completa. Sed ſi humanitas Chriſti (ex quo vnita fuit Verbo) nihil ſubſtantiale amiſit, nihil item ab eo accepit, ſine quo ſubſtantialiter completa non permanſerit. Sed hoc relinquamus Theologis, Philoſopho prælibaſſe id ſit ſatis.

Secundò infertur fruſtrà modos adduci, qui ſimul à ſubſtantia & ab accidentibus differant. Eos in Logica exſuflatos relege: at quorſum illi, An vt natura *Ipſi ſuo eſſe* ſubſit, cæteriſque accidentibus ſequuturis, Vt quidam apud Durandum cit. voluere? at *Eſſe* immediatus actus eſſentiæ eſt, cur opus medio? Si per illos natura ſuſcipit eſſe: ergo priores ſunt *Ipſo eſſe*, quomodo ergo illi ſine eſſe inerunt? An non ſunt ipſi actus quidam? Nihil enim modificat niſi actus; ergo actus primi erunt; quia primò affecerunt eſſentiam. Quid igitur forma ſuccedens, quid eſſe ſubſequens? Quomodo actus primi? quanam ratione conflare ens per ſe cum eſſentia prius actuata dici poſſent? an ideo neceſſarij ſunt, vt natura iam exiſtens per ſe & non in alio ſit? age, ſupponis primùm ſubſtantiam ſingularem, completam, & exiſtentem, non tamen per ſe exiſtentem ſine modo; quæram ego ante modum, per quid exiſtit? Cui competit exiſtentia? An non ipſi ſoli? Quomodo ergo non per ſe ipſam ſolam exiſtet, quæ vtique non habet aliud in quo, vel per quod exiſtat, quam ſeipſam? Ad hæc quomodo ſubſtantia per modum à ſe diſtinctum habere poterit, vt per ſe exiſtat? Imo an non potiùs ipſa per aliud exiſtere dicenda eſſet? Denique modus ille vim non

470

habet ex ſe, vt poſſit ipſe per ſemet exiſtere, (debet enim neceſſario exiſtere in ſubiecto,) quomodo ergo hunc effectum tam ſibi repugnantem conferet? Quomodo ſubſtantia per ſe ſubſiſtet beneficio eius entitatulæ, quæ non habet vnde ſubſiſtat? Reſpondent ſine modo ſubſiſtentiæ ſubſtantiam per ſe quidem exiſtere *Negatiuè*, id eſt, non per aliud: at cum modo *Poſitiuè*, id eſt, tam perfectè, ac tam ſolidè, vt ei ſic ſubſiſtenti repugnet poſſe communicari alteri. Contrà primò, tota ratio incommunicabilitatis primæ ſubſtantiæ oritur ex intrinſeca perfectione ſubſtantiæ indiuiduæ completæ: ergo non ex modo illo adiectitio. Antec. patet, quia ea eſt de eſſentia indiuidui completi, quatenus eſt diuiſum à quolibet alio: hinc enim fit per ſe exiſtens, inde incommunicabilis.

Secundo, modus ille totam ſuam perfectionem & entitatem mutuatur à ſubſtantia, cui adeſt: ergo per ſe nihil perfectionis addit ſubſtantiæ per ſe ſolam exiſtenti.

Tertio, modus ille eſt per ſe ac eſſentialiter totus communicabilis: ergo non poteſt efficere ſubſtantiam per ſe incommunicabilem, ſiquidem nihil dat quod non habet, neq; ab vlla forma prodire vnquam poteſt effectus formalis illa perfectior.

Denique ſufficiat duo regerere: primum, quòd illi modi ſint impoſſibiles: ſecundum, quòd ſint ſuperflui; primum in Logica, ſecundum ſuprà patuit.

Infertur tertiò ſubſiſtentiam Caietani nullo fundamento inniti: etenim ex quo forma commenſurata materiæ ipſi vnitur, certè fit hæc ſubſtantia, quæ adæquatum eſt ſuſceptiuum exiſtentiæ. Cætera ſuperfluunt: neque certè opus eſt alia re, qua terminetur ipſa quaſi vniuerſalitas naturæ, præter quam determinatis dimenſionibus aut cæteris, quæ ſuperiùs recenſuimus: at cur illius aliquando non meminiſſet S. Thomas? Sane frequenter ipſe inſinuat in Angelis ſuppoſitum prædicatis eſſentialibus aliquid diuerſum adijcere: ſi quæras quid; *Exiſtentiam*, inquit, *& accidentia*, nimirum implicitè: at aliam vllam rem ne vnquam effutiuit. Sæpe quidem aſſerit ſuppoſitum eſſe id, quod habet eſſe: ſed quid inde? Cur ſubſtantia indiuiduata per ſe ipſam eſſe habere non poterit? Imo cùm ſubſiſtere definit per eſſe ſubſtantiæ, potuitne manifeſtiùs diſtinctionem ſubſiſtantiæ ab eſſe ſubſtantiali iugulare? Caiet. petit argumenta quædam ex myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis: at Philoſopho ſufficiat negare paritatem.

Infertur vltimò naturam à ſuppoſito non differre per ſolum modum ſignificandi, vt voluit Durandus, hinc enim ſequeretur, quòd natura humana in Chriſto non ceſſauit habere, niſi ſolum modum ſignificandi perſonam; at amplius fides exoptat: ſequeretur vlteriùs vnionem hypoſtaticam non eſſe ſubſtantialem, ob eandem rationem, quam contrà Scotum ſuprà dedimus.

§. 4.

Obiectiones ſoluuntur.

q. de vnione verbi a. 2. ad 14. OBIICIES primò: ſæpiſſimè D. Thom. diſtinguit indiuiduum à ſuppoſito, *Propriorum accidentium indiuiduatio ſufficienter probat indiuiduationem naturæ humanæ in Chriſto, non autem quod habeat rationem ſuppoſiti; quia non per ſe exiſtit.* Et 3. p. *Licet ergo hæc humana natura Chriſti ſit quoddam indiuiduum in genere ſubſtantiæ, quia tamen non per ſe ſeparatim exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in perſona Verbi Dei, conſequens eſt quod non habeat perſonalitatem propriam.*

q. 2, ad 3.

Reſpondeo duplex eſſe indiuidui ſignificatum, vnum latius, & alterum proprium; illud dici poteſt indiuiduum incompletum, & ſoli vniuerſali opponitur, iſtud eſt completum, quod inſuper opponitur illi, quod eſt indiuiſum ab alio. Vult ergo D. Thom. humanam naturam in Chriſto eſſe indiuiduam primo modo: ſecundo, negat. Hinc q. 15. a. 12. ad 2. 3. p. ait *Quod ſubſtantia indiuidua quæ ponitur in definitione perſonæ, importat ſubſtantiam completam per ſe ſubſiſtentem, ſeparatim ab alijs, &c.* Et q. de vnione Verbi a. 2. ad 6. ait, *Quod idem indiuiduum ſit ſuppoſitum duarum naturarum.*

Obijcies ſecundo, in Deo ſunt tres perſonæ ſeu tria ſuppoſita, & vnum duntaxat indiuiduum completum: ergo indiuiduum completum etiam diſtinguitur à ſuppoſito. Reſpondeo primo, Richardum nolle quòd indiuiduum de Deo affirmetur: ſecundo, Alenſis docet tres perſonas dici poſſe tria indiuidua, quò accedere videtur D. Thom. dum 1. p. ait, *Quod in intellectu ſubſtantiæ indiuiduæ, id eſt, diſtinctæ, & incommunicabilis, intelligitur in diuinis relatio.*

q. 29. a. 4. ad 5.

Reſpondeo denique abſolutè concedendo antec. & negando conſequentiam: quia ſuppoſitum directè deſignat modum incommunicabilem exiſtendi, naturam verò obliquè connotat: indiuiduum contrà, naturam in recto, modum exiſtendi in obliquo commonſtrat. Ita D. Thom. art. mox cit. dicimus ergo in Deo vnicum indiuiduum, vt vnicam naturam diſtinguamus; dicimus tres perſonas, vt tres modos incommunicabiliter exiſtendi, quot videlicet ſunt oppoſitiones relationum, fateamur.

Obijcies tertio, humana Chriſti natura per ſe in Chriſto Domino habet rationem indiuidui completi, & tamen non habet rationem ſuppoſiti: ergo. Reſpondebit Diuus Thomas naturam humanam virtute & operatione ſpiritus ſancti ſic fuiſſe appropriatam perſonæ Verbi, vt eundem cum Verbo diuino habuerit modum incommunicabiliter exiſtendi: quòdque verbum illam ſibi propriam fecerit, ipſi ſuam exiſtentiam contradiderit, & in ea ex tunc ſubſiſtere inceperit, nuſquam poſt modum deſiturum. Hoc euidenter colligitur ex verbis eius allatis ſuprà in prima obiectione, idem euidenter eruitur ex SS. P.P. apud quos nihil frequentius inuenias, quàm quòd natura

humana facta ſit propria natura Verbi. Denique huc ſufficiet celeberrimum textum vnum adducere, petitum ex perilluſtri Epiſtola Sophronij multùm laudata in Synodo quarta & ſexta generali. Sic ibi legitur: *Caro quippe ſimul Dei Verbi caro facta, in illo, non ſecundùm ſeipſam, habuit exiſtentiam.* τὴν ὕπαρξιν *quod* vocabulum ibi non poſſe aliud ſignificare, quàm exiſtentiam, facile poſſem demonſtrare, niſi breuitatis amor abſterreret. Sed vide quid ſequitur: *Hypoſtaſis hoc extat, & perſona compoſita, ex inconfuſo conſtans temperamento, quæ partitionem conuenientium neſcit, ſed eſſe vnum* (τὸ εἶναι ἕν) *& permanere vnum indiuiſum ſortitur.* Et rurſus ex *Proprietatibus diuerſarum naturarum eſſe vnum ſortitus eſt, & permanere vnum duplici natura ſeruauit.*

Ita vnitur humanitas Verbo ſubſtantialiter, quatenus à Verbo *Ipſum eſſe* ſine quo ſubſtantialiter completa non eſt, accipit. Sic ipſa cum Verbo vnum indiuiduum, id eſt, vnam ſubſtantiam completam facit: ipſa non eſt ſuppoſitum, quia neque eſt id quod exiſtit, neque per quod exiſtit. Solum Verbum in illa exiſtit. Et ipſa per illud eſt: denique *Eadem fit Verbi & aſſumpti hominis proprietatum collectio,* vt ait D. Anſelmus, *Lib. de Incarnatione, nam qui filius eſt Dei, eſt filius Virginis: idem ab Angelo nunciatur, Deus & homo eſt, &c.* cap. 5.

Aduerſus hæc multa poſſent à Thologis obtrudi, ſed quæ profectò non ſint ſoluenda Philoſophis. Paucis ſequentia referemus & ſoluemus: in Synodo ſeptima, quidam Epiphanius collocutione ſeptima: dixit *Hypoſtaſin dicimus eſſentiam cum proprietatibus; naturam verò, rem per ſe exiſtentem nullius indigam ad ſui conſtitutionem.* Reſpondeo hæc verba poſſe ſic verti; naturam verò, rem quæ apta ſit per ſe exiſtere. Hoc enim ſignificat nomen αὐθύπαρκτον vt conuinci poteſt ex pluribus, quæ hic breuitatis cauſa omittimus.

Secundo, D. Damaſcus ait naturam humanam non eſſe ſuâ exiſtentiâ priuatam. Reſpondeo ea verba debere potiùs ſic verti cum Billio, naturam humanam non eſſe in nihilum redactam. 3 l. cap. 3.

Tertio, idem cap. 6. ſubdit: *Deus verbum, quidquid eorum, quæ cùm nos initio fingeret, naturæ noſtræ inſeruit, non prætermiſit.* Reſpondeo per ea quæ ſequuntur, *Omnia,* inquit, *Aſſumpſit, id eſt, corpus, animam intelligentem & rationalem, eorumque proprietates.* q 17. ar. 2.

Quarto, D. Thom. 3. p. ait, *Anima in Chriſto dat eſſe corpori.* Imo 1. p. ait eſſe ſic formæ competere, ſicut rotunditatem circulo. Reſpondeo primo loco D. Thomam loqui de eſſe ſpecifico: ſæpe enim illud ea ratione vſurpat cum Ariſtotele: ſecundo loco ſolùm velle quòd eſſe immediate ſequatur ad formam immaterialem, non ratione alterius. Sicut rotunditas immediate ſequitur rationem circuli: non fit autem comparatio quoad inſeparabilitatem, niſi naturalem. ad 4. q. 50. a. 5.

Denique aduerſus illud quod diximus, quod eſſe ſit de ratione ſuppoſiti: obijcitur D. Thom. hoc terminis conceptis negans quodlib. 2. Reſpondeo quod *Eſſe* non ſit quidem de eſſentia, (id eſt prædicatum eſſentiale conſtituens naturam ſpecificam) ſuppoſiti: in eo enim ſenſu *Eſſe* non eſt de eſſentia vllius rei creatæ; item non eſt de ratione- q. 2. a. 4. ad 2.

ſuppoſiti materialiter ſumpti. At eſt de ratione conſtitutiua ſuppoſiti formaliter & reduplicatiue ſumpti: quomodo enim de ratione eius quod per ſe exiſtit, quatenus eſt per ſe exiſtens, non erit ipſa exiſtentia?

Capvt X.

QVALIS SIT MATERIA prima.

§. 1.

Prima proprietas.

OCTO enumerantur proprietates, ſeu conditiones materiæ, quibus eam circumſcribunt, ac graphicè depingunt Phyſici. Prima eſt, vt ſit appetens formarum. Appetitus autem eſt multiplex: vegetabilis in plantis, ſenſitiuus in belluis, rationalis in homine, naturalis in omnibus: vltimus hic nihil eſt aliud, quàm inclinatio, motus, vel inſtinctus naturæ, quo res quælibet propendet, fertur, vel deſtinatur ad perfectionem ſuam. Vel breuius ſic: appetitus eſt inclinatio ad bonum; duplex eſt: elicitus, & naturalis. Elicitus eſt motus in bonum profluens ex cognitione propria appetentis: naturalis eſt directio, ſeu propenſio ex ordinatione naturæ, vel Dei congenita rei appetenti. Primus in ſolis ſentientibus, vel in intelligentibus: poſterior in cæteris ineſt; hoc terra ſicca, imbres ſitire; hedera quærere arbores, quibus nitatur; rudis tabula, extremam pictoris manum, qua perficiatur deſiderare dicuntur. Hoc modo materia formam appetit, vt turpe ſolet pulchritudinem, qua venuſtetur, exquirere: id quod Plato ſic in Hippia maiore, & in Phædro explicat, quaſi materia ſit capta pulchritudine, & amore formæ, illamque ſi capiat, delectetur: langueat verò, ac triſtetur, ſi careat.

Porro formas appetit primò propter internam aptitudinem, quam ad illas habet. Secundò, propter bonum proprium, vt perficiatur, ac exiſtat: tertiò, propter bonum compoſiti, quod inde naſcitur. Quarto, propter bonum vniuerſi, quod in ſucceſſione & conſeruatione rerum gignendarum conſiſtit, &c.

Auicenna hoc negauit, quia, inquit, omnis appetitus debet ſequi formam aliquam, ceu virtutem actiuam, quæ inclinet appetentem in bonum conueniens: ſicut grauitas inclinat lapidem in centrum. Materia autem nihil habet tale. Reſp. nego Mi. Deus enim ea virtute qua naturas condidit, materiam dirigit, deſtinat, atque ordinat ad formas recipiendas.

Inſtat Auicenna, materia iam aliqua forma gaudens & quaſi ex ſa-

ciata, quorſum appeteret alias? adde quod ita ſuimet deſtructionem appeteret, Reſp. illum appetitum non eſſe aliud præter coaptationem, quam ſapiens rerum opifex Deus finxit inter materiam & formas ordinata ſucceſſione recipiēdas Hæc autem materiæ ſecundum ſe ſumptæ, ac ratione informitatis eſſentialis ineſt ad omnes formas: ſed velut exhauſta, & ſterilis ad formas habitas; actuata ſub inexiſtentibus; & habilis, pronaque ad futuras, ad quas ex ordinatione conditoris aſpirat: non peritura quidem in commutatione, ſed renouanda in ſucceſſione formarum. Denique prout ſub formis ſpecialibus actuatur, peculiaribus quoque diſpoſitionibus propinquiùs apparatur, & quaſi prædeſtinatur ad has potius quam ad illas formas habendas: ſed hic appetitus accidentarius eſt; informationem actualem, non informitatem eſſentialem aſſecutus.

§. 2.

Reliquæ proprietates:

SECVNDA proprietas materiæ eſt, vt ſit ingenerabilis, & incorruptibilis: aliter hæc à Phyſicis, aliter à Catholicis explicatur. Illis communiter materia ſic dicebatur, quia credebatur æterna, & increata, ſicut de chao ſcribit Ouidius: his verò talis videtur eſſe, quia mundo coæua, neque ampliùs à non eſſe ſimpliciter tranſit ad eſſe vt compoſitum naturale, neque ſubiectum habeat, ex cuius potentia emergat, aut in quam rurſus euaneſcat, vt forma. Contrà Phyſicos præclarè ſcripſere SS. PP. præſertim Baſil. in hexa. Greg. Nyſſ. &c. vide quoque Lactantium 12. contra Ciceronem & Phyſicos.

Quid verò Plato & Ariſtoteles ſenſerint, non eſt omnino exploratum. Sunt qui velint Ariſtoteli cognitam fuiſſe materiæ creationem, incognitam verò Platoni: alij ſecùs opinantur, de hoc fuſius initio l. de mundo. Interim paucis dicam, mihi certum eſſe quòd Ariſtoteles materiam ſempiternam induxerit: eam etenim *Hic l.* 1. ſimpliciter ingenitam facit, ex nihilo nihil fieri docet, alibi mundum æternum eſſe conſtabilit: & quidem aduerſus Platonem; &c. de hoc verò Platone incertum: in Timæo clarè mundum genitum eſſe, hoc eſt, à Deo productum teſtatur. Addit materiam cum ex ſe inordinatum quid foret, adiunctione animæ, fuiſſe formatam, & in præclarum ordinem digeſtam: in Sophiſta & alibi tradit omnia prorſus, quæ ſunt, qualia illacumque ſint, re nulla excepta, diuinæ artis opificio fuiſſe fabricata. Ex his merito Platonici plures, tanquam ad præceptoris præſcriptum: materiam verè conditam agnouere, inter Catholicos nulla diſſenſio, fides eam ſi non per ſe factam, ſaltem confectam cum formis elementaribus ſancit hoc oraculo. *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

Vt autem ingenerabilis, ita incorruptibilis eſt: hoc eſt, non quòd abſolutè in nihilum redigi à Deo non poſſit; ſed quòd in potentiam

Phyſica.

ſubiecti alterius recondi, vt formæ deficientes; aut penitus non ſupereſſe poſſit vt compoſitum.

Tertia proprietas eſt, vt ſit radix corruptionis. Priuata enim formâ *Molitur maleficium*, inquit Ariſt. & ſanè vnde rerum corruptio prouenit, niſi ex defectu actualitatis & exiſtentiæ? Omnis forma per ſe ſubſiſtens, per ſe eſt, & quidem plenum ſuum eſſe in ſe velut in fonte continet, ideo eſt incorruptibilis, vt Angelus. Quæ verò recipitur in materia, tantùm à plena ſui eſſe poſſeſſione deficit, quantùm materiæ potentialitati commiſcetur: quamobrem quidquid materiâ conſtat, haud diu poteſt idem eſſe ſeruare; *De cælo porro quid ſit dicendum, infrà.*

Quarta, vt per ſeipſam cognoſci non poſſit: vide quæ ſuprà diximus: cæterùm nota ex Timæo poſſe nos in cognitionem materiæ peruenire iiſdem ferme modis, quibus in notitiam Dei; à contrario tamen: primo per remotionem, ſecundo, per analogiam. Per remotionem cognoſcitur Deus, cum de ipſo negantur omnia, quia ſuperior omnibus eſt, dicendo non eſt vita, neque eſſentia, neque pulchrum: ſed ſuper vitam, ſuper eſſentiam, ſuper pulchrum. Ita de materia negantur omnia, quia eſt inferior omnibus: neque enim eſt quid neque quantum, &c. ſed infra hæc omnia. Per analogiam cognoſcitur Deus, dum ipſe tanquam principium actiuum omnium dicitur eſſe omnia eminenter. Ita materia vt principium paſſiuum omnium, eſt omnia potentialiter: Deus continet actu perfectiones Archetypas omnium, materia continet poteſtate omnium ſimulachra, &c. Ideo S. Auguſt. 12. *l. Confeſſ. c.* 5. ait materiam ignorando cognoſci & cognoſcendo ignorari: alludit ad vmbram corporum, quæ tunc videtur, cum nihil cernitur, non cernitur, cum aliquid colorati videtur.

Quinta, vt ſit informis. Ergo nullam formam habet, ſibi coæuam: hoc aduerſatur aliquibus admittentibus in materia formam neſcio quam, quæ ſit radix & principium dimenſionum, illamque vocant formam corporeitatis, ſiue molis: at ſuperuacanea eſt, vt oſtendemus alibi.

Sexta, vt ſit indefinita. Hæc à priori oritur: & forte non differt, hinc non vni, ſed cuilibet formæ patentem. Exhibet ſinum, & inſtar Prothei, de quo in 4. Georgicorum, *Omnia transformat ſeſe in miracula rerum.* Aliæ duæ ſubiunguntur: quòd ſit potentia paſſiua, & quòd non habeat formam coæuam, ſed prior eſſentiam deſignat, non proprietatem: poſterior non diſtinguitur à quinta, & dubia eſt.

§. 3.

De vnitate, veritate, & bonitate materiæ.

DE vnitate materiæ magna eſt Philoſophorum diſſenſio. Alb. Mag. *In 5. Met. cap.* 4. illi concedit vnitatem ſpecificam, qua ſit eiuſdem rationis ſub omnibus formis, imo & vnitatem numericam, ita vt eadem numero ſit in diuerſis compoſitis, puta in genito, & in

corrupto.

corrupto. Sicut idem numero aurum priùs fuit ſub forma molis: & poſtmodum ſub forma poculi.

Recentiores illi attribuunt vnitatem ſpecificam, incompletam tamen, ſicut eſſentiam.

Thomiſtæ illi denegant vnitatem poſitiuam tam ſpecificam, quam indiuidualem. At concedunt negatiuam: id quod videtur velle Diu. Th. 1. part. *Sicut materia prima dicitur eſſe vna, non quia habet vnam formam, ſicut homo eſt vnus ab vnitate vnius formæ, ſed per remotionem omnium formarum diſtinguentium.* q. 16. a. 1. ad 2. Igitur vnitatis poſitiuæ nomine intelligunt eam, quæ profluit à principio conſtituente ſpeciem, vel indiuiduum: per negatiuam verò, ſolùm inſinuant negationem multitudinis ſpecificæ, vel numericæ. Ita materia dicitur negatiuè vna, quatenus in ſe non habet principia multitudinis ſpecificæ, neque numericæ: non dicitur verò vna poſitiuè, quia nullam habet differentiam determinatæ ſpeciei vel quidditatis.

His poſſumus ſubijcere materiam eſſe vnam vnitate potentiali: ens enim & vnum conuertuntur: quare, qualis eſt eius natura, talis & vnitas: potentialis autem vnitas neque ſpecifica eſt, neque numerica; quia prior ſequitur actum ſpeciei, qui eſt forma; poſterior actum ſuppoſiti, qui eſt exiſtentia, cum ſuo modo incommunicabili. Paucis, vt materia ſecundùm ſe ſimpliciter non eſt ens, ita ſimpliciter non eſt vna, ſed ſolùm ſecundùm quid. Denique ſicut datur vnum quod eſt ſupra omne ens, & in quo principia formalia omnium ſimpliciſſimè adunantur: ita datur vnum infra omne ens, in quo principia omnia diſtinguentia negantur: illud eſt Deus, hoc materia.

De veritate ſolùm moueri poſſet dubium, propterea quòd ſuprà diximus non dari materiæ ideam: verum autem in conformitate rerum ad ſuas ideas conſiſtere alibi dictum eſt. At Reſp. ſufficere quòd detur idea materiæ coniunctæ cum forma in compoſito: nam reuera materiam nouit Deus, & quidem per ſe, & in ſe: quin imò ſupra docuimus quomodo materia correſpondeat Deo ipſi, prout eſt pelagus immenſum *Totius eſſe*, ex quo notionaliter, & intelligibiliter prodeunt ideæ in actum diſtinctum, in mente Dei: quidni ergo veritatem inde ſuam emerebitur?

Denique de bonitate ſciendum eſt, veteres aliquos Philoſophos credidiſſe materiam eſſe per ſe malam, & ex eâ detrimenta omnia prodijſſe. Sic *Atticus*, *Plutarchus*, *Plotinus*, *Auerroes*, *&c.* Hinc Manichæorum, Hermogenis, aliorumque fœtidiſſimum virus erupit, quod duo forent prima omnium principia: quorum alterum, bonorum omnium; alterum, malorum cauſa eſſet. Dogma hoc iamdiu vt hæreticum ipſa proſcripſit Eccleſia: ſuperiùs oſtendimus Platoni materiam primam non eſſe per ſe malam; ex eò quod appetat bonum, idem docet Ariſt. 1. *Phyſ.* t. 81. ſanè contrarium per ſe non appetit ſui contrarium, ſed horret potius, tanquam hoſtem, ſibique noxium: hinc Diu. Thomas 1. p. *Materia prima participat bonum, cùm appetat ipſum, nihil autem appetitur niſi ſimile ipſi.* q. 5. a. 2. ad 2.

Hinc Moſis clamat oraculum *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod autem fecerit materiam, dictum eſt ſuprà, & confirmatur à D. Ioan. *Omnia per ipſum facta ſunt*: ſic nihil excipit. D. Dionyſ *De diuin. nom.* hoc ita demonſtrat. Malum per ſe defectus eſt ſpeciei, & priuatio ordinis, ſed materià nequit eſſe merus defectus ſpeciei, & priuatio ordinis, quia nihil eſſet per ſe. Ergo. Secundò, ſi materia foret ipſum per ſe malum, nihil expers materiæ poſſet eſſe malum; ſed dæmones ſunt mali, etſi ſpirituales. Ergo. Demum malum per ſe propriè nihil eſt, ac nuſquam, nec poteſt eſſe principium, neque cuiquam vtile, nec ad cuiuſquam conſtitutionem idoneum, cùm mali natura in eo potiùs ſita ſit, vt corrumpat, ac diſperdat id omne, cui admiſtum fuerit. Ergo. Dices, omne bonum eſt expetibile: ſed materia non eſt expetibilis; ergo. Reſp. Diu. Thom. 1. p. q 5. a. 3. ad 3. *Quòd materia prima ſicut non eſt ens, niſi in potentia, ita nec bonum niſi in potentia, licet ſecundum Platonicos dici poſſit, quòd materia prima eſt non ens, propter priuationem adiunctam: ſed tamen participat aliquid de bono, ſecundùm ipſum ordinem, vel aptitudinem ad bonum, & ideo non conuenit ſibi, quòd ſit appetibile, ſed quod appetat.*

Ita patet minimum omnium bonorum eſſe ipſam materiam, vt pote qua nihil poſſit remotius à ſummo bono cogitari.

§. 4.

Propter quid ſit materia.

MATERIÆ finis duplex eſt: proximus & remotus: proximus eſt forma: remotus, Deus. Materia enim eò dirigitur, vt perenni generatione formas excipiat, quibus compoſita gignantur, ipſaque mundi compages iugi ſpecierum conſeruatione inter ipſas indiuiduorum internecinas vices ſemper reuireſcat; vnde ſumma Deo gloria cedit.

CAPVT XI.

DE FORMA SVBSTANTIALI.

§. 1.

An ſit.

EX iis quæ iam tradidimus, manifeſtum fit, dari formas ſubſtantiales, præſertim ex c. 4. §. 2. quibus iſta poſſumus breuiter ſubnectere, quòd alioquin omnia non niſi accidentario diſtinguerentur, quod ſenſus communis refugit, alioquin integrani cadaueris ſubſtantiam in homine præfuiſſe & integram hominis ſubſtan-

tiam remanere in cadauere, & in vermibus inde ſcatentibus verum eſſet.

Idem ſecundò patet ex conſeruatione rerum. Experimur quædam accidentia ſemper in quibuſdam ſubſtantijs, etiam inter hoſtiles pugnas reparari, & in alijs nunquam pacate reſtitare. Aqua ſemper frigus recuperat; calorem expugnat: ignis contrà, cur ita? niſi quia in ijs principium ineſt quoddam fixum, ac ſtabile, ipſorum naturam conſtituens, quod per ſe radicem aut ſeminarium continet earundem qualitatum.

Ex eodem principio profluit, vt vnumquodque compoſitum diuerſas proprietates inſeparabiles emittat, necnon impermixtas, atque cæteris incommunicabiles, homo riſibilis eſt, leo rugibilis: ita de cæteris.

Datur itaque forma quædam ſubſtantialis ſingulis compoſitis naturalibus propria, quæ definit, diſtinguit, perficit, & ſpectabili varietate exornat omnia. Neque hoc negat Plato, dum 7. de Reſp. nos in hoc mortali vitæ curriculo tanquam in ſpecu collocatos aſſerit non veras formas, ſed vmbras ſolum contemplari. Reſp. enim ſcopum Platonis eſſe, vt humanas mentes ab his, quæ mortalibus & impuris ſenſibus vſurpantur, paulatim manu ducat, erigatque ad æterna diuinorum exemplarium ſpectacula, quæ à ſolis immortalibus, puriſſimiſque animis permittuntur introſpici. Idcirco, formas rerum noſtrarum, quamquam veras, vmbras tamen Archetyparum vocare conſueuit. Adde formas ſubſtantiales ab hominibus vix intelligi; earum externas vires & accidentia vulgus videt: at ſubſtantiam ſapientes perpauci.

Hæc forma ſecundùm Ari. eſt principium generationis, quia eſt id à quo ſpecificatur generatio; ſicut ob eandem rationem eſt etiam principium conſtitutiuum compoſiti, quia illi ſpeciem conciliat ſuam.

Ab alijs conſideratur dupliciter: in intentione & in executione: in intentione quatenus eſt finis proximus, quem natura intendit; in executione, quatetenus actu fit. Primo modo eſt principium: non ſecundo.

§. 2.

Quid ſit forma.

Forma de qua hic loquimur, ſolet multipliciter exprimi: eſt enim character æternæ formæ in diuina mente præfulgentis, à Deo impreſſus materiæ, quo res quælibet naturalis veriſſimè definitur, & diſtinguitur: eſt item principium Phyſicum quod in generatione dat nomen & eſſe rebus. Vel *Actus ſimplex internus, vnum per ſe cum materia conſtituens*: dicitur *Actus* vt diſcernatur à materia; *Simplex* vt à compoſito, *Internus*, vt ab accidente; *Vnum cum materia*, &c. vt à forma aſſiſtente, qualis eſt Angelus cuſtos, ſeu motor cæli. Hinc

ipſa dici ſolet terminus à quo priuationis; terminus ad quem generationis: perfectio, & quod quid eſt rei; Eſſentiæ lux, decus, & actus: comes, coniuxque materiæ: ſigillum idealis pulchritudinis, participatio primi actus, &c. hinc apparet, quot, quibuſue prærogatiuis forma materiam exuperet.

§. 3.

Quotuplex ſit, qualis, & cur.

DIVIDITVR forma multipliciter: primò, in ſubſtantialem & accidentalem. Subſtantialis iterum vel eſt à materia ſeparata. vt Angelus: vel materiæ addicta, eaque vel dependens per ſe in eſſe à materia, vt omnis forma noſtrâ inferior; vel ſolum per ſe ad materiam ordinata, vt anima rationalis.

Accidentalis eſt vel artificioſa, vt formæ lecti: vel Phyſica, vt calor, &c. vel Mathematica vt circulus, &c.

Aliter diuiditur in formam partis, quæ eſt vt anima; & formam totius, quæ eſt vt humanitas, &c.

Plures diſtribuunt gradus formarum in certum numerum: ſed alij aliter, ideo nihil hic certi dici poteſt.

Quoad qualitatem formarum nihil occurrit diſputandum, quæ enim quæri poſſunt, plana ſunt: formæ purè materialis hoc præcipuè proprium eſt, vt educi ex materia queat, & iterum in illam reduci, id eſt, vt produci valeat per eductionem ex potentia materiæ & deſtrui per reductionem in eandem: ne creari dum fit; vel annihilari, dum perit, aſſeratur. Hinc animam rationalem excipito: porro quomodo forma è materiæ ſinu prodeat, infrà commodiùs declarabitur.

Secundò, vt ſit terminus ad quem generationis, vt *Quo*, non, *vt quod*: id eſt, id quo res generatur, non id quod generatur. Hoc commune omnibus formis eſt.

Tertiò, vt ſit ratio cognoſcendi, quia eſt ratio definitiua rei, vt dictum eſt.

Quartò, vt ſit expetibilis à materia: hoc patet ex præcedentibus.

Quintò, vt extra propriam materiam non vagetur: vna enim forma vnicam ſibi peculiariter coaptatam materiam vindicat, plures informare non poteſt: denique neque ab vna ſibi adæquata tranſmigrare in aliam: de his fuſius in ll. de gener.

Sextò, quò magis à materia exempta forma fuerit, eo nobiliores & vniuerſaliores operationes elicit; & contrà, quò magis immerſa eſt materiæ, eò viliores, & contractiores functiones obit. Hoc patet primò in anima rationali comparata cum cæteris: ſecundò in ſubſtantijs corporeis, quæ quò puriores & ſplendidiores ſunt, eò plures & mirabiliores effectus exercent, vt ſtellæ: gemmæ item, quibus ſtupendæ vt plurimum virtutes ad ſanandum, & ad alia multa ſunt à natura inſitæ, vnde harum ſæpe vel exiguus puluis plus efficacitatis exerit,

quam aliarum ingens copia. Tertiò, in ipſiſmet hominibus, qui etiam vt plurimùm quò craſſiores, eò magis obeſi & obtuſi, ac minùs ad ſcientias capeſſendas aut ad capienda conſilia cenſentur idonei: vnde in contrarium fluxit illud ex Hippocrate commune proloquium. *Anima ſicca ſapientiſſima.* Quoad finem propter quem eſt forma, facilis quoque eſt ſolutio. Forma enim eſt propter compoſitum: compoſitum propter conſtitutionem vniuerſi; & hæc propter Dei gloriam.

CAPVT XII.

DE TOTO COMPOSITO.

§. I.

Quid & quotuplex ſit totum, quid vnio, qualis vnitas & vnde hæc fluant.

Aſſignatis ijs quæ ad materiam, & formam ſeorſum attinebant, nunc earum nexum & fœdus naturale proponamus. Ex his enim vnitis reſultat totum Phyſicum, quod eſt veluti proles Phyſica, ex mutuo illarum amplexu procreata.

Totum autem multiplex eſt: Platonici triplex inducunt: totum ante partes, totum ex partibus, totum in partibus. Totum ante partes dicitur κατὰ τὴν αἰτίαν: eiuſmodi eſt Deus, vel idea quælibet: totum ex partibus dicitur ſecundùm formam, vel exiſtentiam; καθ' ὕπαρξιν quod videlicet conflatur ex pluribus. Totum in parte κατὰ μέθεξιν, ſeu ὕστερον, ſecundum participationem, velut ſpecies, quæ tota eſt in quolibet indiuiduo.

Hic de ſecundo loquimur, quod adhuc diuidi poteſt in integrale, & eſſentiale. Integrale conſtat ex partibus quæ ſolam ſubſtantiam complent, non eſſentiam: vt corpus ex manibus, pedibus, &c. Eſſentiale adhuc diuiditur in Metaphyſicum, quod conſtat genere, & differentia, & in Phyſicum, quod reſultat ex materia, & actu.

Hic autem conſideranda ſunt 4. vnio, cauſa vnionis, ipſa vnitas, & vtriuſque finis: vnio tria inuoluit, actionem vnientis, illapſum formæ in materiam; relationem mutuam, de quibus infrà. Cauſas vnionis putauerim non eſſe materiam; nec formam; neque potentiam materiæ, neque propenſionem formæ, neque accidens præexiſtens quaſi naturale illex formæ gignendæ. Nihil, inquam, horum propriè cauſa vnionis eſſe mihi videtur, ſed vis quædam actiua vniuerſalis naturæ mouentis vtramque, illam vt appetat: hanc vt in eius ſinum, & amplexum ruat; aſſignanda enim eſt vis aliqua, cauſaue efficiens; quæ connubium hoc, & conſenſum faciat, ipſamque vnionem quaſi annulum fœderis, quo forma copulatur materiæ, manupotenti & diui-

na fingat: vt liquebit ex ijs quæ inferiùs de natura vniuerſali dicemus.

Porro hæc tria: actio, illapſus, & relatio, tametſi eodem momento conſtent, nihilominus ordine quodam ſe conſequuntur: actio illapſum; iſte relationem naturâ antecedit: ſed hæc omnia vis illa efficiens; hinc fit vnitas quædam compoſitionis, qua ens vnum numero & naturâ ſuccreſcit.

Finis denique talium vnionum, eſt rerum generabilium æterna quædam ſucceſſio, vt numeroſa facta vnitate, numerus rerum prope infinitus fiat.

Hinc ſolùm duæ inter Philoſophos difficultates emergunt: prima eſt, an totum diſtinguatur à partibus. Secunda, quid ſit vnio, an ſcilicet modus.

§. 2.

Quod totum reipſa diſtinguatur à partibus.

GRAVE nunc recentioribus bellum indicitur, neque his ſolùm, ſed veteribus multis: diuiſi enim ſunt quaſi ex æquo hâc in re Philoſophi; hinc *Alex. Themiſtius, Simplic. Philoponus*, *Dur. & Palud. in* 3. *& Greg. in* 1. part. negant diſtingui: at contrà *Herua. Capreolus, Scotus, & quod caput eſt, D. Thom. in* 3. *& in* 4. ſ. indeque eius vt plurimùm diſcipuli affirmant.

Hi vtique conſiderant partes ſimul vnitas, & ſeorſim aut ſingillatim ſumptas: conueniuntque cum omnibus totum à ſingulis partibus, vt ab anima hominem: itemque à corpore, diſtingui realiter; ſed inſuper addunt etiam à partibus ſimul vnitis reuera diſtingui.

Conclvsio: totum reipſa aliud quidpiam eſt, quam partes vnitæ. Ita Ariſt. 8. Met. t. 15. *Omnium namque quæcunque plures partes habent, & non eſt totum, quaſi coaceruatio: ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes.* Ita diſcrimen totius per ſe ab eo, quod per aggregationem eſt, inde ſolùm eruit, quod illud ſit aliquid ſimplex præter partes: hoc nihil niſi partes vnitæ, & 5. Met. t. 19. *Subſtantia namque cuiuſque eſt quod ſemel, vt puta ipſorum ſex, non qui bis tria, ſed qui ſemel, ſex enim ſemel ſex ſunt.*

Probatur ſic: totum & partes realiter ſunt entia diuerſa. Ergo differunt: antec. patet; totum eſt ens vnum numero: partes, ſiue collectim, ſiue diuiſim ſumptæ, ſunt entia plura. Vnum autem & plura realiter differunt. Ergo.

Item partes ordine generationis totum antecedunt: totum autem non antecedit partes, imo à partibus pendet. Ergo.

Adhuc partes deſtinantur ad totum, vti ad finem, cuius gratia ſunt, & vniuntur. Ergo realiter differunt.

Denique totum eſt terminus ad quem generationis, non partes. 7. Met. vnde aliquando totum generatione fit, partes vero creatione vt

in homine. Imo dum generatur homo quid fieret? Non materia, neque anima, quid ergo? An ſola vnio? At hæc ſola relatio eſt: an non ſubſtantia gignitur? Ergo totum eſt aliud quiddā quam partes, vnicam eāque ſimplicem eſſentiam habens, non continet quidem aliud quam partes; ſed eſt alia res ex ipſis nihilominus partibus conflata. Ita per continentiam idem eſt quod partes: non per eſſentiam. Inde reſpondetur ad authoritates quibus ſe tuentur aduerſarij. Ariſt. inquiunt, 2. de anima ait, *Animal eſſe animam ipſam & corpus.* D. Auguſt. *Hominem nihil eſſe aliud, quam corpus & animam*: D. Athan. in ſymbolo, *ſicut anima, & caro vnus eſt homo*, &c. Reſp. ſenſum eſſe quòd homo non conſtet niſi ex his. Ita exponendus eſt B. Thomas in 4. contra Gent. cap. 81. dum ait, *Humanitatem non eſſe formam reſultantem ex coniunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia ab vtraque.* Solùm vult eam non eſſe formam actuantem diſtinctam, qualem quidam fingunt formam mixtionis in rebus elementarijs. Item non diſtingui à partibus tanquam aliquid eas à ſui conſtitutione excludens: at non negat diſtingui vt aliquid eas includens, ſeu ex ijs conſtitutum: ita *Ferrarienſis* ibi.

7. de Trinit. cap 4.

Vrgebis: S. Th. cit. addit, ſi eſſet forma diſtincta, eſſet accidentalis, quia enti conſtituto in actu adueniret: ſuperueniret enim vnioni, qua forma materiam actuaret, & actuando conſtitueret hoc ens in actu. Reſp. id nobis fauere: ſi enim aduenit enti in actu, quod ſine dubio eſt totum reſultans ex partibus vnitis, ergo non eſt totum ipſum, ſed quid aliud. Fatemur igitur quidquid aduenit enti in actu, id eſſe accidens, negamus totum vlli aduenire, quia eſt id cui adueniunt cætera.

Aſt, inquies, ipſum eſtne ſuperadditum partibus vnitis? Reſp. non propriè, quod enim ſuperadditur, cenſetur veluti ſe toto ab alijs differens: quaſi iam aliunde conſtitutum, quam ex ijs quibus ſuperadditur; ſed ita ex ſe diuerſum eſt, vt ſolum non ſit partes vnitæ, ſed ex ijs ſolis conſtitutum, nec aliud quidquam habeat præter illas, licet aliud ipſum ſit præter illas. Quia quod habetur, pars eſt habentis: paucis totum diſtinguitur, non vt numerum faciens, ſed ſolùm vt colligens numerata; Senarij entitas non eſt 6. vnitates, neque vnitas ſuperaddita, quia ſic efficeret ſeptenarium: ſed eſt vnitas ſenarij, 6. ſolùm recolligens, & adunans in numerum vnum.

Dices, quidquid diſtinguitur ab alio, debet certè diſtingui per aliquid quod non ſit in illo, vel illud non habeat. Ergo ſi partes per ſe à toto, & totum per ſe à partibus diſtinguuntur, nec partes in toto eſſe: nec totum partes habere deberet, quod omnino falſum eſt. Ergo. Reſ. antecedens ſolummodo verum eſſe in ijs, quæ diſtinguuntur per mutuam ſuimet excluſionem, falſum verò in ijs, quæ ſolùm per incluſionem.

Denique inſtabis: totum Metaphyſicum non eſt aliud quam partes, homo enim quid eſt? Animal rationale. Ergo & totum Phyſicum. Reſp. primò totum Metaphyſicum non eſſe aliud, quam partes per

Phyſica.

continentiam concedo, per eſſentiam nego. Reſp. ſecundò melius negando paritatem, quia pars qualibet Metaphyſica eſt realiter ipſum totum: at non pars Phyſica.

§. 3.

An forma immediate vniatur ſuæ materiæ.

DVPLEX eſt ſenſus propoſitæ quæſtionis: primus, an in momento eductionis formæ, & introductionis eiuſdem in materiam, actu perſiſtant in hac materia diſpoſitiones præuiæ; quod alijs terminis ita inquiritur, an fiat reſolutio vſque ad materiam primam. Secundus eſt, an vnio, qua forma vnitur, ſit quidpiam reipſa diſtinctum à materia & forma: multi enim opinantur eam eſſe modum, alijs contrà ſentientibus; de priori quæſtione dicemus in II. de gener. hic de ſecunda.

CONCLVSIO: forma & materia immediatè vinciuntur ſine vllo modo intermedio. Ita ſane antiqui omnes Philoſophi, qui nuſquam modorum huiuſcemodi mentionem fecerunt: D. Thom. vnionem ſæpius relationem nominat, nunquam modum, & in 3. d. 2. q. 2. a. 1. inter humanitatem & verbum nihil eſſe intermedium aſſerit; *Sicut inter materiam, & formam nihil cadit medium in eſſe, quòd per prius ſit in materia, quam forma ſubſtantialis.*

Probatur autem primo, quia tales modi, vel mera ſunt accidentia, vel mera figmenta, vt oſtendimus in Logica. At fatentur omnes vnionem non eſſe accidens: quia ſubſtantia nequit intrinſecè compleri per accidens. Ergo etiam nec vniri.

Secundò, vnio eſſentiæ ad ſuum eſſe contingit ſine vllo modo, ergo & vnio materiæ ad formam. Antec. patet, quia modus quilibet ſupponit ſubiectum exiſtens: conſeq. probatur quia forma eo ipſo vnitur materiæ, quòd materia per eſſe formæ exiſtat. Ergo. Illud itaque eſſe, proprius eſt nexus vtriuſque, hoc ſe ambæ partes amplexantur. Thomiſtæ, qui modos adſtruunt hinc ſe quomodo expediant: haud equidem video. Concedunt ipſi hoc antec. & nos cum illis efficaciter ſuprà probauimus contra cæteros, conſequentiam quis eludat?

Tertiò, qui modum talem admittunt innumeris ſeſe difficultatibus illaqueant; duplex an vnica ſit, ſpiritualis an corporea: ſi enim duplex fuerit, quomodo altera ſuperuacanea non erit? Suſpende vnam; ſelige alteram hæc ſit formæ, nempe vnit formam materiæ: quid; an materia tunc erit illi non vnita? Ecquis vnionem vnius ad alterum non vnitum, ſed diſiunctum intelliget? Vnita vero ſi materia fuerit; eò ſolùm quod forma vnionem in materia exercet ſuam: profecto inutilis erit alia quæcunque materiæ vnio: quare vnica tantùm eſt admittenda; hoc ſi ita eſt, quæſtio nunc intricatior ingruit, cuinam inſit formæ, an materiæ, an ambabus. Si formæ, quomodo vniet materiam? Si materiæ, quomodo formam? Si ambabus, quomodo vna erit? Et ſi corporea eſt, quomodo inerit animæ? Si ſpiritualis, quomodo corpori?

pori? Denique admittunt omnes verbum diuinum humanitati vniri ſine modo, quandoquidem noui nihil in ſeſe ſuſcipere poteſt: cur ergo ſimili ratione cætera ſine modo vniri non poſſint?

Amandatis igitur his entitatulis, dicimus in vnione tria ſolùm, quæ ſuperiùs memorata ſunt, reperiri: *Actionem*, *illapſum*, *relationem*, actione fit forma, ſimulque inſeritur materiæ; Illapſu forma intime materiam penetrat, eam ſe ipsâ formans actuanſque: hinc denique reſultat relatio mutua partium vnitarum, quæ conſequitur ſubſtantiam, non conſtituit.

De illapſu ſolùm tota difficultas occurrit, hæc autem actualis eſt informatio, qua materia fit particeps ipſius eſſe formæ, eoque actuatur, & ad hoc tria requiruntur, ſed & ſufficiunt.

Primum, capacitas materiæ, & propenſio formæ.

Secundum, indiſtantia, & penetratio formæ ad materiam.

Tertium, actualis informitas materiæ, vt nimirum aliâ formâ informata non ſit. His tribus ſuppoſitis neceſſe eſt formam illico per ſeipſam materiæ copulari: ſi vel vnum deſit, hoc nequibit iniri coniugium. Sit anima rationalis in corpore leonino, nihilomagis id informabit quam Angelus, quia neque ad hoc illa propenſionem; neque hoc ad illam aptitudinem habet: ſit à corpore ſeparata: ſit in alieno, animatoque corpore, haud illabetur: hinc facile ad quæuis argumenta contraria reſpondebitur.

En præcipuum quod ſolet obijci: quod per ſe tale eſt, ſemper ac neceſſariò eſt tale, ſed anima per ſeſe, ſi vtique non per aliud à ſe diſtinctum, vniretur. Ergo ſemper ipſa vnita perſiſteret: ſicut quia per ſe viuit & ſubſiſtit, ideo ſemper viuens & ſubſiſtens manet. Reſp. negando. Mi. Etenim licet dum præſens adeſt materiæ ſui capaci, actuque alieno nudatæ per ſe vniatur, tamen per ſe non fit illi præſens. Per quid ergo? Per actionem agentis, qua vel producitur in materia, vt in generatione: vel adducitur in corpus, vt in reſurrectione. Eadem etiam actione agentis præparatur materia, & ab oppoſita forma ſpoliatur.

CAPVT XIII.

DE NATVRA SECVNDVM Ariſtotelem.

§. I.

An quid, & quotuplex ſit.

LIBRVM ſecundum Phyſicorum aggredimur, in quo Ariſtoteles de natura, de arte, de cauſis, de fato, ac de fortuna & caſu ediſſe-

rit. De natura diſputari poteſt & ſecundum Ariſtotelem, & ſecundùm Platonem: nunc igitur breuiter quid de illa ſecundum diſcipulum, deinceps quid etiam ſecundum præceptorem ſentiri debeat, imo potius quid ex vtroque ſecundum veritatem, edicemus.

Ariſt. 5. *Met. t.* 5. varias naturæ acceptiones ab antiquis excerpſit. Primò, inquit, natura dicitur naſcentium generatio, ſeu natiuitas: ſecundò, id ex quo inexiſtente res generantur. Tertiò, id vnde eſt principium motus in quolibet entium ſecundum naturam, dummodo in eo ſit, in quantum huiuſmodi, & non per accidens. Sicut vis formatrix viuentium in ſemine. Quartò, id ex quo inordinato, & immobili ſecundùm potentiam aut eſt, aut fit aliquid eorum, quæ naturâ conſtant. Sic ſtatuæ aheneæ natura eſt æs, ligneæ lignum: Quintò, natura dicitur ſubſtantia, quæ dat ſpeciem compoſitis, quam quidem ſpeciem Empedocles in mixtione, vel relaxatione permixtorum conſtituebat. Has naturæ ſignificationes ex antiquis collegit Ariſt. vt proderet, quomodo concors ſemper fuerit Philoſophorum ſententia in ea tradenda naturæ deſcriptione, qua dicitur principium internum motuum, qui ſunt ſecundum naturam.

Aliter præterea nomen naturæ conſueuit vſurpari: & quidem primò à Philoſophis aliquando pro rei cuiuſque eſſentia, nonnunquam pro inclinatione rerum ad proprium finem tendentium; aliàs aliter. Sæpius pro interna rerum diſpoſitione, ſerieque cauſarum. Propriè verò pro interno principio motus & ceſſationis, vt inferius dicemus. At à medicis ſumitur primò, pro temperamento corporum, vt cum dicunt æſtate & hyeme naturam alterari: ſecundò, pro facultate naturali ſingulis partibus, totique indita corpori, vt cùm dicunt morbum fieri, cùm cibus præter naturam ingeritur. Tertiò, pro conſtitutione corporis, vt cùm dicunt eos qui natura thoraces anguſtos habent, pronos eſſe ad languorem: quartò, pro forma ſubſtantiali corporis, quintò, pro calore innato, &c.

Hipp. 2. Aphor.

2. Aphor. 17.

4. Aphor. 37.

Naturam porro eſſe non eſt cur demonſtremus, per ſe enim manifeſtum eſt in rebus ea eſſe omnia quæ numerauimus. Iam ergo quid ſit videamus.

Natura duplex eſt: vniuerſalis, & particularis. Illa vel Deus eſt, qui natura naturans à Boëtio & Auerroë, & natura prima à reliquis appellatur: vel eſt vis quædam diffuſa per omnia, quæ ſic definitur à Cic. 2. de nat. Deor. *Natura eſt vis quædam ciens motus in corporibus neceſſarios, cuius ordo indicat, quid cuiuſque rei cauſa efficiat, & quid quamque cauſam ſequatur.* Sic natura eſt vis quædam occulta, non quidem ſenſu, ſed intellectu perceptibilis, ita vel à Deo non differens, vel inſtructa à Deo, vt cuilibet ſubſtantiæ corporeæ nempe elemento, lapidi, herbæ, arbori, leoni, &c, ſuppeditet eſſentiam, & quaſlibet vires naturales, ac denique incrementorum, & efficaciarum menſuram, pondus, ac numerum.

Altera eſt particularis, quæ ineſt ſingulis, & ita definitur ab Ariſt. 2. Ph. *Principium motus, & quietis in re naturali, cui primùm per ſe, &*

non per accidens ineſt. Explico, *Principium* inſtar generis ei eſt: cætera loco differentiæ: *Principium motus & quietis*, q. d. cauſa, cur res naturalis mutetur, aut in eodem ſtatu aliquantisper maneat; putà cur lapis deorſum tendat, vel in terra quieſcat, *In re naturali, cui primùm per ſe ineſt, non per accidens*. q. d. id principium non eſt extra rem naturalem, ſicut ars, efficiens, & finis, ſed in compoſito: *Non per accidens*, vt accidentia, ſed tanquam pars ſubſtantiæ illius primaria, & neceſſaria vt pote materia & forma.

Hinc collige diſcrimen artis à natura: nam vt optimè hic D. Thomas *Artefacta, quatenus talia, non habent in ſe principium artefactionis: ſed quædam mouentur ab extrinſeco, vt domus & alia, quædam verò ſunt à principio, ſed per accidens*. Vt cum medicus per ideam ſuæ artis ſe ſanat: ſic ars & artificium nequeunt eſſe principia motus naturalis, aut etiam motus primi, ſed accidentarij; imo ordinis, vel figuræ duntaxat: vt dum quis ſaltat, & quidquid accedit motus naturalis, id à natura, non ab arte prouenit.

§. 2.

Quale princ[illegible]ium ſit natura.

SCOTISTÆ volunt naturam eſſe quandam vim internam, ſiue pondus, ſecundùm quod vnumquodque poteſt moueri ad fines determinatos. Sic motus viuentium, quibus ſeipſa mouent non ſunt naturales, ſed ſolummodo prout ex ſe talem vel talem motum recipere poſſunt. Ita *Scotus, Fauent. &c.*

Thomiſtæ contrà cum Zabarella cenſent naturam eſſe principium tam actiuum, quàm paſſiuum: id que conform[illegible]s videtur Ariſtoteli, dum hic t. 2. ait, *Quæ enim naturâ ſunt, omnia videntur habere in ſe principium motus & ſtatus, hæc quidem ſecundùm locum; illa ſecundùm accretionem & diminutionem, quædam autem ſecundùm alterationem. Lectus autem & indumentum, & quæ ſunt generis eiuſdem, quatenus ſunt ab arte, nec vnam quidem habent propenſionem mutationis inſitam*, & 8. *Ph. t.* 27. *quorumcumque autem motus principium in ſeipſis eſt, hæc natura dicimus moueri, quapropter animal quidem totum naturâ ſeipſum mouet.* In 1. d. 18. Theor. 37.

Hæc verba videntur manifeſta, ex quibus confici poſſunt hæc duo argumenta. Id ſecundùm quod aliquid dicitur naturale, eſt natura: ſed ſecundum principium actiuum, quo animalia ſe mouent, ipſorum motus dicuntur, & verè ſunt naturales. Ergo principium illud eſt natura.

Secundò, principium quo naturale maximè diſtinguitur ab artificioſo, eſt maximè natura: ſed illud eſt principium actiuum; (neque enim per paſſiuum diſtinguitur,) Ergo. Enimuerò cum negant Philoſophi principium motus quod eſt natura, ineſſe rebus artefactis, de principio effectionis, non de paſſionis, illud intelligunt. Denique dum leo leonem generat, ignis calefacit, ſol illuminat: quæro hæ actiones prout ab illis agentibus prodeunt, an à natura ſint, nec-

ne? Ecquis hoc neget? At à principio ſolùm actiuo ſunt, provt ab illis manant. Ergo principium actiuum natura eſt.

Verum quò veritas lucidior appareat, notandum eſt ad principium motus naturalis tria ſecundum Ariſtotelem cit. pertinere. Primum eſt efficiens, cui reſpondet internum patiens, quale competit viuentibus: ſecundum eſt inclinatio, ſeu impetus quidam ὁρμὴ ſequens formam, qualis ineſt grauibus & leuibus. Tertium, patiens cum facilitate & propenſione ad formam, conſequente materiæ conditionem. Inde generatio Phyſica dicitur naturalis: tamen Ariſtoteles videtur principalius primum & ſecundum ex illis tribus attendiſſe in natura: cum in præfato textu ideo neget rationem naturæ in lecto, &c. quòd ὁρμὴν impetum, inclinationemque non habeant; & à fortiori neque vim effectricem. De tertio gradu ſiluit, vt de minùs manifeſto. Adde quòd cùm de tribus motibus, quibus à ſeipſis viuentia mouentur, loquutus ſit, nihil verò de generatione, qua non niſi ab extrinſeco poſſumus agitari, effutierit, ſignum eſt eum præcipuè de principio actiuo interno fuiſſe locutum.

Quin imo ſunt qui affirment ſolùm principium actiuum eſſe naturam propriè: idque ex cit. textu Ariſt. eruunt. Indeque confirmant, quòd omnis effectus & proprietates naturæ actionem arguant, non paſſionem: vti quòd *Agat propter finem*, quòd *materiam alliciat ad formam, illique ſubijciat, ex ea illam eliciat*, &c. quæ ſunt officia, non patientis, ſed agentis.

Aiuntque ex tali actione, & dominio naturæ in materiam oriri, vt hæc habeat rationem principij paſſiui. Qui ſic ſentiunt à Platonicis non multùm diſcrepabunt: ſed hîc interim communi Peripateticorum ſententiæ hæreamus.

Obijciunt Scotiſtæ: mutatio ſolùm naturalis eſt ſecundum principium paſſiuum. Ergo ſolùm hoc eſt natura. Antec. patet: mutatio eatenus eſt naturalis, quatenus paſſim mutatur ſicut aptum eſt mutari, at hoc ſolùm principio paſſiuo conuenit. Ergo. Confirmatur hoc ex Ariſt. qui 2. *Ph.* explicat naturale per τὸ ferri ſurſum, & 8. *Phyſ.* ait ea quæ contra principium paſſiuum mouentur, eſſe violenta. Reſp. primò, his ſolùm probari etiam principium paſſiuum eſſe naturam, quod nos approbamus cum Thomiſtis. Quod de mutatione dicitur in primo Antec. intellectum de generatione verum eſt: de alijs motibus falſum. Reſp. ſecundò, principium illud paſſiuum tale factum eſſe à natura per vim actiuam, & efficacem, qua pollet, non per paſſiuam.

Obijc. ſecundò, natura eſt principium primum: ſed principium internum actionis: non eſt primum, quia quidquid mouet, priùs moueri vt moueat, neceſſe eſt. Ergo. Reſp. diſtinguo Mi. non eſt primum abſolutè, concedo: non eſt primum internum, nego. Etenim provt mouetur extrinſecus non eſt natura; eſt verò quatenus primò ſeſe mouere incipit.

Obijc. tertiò, multæ actiones procedunt à principio actiuo, quæ non ſunt naturales, ſed violentæ vt ſaltatio; idque ideo ſolùm quòd

ſint contra principium paſſiuum. Ergo principium actiuum non eſt natura. Reſp. nego conſeq. quia vt actio dicatur ſimpliciter naturalis, non ſufficit, quòd à principio actiuo procedat, ſed requiritur præterea, vt non repugnet paſſiuo, vt ſuperiùs explicuimus.

Obijc. quartò, ſaltem generatio nequit dici naturalis à principio actiuo: ſed ſolùm ob paſſiuum, in quo recipitur. Reſp. naturale dici dupliciter, primò propriè quatenus extat ſecundum naturam eius à quo fit, ipſique internum eſt; ſecundò, latè & impropriè, quatenus ab agente naturali ſecundùm modum præfinitum eius naturæ fit, generatio eſt naturalis ſecundo ſenſu, non primo; ita Peripatetici.

§. 3.

Cui præcipuè competat ratio naturæ.

CVM ſubſtantia quælibet corporea duabus partibus conſtet, materia ſcilicet & forma; ex quibus exurgit compoſitum: quæritur an nomen & notio principij conueniant materiæ, an ſoli formæ. In primis, quòd formæ conueniat, Peripateticus nullus contradicit, abnegandus enim priùs illi eſſet ſuus Ariſtot. qui clariſſimè id affirmat. Quòd item propriè compoſito nòn congruat, ſimiliter omnes concedunt, eò quòd opus ſit naturale, & naturæ vltimum opificium: reſtat vtrum materia dici natura valeat.

Communis doctrina id aſſerit; negat Zabarella cum alijs: vtriſque fauere videtur Ariſtoteles: primæ ſententiæ adſtipulatur, dum 2. Ph. t. 10. ait, *Vno modo natura dicitur prima vnicuique ſubiecta materia, habentium in ſeipſis motus principium & mutationis: alio autem modo forma & ſpecies, quæ ſecundùm rationem,* Ita materiam clarè naturam vocat: nec minùs huic fauet ratio; ſiquidem ſuprà diximus naturam dici etiam ob principium paſſiuum motus, at hoc nonne materia eſt?

Aliunde idem Ariſt. cit. t. 11. ait: *Quod poteſtate caro eſt, vel os, id nondum ſuam ipſius naturam habet, prinſquam acceperit formam, quæ ponitur in definitione*: & infrà comparans materiam cum forma, ſub notione naturæ, addit: *Atque hæc*, ſcilicet forma, *Magis quam materia, eſt natura, vnumquodque enim tunc magis dicitur, cum actu eſt, quam cum eſt poteſtate.* Hiſce verbis innuit, primo naturam actu nuſquam eſſe niſi per formam. Secundò, naturam vnicuique ſuam ita competere, vt diſtinguatur à natura reliquorum, non ſolùm numero, ſed definitione, hoc eſt, ſpecie. Sic natura hominis actu ſolum eſt, quando actu eſt anima: vnde hoc poteſt confici efficax argumentum, id eſt duntaxat natura, quo variante, natura variat, & quo non exiſtente, natura non exiſtit: ſed ſola forma eſt huiuſmodi ex Ariſtotele. Ergo. Alioquin cum materia ſit communis in omnibus, quomodo non in omnibus natura eadem foret? Ita Peripatetici de ſenſu præceptoris inter ſe litigant, & vt puto, de ſolis verbis: nempe an materia debeat appellari natura. Vt autem quid ſentiam, paucis exponam, Reſpondeo cùm

Ariſt. materiam eſſe naturam poteſtate tantùm, formam verò actu. Hoc autem vel eo ſenſu poteſt intelligi, quo 8. *Met. t.* 3 dixit materiam eſſe potentiâ formam, non actu. *Materiam dico, quæ cum non ſit quod quid actu, potentiâ eſt quod quid.* Vel ita vt materia ſit natura, quaten⁹ apta eſt per formã determinari, ad quoſdam mot⁹ determinatos ſuſcipiendos. Etenim licet principium paſſiuũ dici natura ſoleat, tamẽ nõ quodlibet tale principium; ſed certum quoddam, ac certorum & determinatorum motuum tantùm: talem autem determinationem materia ſuſcipit à forma, vt conſtat ex antedictis. Ideo Auerr. 3. de cœlo. *Forma,* inquit, *mouet quatenus eſt forma, mouetur verò quatenus eſt in materia:* & meritò quidem, quoniam ſi quæras, cur animal naturâ ſuſcipiat motum progreſſionis potiùs quam lapis, quid dices, niſi quòd lapis non ſit corpus animatum? Ita recurritur ad formam neceſſariò.

Verùm dupliciter forma determinat potentiam paſſiuam materiæ: vno modo per ſe immediatè, quatenus materiam actuat, eamque ſibi præſtat obedientem: ſecundò, per accidentia, quæ à forma in materiam reſiliunt; hinc fieri poteſt, vt motus aliquis procedat à forma ſecundùm ſe, & tamen ſit contra potentiam paſſiuam determinatam per accidentia formæ. Sic corpus ab anima rationali habet vt moueri quaqua verſum valeat: ſurſùm, deorſum, ante, retro, &c. per grauitatem verò, ſolùm vt deſcendat. Quando ergo quis ſaltat, violentè mouetur, prout contrà materiam determinatam per grauitatem ſe ſurrigit: prout verò is motus fit à corpore animato, dici poteſt naturalis.

Quæres vtrum anima rationalis ſit natura. Reſp. eam ſine dubio gaudere omnibus titulis, quibus frui reliquas animas aſſeueramus. Eſt enim forma corporis naturalis, vt reliquæ: quamobrem ſi formæ reliquæ, naturæ nomen ac notionem vſurpant, vt in Peripatetica ſchola, pro explorato habetur, certum quoque eſt animam rationalem eſſe naturam, prout principium eſt operationum, quæ in corpore exercentur: vt nutritionis, progreſſionis, ſenſionis, &c. Imo etiam prout eſt principium intelligendi cum ordine ad corpus, vt loquendi, ridendi, admirandi, æſtimandi, &c. quia etiam ſic eſt actus corporis naturalis, & eiuſmodi actiones naturales quoque ſunt. Vnde etiam eo ſenſu dici poteſt animam rationalem vt rationalem eſſe naturam: quatenus verò eſt principium operandi ſine ordine ad corpus, vt contemplandi, &c. ſine dubio ſuperior naturâ eſt, eiuſque, quemadmodum Angeli, ordinem omnem ſuperat.

CAPVT XIV.

DE NATVRA VNIVERSALI ſecundum Platonem.

DIGRESSIO SECVNDA.

§. I.

De ſententia Ariſtotelis: Examen Platonicum.

DVO præcipuè ſunt, in quibus Ariſtotelis ſententia videtur Platonicis minus approbanda. Primum, quòd naturam in gradu corporum collocauerit, eamque cum forma ſubſtantiali vel cum materia confuderit: ſecundum eſt, quòd nullum aliud principium excellentius videatur admittere, quod immediatè naturæ opera confingat.

Quoad primum ſequentes propoſitiones afferunt. PRIMA: *natura non eſt forma. Antequam probetur, ſupponendum eſt duo à Platonicis vt certa præſumi, primum, quòd natura dicatur principaliter in ordine ad generationem, vt ſtatim oſtendetur: ſecundum, quòd vel ſolùm vel principaliter, & abſolutè ſit principium actiuum, de quo nos ſuprà diximus. Vtrumque probari poteſt ex Ariſt. primum, quia is* 2. de animat. 34. *ait generare φυσικώτατον maximè naturale eſſe.*

Secundum, quia in 2. Phyſ. *diſtinxit naturale ab artificiali penes illud principium actiuum, vt ſupra diximus. His ſuppoſitis, prima, propoſitio ſic probatur: cui non competit definitio naturæ reſpectu potiſſimæ operationis naturalis, id non eſt propriè natura: ſed naturæ definitio ſic non competit formæ. Ergo. Probatur minor: potiſſima operatio naturalis eſt generatio, etiam ex Ariſt. imò à generatione ſola, & in ordine ad illam omne naturale propriè denominatur: à naſcendo enim natura deriuatur. Hinc omnes antiqui nomen hoc traduxerunt, vt patet ex initio cap. 13. §. 1. denique motus cæteri propriè naturales non ſunt, niſi quatenus generationem aut præcedunt, aut ſubſequuntur. Atqui reſpectu generationis, forma dici nequit principium intrinſecum, ergo illi reſpectu eius definitio naturæ non conuenit.*

Secundò, quæ proprietate ac fine per ſe differunt, ea certè diſtingui neceſſe eſt: ſed natura & forma proprietate, ac fine per ſe differunt. Ergo. Ma. euidens eſt ex Topicis. Mi. probatur, proprietas formæ vel præcipua hæc eſt, vt materiam actuans compoſitum exornet, diſtinguat, eique ſpeciem indat: at naturæ proprietas multò ab his diuerſa eſt; mouet appetitum materiæ ad formam, formam coaptat, inſeritque materiæ; genituras emittit, fruſtrà nihil agit, nunquam eſt otioſa; finem ſemper optimum ſibi præoptat, denique iuſtitiam in omni ſuo ſeruat opere, &c. has enim

vel ipſemet Ariſtoteles tradit.

Tertiò, huc poſſent ea omnia congeri, quæ à Scotiſtis fere congeminantur.

SECVNDA PROPOSITIO: *materia non eſt propriè natura. Hæc ſequitur ex præcedente: atque ex his quæ vltimo §. dicta ſunt & quidem multò minùs materiæ conueniunt proprietates naturæ ſuperiùs ad lectæ quàm formæ. Nihil ipſa per ſe agit: determinatè per ſe nil ſuſcipit, &c.*

TERTIA PROPOSITIO, *corpus Phyſicum, quod compoſitum eſt ex materia & forma determinata non eſt propriè natura. Probatur, natura eſt principium internum mutationis: At corpus nullum poteſt eſſe principium internum mutationis reſpectu alterius: corpora enim penetrare ſe mutuo nequeunt. Ergo neque vnum poteſt intrinſecè aliud permeare, nec eſſe internum illius permutandi principium: imo nullum corpus agit, niſi quatenus eſt in actu per formam: ergo non poſſet dici natura niſi ratione formæ: at hoc ex priori propoſitione falſum reuincitur.*

Secundò: corpori per ſe conuenit, vt ſit mobile: mobilitas enim eius prima proprietas eſt: at naturæ id minimè conuenit, ſed potiùs eius contrarium, per ſe enim principium actiuum eſt, neque paſſiui habet rationem, niſi quatenus reddit materiam habilem ad paſſionem. Ergo corpus non eſt natura.

Tertiò, corpus omne per ſe pendet à natura, natura nullomodo pendet à corpore. Ergo diſtinguuntur.

QVARTA PROPOSITIO: *natura gradum occupat corpore ſuperiorem: patet ex præcedente. Quod ab aliquo per ſe & non per accidens pendet, non reciprocè; id certè illo inferius eſt, etiam ſecundum Peripateticos. Atqui corpus omne ſic pendet à natura: ergo. Secundò, corpus ſe habet ad naturam, ſicut arteſactum ad artem: ſed ars ſemper obtinet gradum ſuperiorem arteſacto. Ergo.*

Hinc inferunt nullam virtutem accidentariam à forma ſubſtantiali corporea deriuatam, naturam dici poſſe: etenim virtus huiuſmodi nec principium per ſe, nec primum eſt: inferius item corpore, ab eo dependet, fluit, degeneratque. Ergo natura propriè dici nequit.

Inferunt ſecundò, naturam non eſſe actum ſubſtantialem, qui materiam informet, quia eſt pars corporis Phyſici, eòque naturâ ipsâ inferior.

Inferunt tertiò naturam eſſe in gradu viuentis, quod enim eſt ſupra gradum corporis, id debet eſſe in gradu viuentis; ſed natura eſt ſupra gradum corporis. Ergo. Aliunde natura non debet cenſeri ordinis arte inferioris: at ars eſt actus vitalis. Ergo. Ita Platonici ex inſpectione naturæ, arcanam omnipotentis numinis artem ſubodorati ſunt, eiuſque immenſitatem.

QVOAD SECVNDVM *in quo Ariſtoteles à Platonicis diſſentit, quòd principium formâ eminentius non admiſerit, à quo immediatè naturæ opera prodeant, ex multis eius ſententijs poſſet erui: ſed ſequentes ſufficiunt.*

Primo cùm 2. Ph. t. 26. ait, Homo enim hominem generat, & ſol, *ſat indicat nullum aliud eſſe rerum generandarum principium, & 1. Met. irridet Anaxagoram, quod à mente pendere rerum generationes dixiſſet.*

Anaxagoras,

Anaxagoras, *inquit*, tanquam machinâ vtitur intellectu ad mundi generationem, & cum dubitat propter quam cauſam neceſſario res eſt, tunc eam attrahit. *Quin* 12. Met. t. 26. *Omnia principia generationum his verbis complectitur*: hominis cauſæ, *inquit*, ſunt elementa, ignis, & terra, & materia, & propria forma: & ſi quid aliud extrinſeci eſt, vt pater, & præter hæc, ſol, & obliquus circulus. *Ita nuſquam meminit alius principij: ipſe perpetuò ſugillat antiquos, quòd quadam principia rectè aſſignantes vnum tamen aliquod omiſiſſe putarentur. Ipſe autem principium hoc internum formâ, corporeque ſuperius, ſi agnouit, cur non declarauit, vel aliquando? Reſpondent ab eo ſæpe Deum nomine naturæ deſignari, à quo vtique regantur, ac pendeant omnia: ſiquidem primo Met. ait* Deum eſſe cauſam omnibus, vt ſint; *In* 12. *l. t.* 32. à Deo cœlum & naturam pendere, *t.* 52. Deum principem ac ducem eſſe ordinis vniuerſi, *& in* 2. *Ph.* naturam agere propter finem: *& Moral. lib.* 7. *cap.* 18. ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo eſt Deus, & viciſſim in illo omnia: mouentur enim cuncta ab inexiſtente in nobis numine, &c.

Reſp. hac quidem laudanda eſſe plurimùm: ſed interim ipſi fortaſſe idem obtigit, quod de Anaxagora refert Plato in Phadone, nimirum quòd ſemper de mente loquebatur, & ab ea effici omnia, atque exornari dictitabat: attamen cum ſingulorum cauſas aſſignaret, nuſquam ad mentem ſolebat aſcendere. Ita explicabat omnia perinde, ac ſi mens eſſet nulla, aut ſine mente conſtarent vniuerſa: ſic Ariſtoteles aliquando de Deo egregiè loqui viſus eſt, at dum ſeriò rerum cauſas exquirit, Deum cali duntaxat mouendi authorem facit & cauſam, & nihil praterea.

Vnde, vt opinor, ſecundùm illum res dependent à Deo, vt à primo motore, natura dicitur agere propter finem, non directione prouida, ſed ſolo pondere naturali, eo modo quo materiam dixit ad formam, vti ad finem tendere, & motum lapidis deſcendentis eſſe propter centrum. Si aliud velit, cur dum naturam ait nihil fruſtrà edere, eam oppoſuit Deo? Deus, *inquit*, & natura nihil agunt fruſtrà. *Deus & natura, ibi duo ſunt, non vnum, denique numen quod ait rebus ineſſe omnibus, fortuna eſt, de quo infrà. Hac ſunt qua Platonici aduerſus Ariſtotelem obijciunt, ipſi verò ſupra corpora, eorumque formas vim quandam occultam, immenſam, omnificam admittunt, qua vel Deus ſit, vel Dei virtus: interim nolim his qua diximus authoritati Ariſtotelis quidquam detrahi. Amicus ipſe, amicus & Plato, ſed magis amica ſemper veritas.*

§. 2.

Quid ſit natura ſecundùm Platonem ac ſanctos Patres.

NOLO *hic Platonicorum ſenſa recludere: Platone contentus ſum; eoque ſolum, quatenùs cum ſanctis & Orthodoxis Patribus, imo cum ſancta ſcriptura conſentit, id quod hac in re maxime occurrit, declarare contendam.*

Itaque Plato naturam definit artem Dei in materia, *Hinc in Sophiſta*

docet animalia cuncta mortalia, plantaſque quæcunque in terra ex ſeminibus, radicibuſque naſcuntur, & quæcunque inanimata in terra conſiſtunt, ſiue liquefieri poſſint, ſiue non poſſint, Opifice Deo fuiſſe fabricata. *Tum reijcit opinionem* dicentium iſta naturâ gigni à cauſa fortuita ſine mente hæc agente: vel cum ratione potiùs, ſcientiaque diuina, quæ ab ipſo Deo ſit orta. *His verbis agnoſco pene Ariſtotelis ſententiam prædamnatam, vt ex Plutarcho* 2. de plac. ca. 3. *conſtat, vbi ait Ariſtoteli placuiſſe, quòd terrena nullum ordinem niſi ex euentu conſequantur.*

Secundò, aduerto à ſolo Deo proximè fieri omnia.

Tertiò, omnia cum ratione gubernari.

Quartò, opus naturæ opus eſſe intelligentiæ.

Quintò, hoc non eſſe opus intelligentiæ creatæ, vt voluit Auicenna: ſed eam intelligentiam, cuius ratione, & ſapientia cuncta fiunt, eſſe Deum ipſum.

Sextò, naturam eſſe artem Dei, id quod ſtatim clariùs exponit, dicens: Ponam verò illa, quæ natura gigni dicuntur, arte diuina fieri.

Obſcuriùs naturam definit in 10. *de Reſ. profundius tamen. Eius imago eſt talis:* Lumen rectum, tanquam columna; per totum cælum, terramque protenſum Iridi ſimile, ſed ſplendidius, & purius: in cuius medio productæ à Deo extremitates vinculorum ipſius cæli conſpiciũtur, & ipſum eſt cæli colligatio: quemadmodum ſuccincturæ triremium, ſicque totam conuerſionem continet.

Dicitur lumen *quoniam ars cùm ſit Dei, ab hoc intellectili ſole promicans, materiam illuſtrat, ac fouet:* rectum eſt inſtar columnæ, *Quoniam ex diuina ordinatione mouet corpora, prout moueri apta ſunt: neque ridicula ſanè Metaphora, etenim figura columnalis fit, cum ex circulo producitur aliquid in lineam, aut cùm circa lineam circumducitur motus circularis; circulare ſolet attribui operationi mentis & Dei: quia in ſeſe reflecti aſſueuerunt. Lineale ſeu rectum, materiæ & corporibus, quia ſine reflexione extra ſe ſolùm exporrigunt actionem, aut ab alijs directè ſuſcipiunt.*

Cum ergo res corporeæ mouentur ex diſpoſitione diuinæ artis, vel cùm ars illa Dei ſuper materia voluitur; ſicut ſpiritus Domini ſuper aquas, *certè lumen columnare rectè meretur appellari,* Iridi ſimile eſt, *quia ſicut Iris, à ſole, ſic natura à Deo: & ſicut Iris omni genere colorum fœta videtur, ſic natura rerum omnium ſemina, formaſque omnigenas exprimit, ac gignit.* Iride ſplendidior, ac purior eſt: *quia Iris ſpecie inanis eſt, & in parte obſcura generis viſibilis reponitur; natura verò in parte clara eiuſdem generis, res ſenſibiles veras in ſe complectens*, Per totum cœlum totamque terram extenditur, &c. *quia natura, ſeu ars Dei omnibus penetrantiſſimè ineſt, fouet omnia, ſupera cum inferis, & horum partes quantauis contrarietate diſcordes conſociat, conuertit, adunat. Denique* quid ipſæ vinculorum mundi extremitates? *An non forte deſitiones elementorum in mixta, quæ influxu cæleſti producuntur in medio mundi, in quo nos ſumus? At forte melius per vincula, ideas intelligimus, quæ ſunt vires prouidentiales, δυνάμεις προνοητικαὶ ex D. Dyoniſio, & conſequenter vincula vniuerſi?*

Harum extrema ſunt infimæ formæ, quæ in medio natura.i. in ipſa & per ipſam productæ conſpiciuntur.

Inde Plotinus naturam conſiderauit veluti diuinum quoddam contēplamen, ſimulque docuit omnia per contemplationem agere. Vide Enn. 3. l. 8. *cæterùm tam ipſe, quàm alij (neque Ficinum excipio,) multa de natura ſubdiderunt, quæ certè difficilia plurimùm explicatu, ſed creditu abſurdiora putem, & haud ſcio, an Platonem habeant patronum. Supponunt ipſi quandam animam mundi, quæ cum diuinæ ſapientiæ diſpoſitionem clarè contemplatur, inde quaſi verbum obſcurius parturit, ſc. vim quandam vegetalem, à qua deinde formæ in materia; ſicut à verbo noſtro mentis, voces exteriùs in aëre, exprimuntur. Nos hic pretioſum à vili, certum à dubio, Orthodoxum ab intuto, & ſaltem à temerario ſecernere decreuimus. Ideo ſit*

Concl. *Natura propriè dici poteſt* ars Dei, *hinc Sap.* 7. Sapientia Dei omnium artifex *appellatur. D. Auguſt.* 11. de Trinit. *verbum diuinum appellat*, artem plenam rationum viuentium, & 2. Geneſ. *Totum opus creationis explicatur nomine apud Hæbræos ſignificante artificium.*

Probatur ſic, ars eſt virtus animi qua opifex ſecundum regulas mente conceptas opus exterius efficit. Sed natura eſt virtus, qua Deus ſecundum regulas mente præconceptas.i. ideas, rem quamlibet extra ſe facit. Ergo. Maior ex ſe clara eſt. Minor patet ex omnibus illis ſacræ ſcripturæ locis, quibus rerum omnium effectio, atque conſeruatio Dei ſapientiæ, ac virtuti adſcribuntur, qui quidem ſunt innumeri. Præcipui, Prouerb. 8. *vbi ſic mirificè deſcribitur virtus omnipotentis Opificis:* quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, *&c.* cum eo eram cuncta componens. *Sap.* 7. *declarantur virtutes, atque officia multiformis ſapientiæ Dei, quæ cùm vna ſit, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innouat. De hoc ergo Chriſtianos vel ambigere, crimen eſt: ſi ambigas tamen, quod abſit, aut ſi, quod fauſtius eſt, exerceri te cupis, naturæ mirabilem ordinem cogita; animantium inſtinctus omni humanâ ſapientiâ citra comparationem prudentiores expende: concipiendi, pariendi, ſentiendi, atque id genus infinitam & impenetrabilem induſtriam meditare. Ex his omnibus non minore admiratione, quam Galenus ex ſola hominis organizatione, cogêris canticum in laudem creatoris occinere, faterique quòd vltra formas naturales, vltrâ ſolis, cælique influxus, virtus præpotentis iuxta ac ſapientiſſimi Opificis principium per ſe ſit primum, atque internum omnis motus, & quietis rerum omnium. Lege Iob per totum fere, ſed præcipuè à cap.* 37. *ad finem: ibi Deus ore, & opere ſe prodit eum eſſe, quem hic artificem quærimus: breuitati ceſſurus hac vno ſolum concludam argumento: effectuum qui apparent fieri ad præſcriptum rationis cuiuſdam impenetrabilis, principium debet eſſe ars, & virtus agentis ineffabiliter & impenetrabiliter ſapientis; cuiuſmodi ſolus eſt Deus. Atqui natura eſt pricipium huiuſcemodi effectuum. Ergo natura eſt ars, & virtus Dei: hinc diſcet Philoſophus potiſſimùm Chriſtianus cum Platone ex naturalibus ſemper ad Deum erigi, non vt Ethnici, ſoli materiæ adhæreſcere.*

At, inquies, ſaltem dici poſſet cum Auicenna, naturam eſſe quandam

intelligentiam Deo minorem, ab eoque pendentem, quæ communicet formas materiæ; præſit geneſi ſingulorum, &c.

Reſp. id à Deo ipſo refelli, Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero: ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cælos ſolus: ſtabiliens terram, & nullus mecum; *Iſa.* 44. *& actuum* 17. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt..... ipſe dat omnibus vitam, & inſpirationem & omnia. *Apage ergo mundi animam à Deo diſtinctam. Ratio autem iiſdem verbis optima, ni fallor, continetur; illud ſolum dici poteſt principium generandi, mouendi & viuificandi res naturales, quod mundum ipſum, & ea quæ in ipſo ſunt creare potuit: ſed nulla intelligentia præter Deum hoc potuit, vt oſtendetur, cùm de creatione differemus. Ergo &c. Maior patet ſic: ad tale principium pertinet, vt primo, & per ſe conferat eſſe rebus ipſis naturalibus, quæ ſunt & exiſtunt, eo enim modo debet conferre eſſe, quo eſt principium generationis, eſt autem principium primum & per ſe, ideo primò, & per ſe ipſum eſſe conferat, neceſſe eſt: at ſolius Dei Creatoris & primi entis eſt, eſſe ita conferre, vt demonſtrandum eſt aliàs. Ergo &c. & ſanè vna eademque arte, res debent reſtaurari, dum periere, quæ primò conditæ ſunt, vt inductione ſit manifeſtum. Idem ergo accidit in natura: quapropter etiam Auicenna non negauit intelligentiæ huiuſmodi officium creandi quod tamen eſt contra Platonem, vt patet ex dictis, & teſtatur D. Thom. in l. de cauſis lect. tertia.*

Nota duplex poſſe artis ſignificatum dari: eſt enim ars actiua, eſt & paſſiua. Actiua eſt in mente artificis, & archetypa dicitur; paſſiua fulget in opere, & eſt ectypa: conſiſtitque in ſymmetria & proportione quibus productum artificium continetur. Ita in vniuerſo poſſumus contemplari mirabilem eius partium diſpoſitionem, ſecundum quam omnia inter ſe ordinatiſſimè aptatæ ſunt ad agendum & patiendum, prout vniuerſi perfectio exigit: hæc artificioſiſſima rerum ſymmetria, & conſenſio, & διάθεσις eſt ipſa Dei ars ectypa, & à multis natura naturata nominatur, effectus ſcilicet proprius naturæ naturantis, & archetypæ, quæ Deus eſt.

§. 3.

Qualis ſit hæc virtus.

DVOBVS *modis poteſt explicari, primò, ita vt virtus quâ Deus moderatur vniuerſa, ſit Deus ipſe: ita facilis erit interpretatio; neque dubium, quin propriè tam id quod dicitur* ars Dei, *quàm quod virtus etiam appellatur, ſit penitus idem cum ipſa eius eſſentia: omnia enim in Deo vnum ſunt. Per eſſentiam eſt quidquid eſt; accidentia neſcit, &c. Iſtud ſcitè, vt puto, declarauit Henricus à Gandauo: is enim* quodl. 6. q. 2. *ait, quòd licet notitia, quæ in Filio Dei eſt, ſit quoque in Patre; tamen per appropriationem, Filio peculiariter ineſt, prout diſpoſitiua ſeu declaratiua, vel ordinatiua eſt eorum, quæ producenda ſunt. Ideoque Filius* ars Patris *nuncupatur, ita etiam licet amor tribus perſonis communis ſit, tamen Spiritui ſancto appropriatur, prout eſt affectiuus, & impulſiuus ad opus, hæc paulò diſtinctius explanabi-*

mus poſtea, nempe de filio, vbi de cauſa exemplari diſſeremus: de Spiritu ſancto verò, vbi de anima mundi: interim ſat ſit Filio adſcribere rationem mentis in diſponendo; Spiritui Sancto, rationem animæ in mouendo, &c.

Secundò, intelligi ſic poteſt, vt Deus naturæ fungatur officio per motionem quandam externam, quæ ab illo realiter diſtincta ſit, ab ipſo tamen immediatè procedat per modum flatus ſubtiliſſimi, viuaciſſimique, quo tanquam inſtrumento vniuerſali, ac perpetuo ea quæ dicuntur naturæ opera, ſecundum ratas, ſtabileſque ſuæ prouidentiæ leges adminiſtret. Id paulò explicatu difficilius eſt, quam præcedens, nihilominus probabilitate non caret: & quidem primò, huic opinioni fauere videtur ſacra ſcriptura, cùm Dei ſapientia, quæ artifex omnium *dicta eſt, vocatur* vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera. *Iudith.* 16. Miſiſti ſpiritum tuum & creata ſunt. *Pſal.* Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur. *Gen.* 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, *igneum, inquit D. Auguſt. illis vigorem impertiens.*

Secundò, ſancti Patres id indicare videntur: D. Aug cit. 1. *de Geneſi ad literam*, ait, *Deum operari omnia extrinſecus æternis atque incommutabilibus rationibus coæterni Verbi ſui, & quodam quaſi flatu pariter coæterni Spiritus ſancti.*

Beatus Baſilius ſecundo Exaëmeron exiſtimat virtutem quandam vitalem à diuino ſpiritu infuſam fuiſſe, qua viuificarentur, & generarentur animalia. Spiritus Domini, *inquit*, ſuperferebatur elemento aquæ, id eſt, fouebat, & viuificabat naturam inſtar gallinæ cubantis, vitalem virtutem his quæ fouentur, inijciens.

Auguſtinus Steucus. Ep. Eugubinus in Coſmop. in hæc eadem verba ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, Duæ ſunt, *inquit*, vitæ, vna maxima, potens, & vaſta quædam vis, ac ſubſtantia, aliæ ſunt vitæ minores, quæ ab illa præpotenti veluti fonte vberrimo profluxerunt. Principio ergo omnium corporalium rerum, ſed præcipuæ vitarum, fuit, eſtque ſemper inuiſibilis quædam (quoniam incorporea) magiſque ſub intelligentiam, quam ſub oculos cadens diuina virtus: *& mox.* Eſt igitur ille ſpiritus vel tertia perſona Trinitatis, vel quædam virtus, quaſi flatus ſubtiliſſimus, ex Dei amore, quæ eius eſt benignitas, effuſus præter lucem & calorem, inuiſibilis, ſed efficaciſſimum robur præbens, & ſecretam rerum cuſtodiam.

Alexander de Hales in 2. p. q. 1. membr. 1. & 2. *ait, ſuam hanc eſſe ſententiam, quòd* in elementis mundi inſita ſit à conditore natura quædam reipſa differens ab elementari, ſimplex & incorporea, vt poſſit eſſe principium ſubſtantiæ ſimplicis, &c.

Vt modo ad prophanos veniam, teſtis eſt Marſil. Ficinus in l. 9. Enn. 1. Plot. ex Theologia Phœnicum diffuſam eſſe per vniuerſum, & omnibus inſitam naturam quandam tralucidam, ex diaphano & lumine temperatam, nulli mixtioni, neque paſſioni obnoxiam, quæ ſit actus purus puræ intelligentiæ, ſed quodammodo extrà procedens. Idem Ægyptij Sapientes docuere, qui forſan ex primis Hebræis id didicêre, & ex illis poſtea Græci, vt Plato. Hinc Virgilius,

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo, &c.

--- *Et*, Spiritus intus alit, *&c.*

Plotinus Enn. 3. l. 2. cap. 16. *hancce vim appellat* actum artificioſum animæ mundi, *item*, vitam ex anima & mente pendentem: *Denique* motionem iugem, ſtabilem tamen... *ac Ficinus id illuſtrat dicens* naturam eſſe quandam vitam, præter cauſas corporales, vbique rebus omnibus infuſam, certis omnia rationibus naturaliter fabricantem: *ſi quæras vlterius, quid illa vita ſit, actus ſubſtantialis an motio. Reſpondet*: Vtrumque, eſſe quidem actum, quia eſſentialem formæ poſſidet firmitatem, & efficaciam motionis: eſſe actum ſine accidente; motionem ſine tranſitu, vitam & ſubſtantialem vigorem ex Dei ſpiritu in materiam deſinentem. *Hinc illud Eccleſ.* 42. *patebit verum*: omnia hæc viuunt, & manent in ſæculum. *Tale quidpiam habet Alexand. Halenſis, nam in 2. p. q. 90. m. 2. a. 4. vult vitam actum eſſe quendam ſubſtantialem, diſtinctum ab anima ex qua emanat. Pluresque ſtatuit actus primos, formam ſc. exiſtentiam, vitam: forma eſt actus informans, & ſpecificans. Exiſtentia eſt actus rem extra nihil ſiſtens: vita eſt actus viuificans, animans, &c. & ſicut aliud eſt habere ſcientiam, aliud ſcire; hoc quod eſt habere ſcientiam, reſpondet forma, ſcire verò reſpondet ei quod eſt vegetare, viuificare, &c. ita vita eſt actus perpetuò fluens à formâ, independens à ſubiecto, dependens à principio, motionis perennis ſolùm habens rationem, nullius per ſe gerens eſſentiæ characterem. A corpore non minùs, quam à forma diſtinguitur, quia vtrumque poteſt illo priuari, & ab vtroque ſimul. Quia poſſet à Deo conſeruari anima in corpore, tametſi vitam non conferret: ſic ergo diſtinctus cùm ſit, omnium motuum qui fiunt in viuente principium eſt, non primum quidem, ſed vti generale animæ inſtrumentum. Atqui talem dari non affirmo equidem, ſed neque nego poſſibilem. Quidni enim? vnde contradictio, & quàm multi ſunt, qui lumen ſic concipiunt, ab aere independens quidem: ſed à ſole iugiter manans? Illius ergo inſtar motionem Dei externam, qua mundum fouet, concipere nihil vetat.*

Quidquid ſit, vitale quoddam ſpiraculum à Deo diuinitus mundo aſpectabili afflari, quo velut inſtrumento generali res naturales Deus operetur, non video quidquam quod impediat: multa video, quæ ſuadent, & tale poteſt admodum probabiliter credi, qualem Ariſtoteles, medicique omnes in microcoſmo aſſerunt eſſe ſpiritum illum complantatum ſeu innatum, quo anima ſuas omnes actiones naturales obit. Hunc Ariſtoteles in l. de ſpiritu cap. 2. *vult per totum corpus diffundi, ſubtiliſſimum eſſe, à corde in reliquos artus permeare, denique inorganicum eſſe animæ inſtrumentum ad omnes omnino functiones in corpore peragendas. Talem in megalocoſmo ipſemet Ariſtoteles, (aut forte potius adulterimus quidam Platonicus eius nomine gloriabundus) in* l. de mundo cap. 4. *vbique, & per omnia permeantem ſpiritum conceſſit.*

Talem agnoſcunt, & conſtantiſſimè tuentur omnes Hermeticæ Philoſophiæ ſectarij, Paracelliſtæ, Chymici, & ſimiles: eumque vocant naturam radicalem, quintam eſſentiam, balſamum, mumiam, vitale ſulphur,

omnium naturalium actionum fontem, originem ac principium, denique fœcunditatum, generationum, tranſplatationumque authorem & moderatorem. Talem quoque Cabaliſtæ, Rabbini, vno verbo omnes quotquot Peripateticæ Philoſophiæ ſepta tranſilire non verentur, admittunt.

Talem denique nos tanta illuſtrium Theologorum & Philoſophorum catervâ cincti, ſaltem probabilem iudicamus.

Concludo itaque poſſe ſine contradictione concedi virtutem aliquam immenſam, quam Deus extra ſe effuderit, eamque cauſis ſingulis indiderit, velut vigorem aliquem vitalem, immenſum, ſubtiliſſimum, viuaciſſimum, efficaciſſimumque à materia independentem; quamquam materiæ ſemper inſitum; forma qualibet ſuperiorem, licet ſpecie deſtitutum, omniforme ac viuidum creatoris inſtrumentum, illius artis Archetypæ numeris idealibus inſignitum, mundi vinculum, denique vitam quodammodo vniuerſi. Eam porro virtutem ſi vis accidentalem eſſe, vehiculo poteris illam æthereo circumveſtire, & ſubſtantiam illi penetrantiſſimam, igneaque puriorem accingere: ſin velis actum eſſe ſimplicem à Deo inſtar vitæ cuiuſdam perenniter effluentem, poteris: non dehortor; at neque ſuadeo, laudo ſic opinantes, repugnantes non culpo. De iis quippe quæ neque condemnat fides, neque conuincit ratio, liberum cuique relinquo iudicium: ſolum hoc peruelim vt nec licentiùs ſacra explodatur antiquitas, neque peruicaciùs, probata contradicatur nouitati.

At, inquies, quæ ratio poteſt efficere, vt tale ſpiraculum diuinum, à Deo diſtinctum rebus ineſſe, repugnantibus licet Theologis ac Peripateticis, exiſtimemus.

Reſpondeo, cùm certum ſit innumera quotdiebus in natura fieri, quæ vim cauſarum omnium naturalium nobis manifeſtarum excedunt, ad Dei virtutem neceſſariò recurrendum eſt: at rationi admodum conſentaneum eſt, vt Deus vniuerſo prouiderit vim aliquam ordinis ſuæ prouidentiæ, artiſque Archetypæ executricem. Hoc enim potuit: voluiſſe verò conjcimus ex eo, quòd opera Dei ſcimus perfectiſſima eſſe, ſuiſque omnibus principijs, & partibus abſolutiſſima. Et non fecit quidquam deeſſe, *ait Eccleſ. 42.*

Suaſionem auget illa concors Philoſophorum exiſtimatio, quòd in explicandis mirificis rerum naturalium motibus, quorum aſſignari nullum poteſt manifeſtum principium, vires admittantur occultæ; idque ipſi malunt credere, quàm immediatam Dei operationem in his duntaxat confiteri, ſic (vt magnetis in ferrum, ſyderum in elementaria & cæteros influxus ſileam) inſtinctum artificioſiſſimum animantium contemplantes, malunt dicere qualitatem illis à creatore primitùs infundi, propenſionum adeò ſolertium adminiſtram; quàm immediatè illas à Deo regi, & gubernari. Si quæſieris, vnde luſcinia ſuos pullos vocem ad numeros moderari doceat, vnde picus herbam, quâ ferrum extrahit, reperiat; muſtella pugnatura contra ſerpentes, rutam edendam præſciat, & id genus infinita quæ apud Cic. 2. De nat. Deo. *Ariſtotelem* de mirabilibus naturæ, *Ælianum, Plutarch. &c. copioſè leguntur. Reſpondent vim illis quandam (inſtinctum vocant,) irrationali & ſtupida naturâ brutorum nobiliorem diuinitus imprimi, quæ*

Phyſica.

belluæ intus excitentur ad ea diſcernenda, quæ neſciunt; eaque cæco impetu facienda quæ ſolertiſſimus hominum, niſi aliunde doctus, poſſet nunquam. Cur ergo in cæteris naturæ operibus, ad generale quoddam diuinæ prouidentiæ adminiculum rebus ab ipſa prouiſum, non recurremus potiùs, quam ad immediatam illius operationem?

Denique hoc ſuadet etiam mirabilis & ſtupenda illapartium vniuerſi conne..o, quæ certè commune quoddam vinculum virtutis efficaciſſimæ & immenſæ arguit: illa tam prodigioſa vacui euitatio, incredibilis antiperiſtaſeus lucta, Sympathiæ vis pluſquam miraculoſa, nunquid ſatis apertè deprædicant arcanam aliquam vim conciliatricem, & induſtriam à præpotente numine vbique diffuſam, quæ quaſi centrum ſit & principium omnis harmoniæ vniuerſi? Hæc ſi datur dici poterit ars Dei *quaſi ectypa, archetypæ quæ in Dei mente eſt, organum: ex illa, vt internum noſtræ imaginationis phantaſma ex verbo mentis, procedens, virtualemque in ſe illius efficaciam retinens. Vnde ſic ea mediante Deus naturam moderatur, ſicut mens muſici mediante phantaſmate vocis harmoniam format. Paucis, innumera ſunt, quæ rationabiliùs in ea ſententia explicantur, vti conſtabit ex ſequentibus, & ſanè ſi diuinam artem, Deique ſapientiam confiteremur, provt incipientem prodi in actum exteriorem per huiuſmodi ſpiritum & motionem vegetalem (quæ quodammodo ars Dei contegitur, & vt, ita dicam, incorporaſcit; ſicut ars alicuius præceptoris in voce, quæ diſcipulum erudit,) certè ad literam ritè poterimus exponere multos ſacræ ſcripturæ textus, qui alioquin non videntur poſſe niſi myſticè intelligi, vt cùm Eccl. 24. ſapientia dicitur,* creata initio viarum*.i. operum Domini, &* ante ſecula, *&c.* præcedere omnia: prior omnium creata eſſe in ſpiritu ſancto: effuſa à Deo ſuper omnia opera ipſius, *&c. hæc & ſimilia clarè, ac facile intelligi poſſunt ad literam de illo ſpiritu creato, atque externo Dei, quo quaſi adminiculo ſe foras prodidit ars Dei interna: ille enim primò omnium creatus eſt, &c.*

CAPVT XV.

DE RATIONIBVS Seminalibus.

§. 1.

Status quæſtionis & difficultatis.

QVÆSTIO hæc ardua eſt, apud antiquos celeberrima: ſed à Neotericis paulò inconſultius, leuiuſque tractata.

Quæritur quomodo educantur formæ è materia: vtrum in ea illæ prælatitent, & quomodo, an aliunde aduenia nt: quare vt iſthæc diſputatio fœliciùs poſſit abſolui, videndum primo eſt, quid ea de re Philoſophi commenti ſint.

Anaxagoras cenſuit formas præfuiſſe in ſinu materiæ, ſed inordinatas & incompoſitas. Nimirum eas componi ex atomis ratus, dicebat antequam v. g. gigneretur Leo, præfuiſſe quidem atomos, ex quibus componendus ille foret: ſed ita indigeſtas, vt atomi rerum aliarum intermixtæ illis eſſent, tum verò fieri Leonem, cum ipſæ in debitum ordinem redigerentur. Hoc deliramentum refutat meritò Ariſtoteles in 1. Phyſ. & manet ſatis excuſſum ex iis quæ diximus c. 2. §. 2.

Plato formas in materiam manare ab Idearum fontibus docuit: hoc Ariſtoteles negauit, aſſerens ſingulas formas nouas, à ſingulis formis agentium exiſtentium, & vniuocorum produci, nec eas aliter in materia præiacere, quam ſecundum poteſtatem, qua eas recipere apta eſt.

Auicenna intelligentiam quandam finxit, ſublunaris mũdi gubernatricem, à qua in materiam ab agente Phyſico priùs diſpoſitam, rerum naturalium formæ inducerentur. Cholcodeam. i. formarum datricem eam appellabat. Huc acceſſerunt Themiſtius & Philoponus affirmantes ex vniuerſa δημιουργία. i. opificio Dei, formas prouenire.

Albert. Mag. cenſuit eas in materia præſupponi ſecundum actum imperfectum, à quo in actum perfectum, virtute agẽtium naturalium, tranſeant: & hunc actum imperfectum eſſe rationem ſeminalem, ſeu inchoationem formæ. Ex recentioribus Bodinus voluit formas omnes creari.

Fernelius l. 1. de abditis rerum, eas non educi è potentia materiæ, ſed in eam cælitùs immitti defendit: adeo extricatu difficilis viſa hæc ſemper quæſtio eſt.

Has omnes proſequi prolixiorem operam exigeret, certas ſufficiet deſignaſſe. In primis proſcribi ex æquo debent tam illa, quæ formas omnino præ latere, ac noui nihil effici: quam quæ creari omnes, aſſeuerat. Experimentum enim docet verè de nouo fieri, id quod ante non erat: item eas mutationes fieri ab agentibus naturalibus. Denique quidquid fit, naturaliter ex aliquo fieri: ita vt in omni generatione hæc tria ſemper occurrant, *id quod fit; id à quo*; & denique *id ex quo*, vt docet Ariſt. 7. met. vide D. Th. ibidem. Illud pariter quod de Chalcodea deliratur, refutabitur inferiùs. Supponi ergo debet vt certiſſimum formas educi è potentia materiæ. Quare tota quæſtio in eo vertitur, vtrum formæ, adhoc vt educantur, debeant quodammodo præfuiſſe, necne: (de formis porro corporeis, & materiæ immerſis, hic ſermo eſt: non verò de iis quæ vel per ſe ſubſiſtunt, vt Angeli; vel ſeparabiles ſunt, vt animæ rationales.)

Iam alij negant: affirmant alij. Qui negant formas vllo modo præſupponi, dicunt tria per ſe requiri, ac ſimul ſufficere ad eductionem: primum vt forma, quæ educitur, eadem actione qua fit, etiam vniatur materiæ: ſecundum, vt ſic vnita materiam actuet: tertium, vt non poſſit eſſe naturaliter ſine illa. Ideo, inquiunt, anima rationalis non educitur, quia priùs naturâ fit, quam vniatur; fit creatione, vnitur generatione: idcirco ſeparata perſiſtit, &c.

Qui affirmant formarum anticipationes præcurrere in materia, eas aliquando inchoationes formarum denominant, interdum rationes ſeminales: & adhuc in diuerſas interpretationes diſtrahuntur. Aliqui nomine inchoationis intelligunt ſolam poſſibilitatem formæ: alij ſolam materiam, quæ cum futura ſit pars compoſiti, eiuſdem etiam cenſenda eſt inchoamentum: multi neſcio quas dimenſiones incertas, quas interminatas vocitant: nonnulli formam corporeitatis, quam ideo coæuam materiæ fingunt: alij virtutes actiuas & paſſiuas elementorum, vt *D.Th.1.p.q.115.* alij ſequuntur Alberti expoſititionem, de qua ſuprà, vt *Soncinnas*, &c. his ſingulis exponendis, refellendiſue non vacat inſiſtere: authores varij hac de re legi poſſunt. Nos paucis, quod verius viſum fuerit inueſtigare nitemur.

§. 2.

Deciſio quæſtionis.

CONCLVSIO. Admittendæ ſunt rationes ſeminales in materia; Ita D.Th. cit. probatur autem 1. auctoritate. In Geneſi c. 2. legimus hæc verba: *Iſtæ ſunt generationes Cœli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Deus cælum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra; omnemque herbam regionis, antequam germinaret.* Quid quæſo per illud virgultum, illamque herbam poteſt intelligi niſi ratio ſeminalis? Neque enim intelligi poteſt ſemen ſenſibile, ex quo res pullulaſcunt: etenim ſcriptura ibidem teſtatur huiuſmodi ſemen ex herbis potiùs, quam herbas ex illo prodiiſſe, vt copiosè, ſolidè, ac ſubtiliter S. *Aug. 5.l.ſup.Gen.ad lit.c. 4.* vrget.

Ideo idem S. Aug. vbique has rationes ſeminales magna contentione conatur adſtruere. Præſertim in 3. de Trinit. toto c. 7. ſurculum reſoluit in ſemen ſenſibile, & hoc in *ſemen alind quod quamuis oculis videre nequeamus, ratione tamen poſſumus conijcere.* Item, *Quæcumque*, inquit, *naſcendo ad oculos noſtros exeunt, ex occultis ſeminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis, diſtinctioneſque formarum ab originalibus tanquam regulis ſumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores filiorum, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinſecùs adhibitis motibus iſta creanda, Dei virtus interius operatur:* Item *iſta originaliter, & primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata ſunt: ſed acceptis opportunitatibus prodeunt: nam ſicut matres ſunt grauidæ fœtibus: ſic mundus iſte grauidus eſt cauſis rerum naſcentium.* Multa in eandem ſententiam ibi fusè proſequitur. Item 5. l. de Geneſi ad lit. c. 7. *Omnia quippe primordia ſeminum, humida ſunt, & ex humore concreſcunt: inſunt autem in illis efficaciſſimi numeri, trahentes ſecum ſequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, à quibus in die ſeptimo requieuit.*

Id quoque deduci poteſt ex doctrina S. Thomæ, quamquam ob ſtudium quo fuit in Ariſtotelem paulò propenſior, videatur aliquando à

ſententia S. Auguſtini, quem ſummoperè ſemper eſt veneratus, vtcumque deflexiſſe. Is tamen 1. p. ſic ſcribit. *Et ideo conuenienter Aug. omnes virtutes actiuas & paßiuas, quæ ſunt principia generationum & motuum naturalium, ſeminales rationes vocat. Huiuſmodi autem virtutes actiuæ, & paßiuæ in multiplici ordine conſiderari poſſunt. Nam primò quidem vt Aug. dicit 6. ſuper Geneſ. ad lit. Sunt principaliter, & originaliter in ipſo verbo Dei, ſecundum rationes Ideales. Secundò vero ſunt in elementis mundi, vbi ſimul à principio producta ſunt: ſicut in vniuerſalibus cauſis: tertio ſunt in ijs, quæ ex vniuerſalibus cauſis ſecundùm ſucceßiones temporum producuntur; ſicut in hac planta, & in hoc animali, tanquam in particularibus cauſis: quartò, ſunt in ſeminibus, quæ ex animalibus & plantis producuntur; quæ iterum comparantur ad alios effectus particulares, ſicut primordiales cauſæ vniuerſales ad primos effectus producendos.* Tum in reſp. ad 1. eas virtutes, ait dici *rationes* per *comparationem ad ſuam originem, ſecundum quod deducuntur à rationibus idealibus.* Et de veritate has virtutes elementis inditas ait *eſſe inſtrumentalia principia*, & licet ibidem videatur ſolùm cum Ariſtotele ſentire quod ſint inſtrumenta cœli, non idearum: tamen legitimum ſenſum aperit. *Formæ*, inquit, *participatæ in materia reducuntur, non ad formas aliquas per ſe ſubſiſtentes rationis eiuſdem, vt Platonici poſuerunt* (ſc. Syrianus, Proclus, & quidam alij, at non Plato, Plotinus, &c.) *ſed ad formas intelligibiles, vel intellectus angelici: à quibus per motum procedunt: vel vlterius ad rationes intellectus diuini, à quibus etiam formarum ſemina ſunt rebus creatis indita, vt per motum in actum educi poßint.* Idem habet de verit. denique 7. met. l. 8. ait, in *his quæ generantur ex putrefactione etiam eſſe in materia aliquod principium ſimile virtuti actiuæ, quæ eſt in ſpermate*: & virtutem hanc ſeminalem comparari ad materiam rei conceptæ, ſicut Ideam artificis ad materiam artefacti.

q 115. a 2.
q. 5. a 9.
q 65. a 4. ad 2.
q. 8. a. 9.
q 11. a. 4. ad 5.

Venio ad rationes: tres præcipuè inſinuat S. Aug. cit. 1. *Quia*, inquit, *niſi talis aliqua vis eſſet in iſtis elementis, non plerumque naſcerentur ex terra, quæ ibi ſeminata non eſſent*: Hanc cap. ſeq. vrgebimus.

Secunda, vt cauſa creata extrinſecùs coagens, à Deo interiùs formante & creante diſcernatur: ne dæmones, quorum opera Ægyptij Magi ranas produxerant, creatores crederentur. q. d. alioquin defendi non poſſe, quòd rerum generatio, non ſit creatio, niſi rationes ſeminales in materia præſupponantur.

Hanc rationem ſic communiter vrgent aliqui. Illud creatur, quod ſecundum ſe totum è nihilo prodit: ſed ni rationes ſeminales admiſeris, forma ſecundum ſe totam prodiret ex nihilo: illius enim præſupponitur nihil. Ergo. At optimè reſpondet S. Thom. non propriè fieri formam, ſed compoſitum: hoc autem non totum prodit ex nihilo, cum eius præſupponatur materia.

1. p. q 65. a. 4. 7 met. l. 8. de veri:, q. 8 a. 9.

Altiùs tranſcendit S. Aug. In rebus creatis multa diſpicit, quæ nequeunt aliunde formari, quam ab arte Creatoris: *Omnis*, inquit, *cauſa mutabibilis, ſenſibiliſque ſubſtantiæ, omniſque modus, & numerus, & ordo eius, vnde efficitur, vt & ſit, & natura ita, vel ita ſit, ab intel-*

ligibili & incommutabili vita, quæ ſuper omnia eſt, exiſtit. Modus eſt, quo ſpeciei character, & talis Ideæ ſic vel ſic participandæ ſigillatio imprimitur. Numerus, quo vires vniuſcuiuſque numeratæ, ac prædefinitæ ſunt, vt tot vel tanta poſſit efficere, atque in progreſſu, cremento, & ſucceſſione, tot momenta ſit tranſcurſurum, &c. Pondus, quo ad debitos fines, pro ſymmetria vniuerſi deſtinatur, inclinatur, & perducitur. Et l.2. de lib.arb. c.10. *Omnem quippe rem, vbi menſuram & numerum, & ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris.* Hæc ergo ſummæ per ſe ſapientiæ artificium prædicant, efficique ab eo debent, qui ſpeciebus omnibus præſit, & totius inſuper vniuerſi diſpoſitionem primò molitus ſit, ac deinceps moderetur. Quòd ſi verè dixerit Ariſt.2.Phyſ.39.generum genera & ſingularium ſingula eſſe cauſas: cùm quolibet indiuiduo contineatur ratio ſpeciei, & generum ſuperiorum; neceſſe eſt illud ab eo procedere, qui ſpeciei cuiuſlibet, &c. omnium generum in ſe plenitudinem contineat, atque virtutes: vt docet D.Th. q.3. de pot. a. 7.

Hinc ex D Aug. generatio debet à creatione diſtingui; quod ad generationem præſupponatur in materia vis illa diuina gerens *de intima potentia Creatoris regulam formandi* corpora ſecundùm prædefinitum exemplar, artemque ſupremi Opificis: creatio verò nihil horum ſupponat: ſed ſimul conferat omnia. Illa autem vis dicitur ratio ſeminalis: & ſine hac generatio verè proprium opus Creatoris exiſteret: eâque ſimul per ſe generans ederet, quæ ſolus creator intrinſecùs adminiſtrat.

Tertiam rationem adiicit S. Aug. quòd videlicet Deus ab initio cuncta originaliter creauerit, vnde 1.Geneſ. dicitur die 7. ceſſaſſe *ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret*: ſiue ad faciendum, vt eſt in Hebræo. q. d. opus multiplex debuit Deus primò condere, quod eſſet ſequẽtium effectuum fundamentum, & initium: hoc autem totum abſoluit ante ſeptimum diem. Ergo creata fuere tunc omnia in ſeminibus: gignuntur verò modo, cum ſemina mutantur in formas. *Ea quæ ſecreto*, inquit Aug. *naturæ ſinu abdita continentur, erumpunt, & foris creantur quodammodo, explicando menſuras, & numeros, & pondera ſua, quæ in occulto acceperunt ab eo, qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit.*

Confirmatur hæc ſequentibus argumentis. Ratio ſeminalis nihil aliud eſt, quam vis formatrix corporum ſecundum regulas, & exemplar diuinæ artis; ſeu vis intrinſecus conformans materiam formæ principali, quæ eſt in mente primi & principalis opificis, qui eſt Deus, & natura naturans. Sed oportet talem vim ineſſe in natura, & præſto eſſe, ac omnibus agentibus aliquid generaturis. Ergo neceſſe eſt rationes ſeminales admitti. Ma. & Mi. videntur euidentes ex ſupradictis.

Rurſus productio ignis v. g. eſt opus naturæ: neque enim eſt opus artis. Ergo fit à principio interno, & quidem actiuo reſpondente ſemini. Conſequentia patet ex 7. met. vbi Ariſt. diſtinguit operatio-

nem artis à productione naturali; quòd materia illius apta ſolummodo ſupponatur moueri à principio extrinſeco: iſtius verò materia principium in ſe actiuum habeat, per quod intrinſecè moueatur ad formam. Reſpondebis loqui Ariſtotelem ibi de generatione animalium, quæ fiunt ex ſemine: Contrà: eadem debet eſſe ratio de omnibus, quæ naturâ conſtant: item voluit Ariſt. afferre diſcrimen artis à naturâ. Ergo debet competere omnibus generationibus naturalibus: denique vbi nullum tale principium actiuum concurrit ex parte materiæ; operatio non minùs eſt violenta, ſeu innaturalis, quàm operatio artis, quia nihilo maiorem vim conferret illa materia, quàm materia artis: mitto cætera.

Idcirco Auerroës 12. *Metap.* ſcitè admodum dixit quòd agens non det multiplicationem, ſed perfectionem.

Denique dæmones magorum inuocatione multa opera naturalia edunt non naturaliter, Ranas generant, &c. hæc autem ſine ſeminalibus rationibus nequeunt fieri, niſi à ſolo creatore. Ergo, &c.

§. 3.

Soluuntur dubia.

MVLTA ſolent vulgò dici aduerſus rationes ſeminales. Primò enim quæritur quid ſint: nam vel ſunt aliquid diſtinctum à materia, vel non; ſi ſecundum, quorſum tot verba? Si primum, id vel eſt accidens, vel ſubſtantia: non accidens, quia nequit ex accidente forma ſubſtantialis oriri; non ſubſtantia, quia plures ſubſtantiæ non poſſunt ſimul materiæ ſinum implere, &c.

Reſp. tripliciter poſſe huiuſcemodi rationes explicari, primò ita vt ſint ipſæmet rationes ideales, quæ in Dei mente præfulgent, quatenus Deus rerum generationibus vacat. Hoc ſatis conſonum eſt D. Aug. ſuprà dicenti cauſam cur res fiant, *Eſſe congruas rationes, quæ incommutabiliter viuunt in ipſa ſumma Dei ſapientia.* Porrò illæ non conuertuntur in formas, quæ prodeunt; ſed eas in materia, vt ſigillum ſui figuram in cera, inſculpunt.

Secundò, ita vt à Deo naturante .i. vicem naturæ exercente circa materiam elementarem, ipſi virtutes inſinuentur, quæ ſint principia inſtrumentalia ſuarum idearum: vt ex D. Thom. ſuprà vidimus. Poſſuntque illæ virtutes conſiderari, vel permanentes in elementis, & ab initio ipſis inditæ, tamen à Deo iugiter emanantes, vt lumen à ſole: vel per modum tranſeuntis, & fugacis motionis, à Deo tunc ſolùm effluentes, cùm ijs opus habuerint agentia naturalia. In illis ſic formæ inerunt vt in motu calor, producens actualem calorem in corpore, 7. Met. quidni etiam dicentur hæ virtutes inſertæ ſpiritui de quo ſuprà cap. 14 §. 2.

Tertiò, ita vt ſint quidam actus eſſentiales eſſe proprio ac diſtincto carentes, vt voluit Alb. Mag. Hic ſenſus paulò difficilior eſt, nec ta-

men improbabilis, ſi rite intelligatur.

Nota ergo rationes rerum poſſe conſiderari dupliciter, primò vt latent inuolutæ ſub *Eſſe* alieno: ſecundo, vt extant explicitæ ſub *Eſſe* proprio v. g. auri ratio ſeu eſſentia eſt & in ſole, & in aurifodina: in ſole inuolutè: in fodina explicitè. Illic ſub eſſe ſolis; hic ſub ſuo. Primo modo rationes rerum non conſtituunt propriè rem: quia res ſignificat id quod habet *Eſſe* ratum & proprium; Ideo non poſſunt propriè dici diſtinctæ realiter, tam inter ſe, quàm ab eo in quo ſunt: ſed ſolùm formaliter vel rationaliter, ſeu Logicè .i. vt rationes, non vt res. Primo modo ſunt plures gradus: nam primo ſunt in Deo, eminenter, & exemplariter, vt in cauſa prima, & archetypa: ſecundò, ſunt in Angelis intelligibiliter per ſpecies: tertiò, in cælo virtualiter & modo cæleſti, vt in cauſa ſecunda vniuerſali: quartò in elementis, elementariter & vt in generali naturæ ſeminario. In cauſis particularibus particulariter, vt in principio vniuoco: in his omnibus nullum habent eſſe diſtinctum: ſunt actus virtuales, & originales, ſecum omnes complicati inter ſe, ſicut termini linearum, qui coüniuntur in centro: & ſicut omnes colorum ſpecies, quæ vndequaque tranſmiſſæ in centrum oculi, ibidem ſine confuſione coëunt. Adhunc modum ſingulæ rationes florum, fructuum, frondium, &c. continentur in germine radicaliter, ſeminaliter, eſſentialiter, originaliter, &c. Ibi ratio floris non eſt ratio fructus, non eſt tamen alia res: neque ibi habet materiam, quantitatem, & cætera accidentia floris: habebit hæc actu poſtea, ibi hæc ſolum habet poteſtate. Ita rationes ſeminales ſunt in elementis velut in theſauris reconditæ, ſunt actus initiales non completi, potentiales, non formati: id eſt, per eſſe proprium extituri, at nondum per illud exiſtentes. Hi nacti materiam congruam beneficio, & operatione cauſarum, induunt propria corpora, eaque informant, exornant, ſpecificant, &c. proprietates explicant, *Menſuras, numeros, ponderaque ſua, quæ in occulto acceperant*, & indiuiſibiliter conſeruabant, exteriùs pandunt, ſicut ratio mente concepta, vbi opportunitatem inflati pulmonis nacta eſt, vocem ſonoram induit, quam & format: eaque ſe prodit exteriùs, diſtinctè & articulate exprimens, quidquid antea indiſtinctè latebat in mente.

Adversvs has rationes multa Peripatetici obijciunt: ſed ea nullius ſunt roboris. Vrgerent quidem, ſi rationes illas ſecundo modo ſupradicto, hoc eſt, quoad proprium eſſe, in elementis præcontineri diceremus, ſed non ita illas admittimus: dicunt non poſſe plures formas ſimul eſſe in materia: non dari multiplex eſſe eiuſdem formæ ex 1. de gener: formam quamcumque in materia exiſtentem, cum illa vnum per ſe, vel per accidens facere: formam nullam ab eſſe imperfecto tranſire ad eſſe perfectum, niſi per intenſionem, &c. Reſponſ. hæc omnia vera eſſe de formis quæ habent eſſe diſtinctum, & proprium, falſa verò de illis quæ non habent niſi alienum.

Obiicivnt secvndò, omnem actum eſſe vel primum, vel ſecundum, illum eſſe formam actuantem vel eſſentiam actuatam: iſtum

eſſe operationem vel accidens, nihil autem horum competere his rationibus. Reſp. illam diuiſionem ſolum fieri de actibus completis, non de initialibus.

Nec mirum videatur, quod diximus: auctorem habemus locupletiſſimum. S. Th. opuſc. 32. tradit eſſentias plurium formarum proprijs exiſtentijs denudatas ſimul eſſe poſſe in materia: idque ſic exponit; materia diſpoſita per virtutes actiuas, & paſſiuas elementorum cenſetur quandam proportionem habere cum forma actuali, ad quam diſponitur, cui proportioni, cum inſit quædam ratio ſimilitudinis formalis cum illa forma, ineſt quoque eius eſſentia quaſi habitualis.

Vrgent ſuperflua fore ſemina, quæ à plantis & animalibus decidunt. Item tolli quoque agentium naturalium actionem: Reſp. nequaquam hæc ſequi, ſemina enim adhibent peculiarem quandam materiam cum neceſſaria quadam organiſazione, cæteriſque viribus à Deo deſtinatis ad harum rerum generationem. Ad hoc item actiuè concurrunt agentia particularia: determinant etiam virtutes generales vt hic & nunc, ita vel aliter, hoc vel illud fiat: denique non eſt inſolitum plures cauſas ad eundem effectum concurrere. Concludo his verbis S. Th. *In eo qui docetur, ſcientia praexiſtebat non quidem in actu completo, ſed quaſi in rationibus ſeminalibus, ſecundum quod vniuerſales conceptiones, quarum cognitio eſt nobis naturaliter inſita; ſunt quaſi ſemina quædam omnium ſequentium cognitorum: quamuis autem per virtutem creatam rationes ſeminales non hoc modo educantur in actum, quaſi per aliquam virtutem creatam infundantur, tamen id quod eſt in eis originaliter, & virtualiter, actione creatæ virtutis in actum educi poteſt.* Hinc exemplum diſce, ac veritatem. Ac verit. q. 11. a. 1. ad 5.

Capvt XVI.

DE PRINCIPIO VIVENTIVM, è putri materia naſcentium.

§. I.

Satus quæſtionis & opinionum varietas.

Rebvs gignendis vt plurimum prouidit Deus cauſas particulares & creatas, quas vocant Philoſophi vniuocas .i. eiuſdem rationis, ſic ignem ab igni; pomum à pomo, leonem à leone, &c. progenerari cernimus: *Nec imbelles progenerant aquilæ columbas*, eorum tamen quæ gignuntur, alia ſunt inanimata, animata alia. Illa ſine ſemine, quod à gignente decidat, fiunt: hæc contrà: generans enim non aliter procreat genitum, quàm vi ſeminis, quod emittit.

Nihilominus quædam viuentia ſine ſemine, necnon ſine generante vniuoco videmus naſci, vt ranas, vermes, &c. quo enim auctore natura hæc generat? Quo ſemine? Qua virtute?

Ariſtoteles recurrit ad cælum. Eum ſequi videtur D. Th. 7. Met. l. 8. & alibi: is tamen aliàs videtur ad Angelos ipſos, qui cælum mouent, aſſurgere, aliàs ad ideas.

1. p. q. 15. a. 4. ad 2. ſup. cit. q. 110. q. 115. a. 2. Scotus Deum ſolum exiſtimat eſſe cauſam immediatam eorum, quæ prodeunt de putri materia, 2. addit organizationem corporis animati Deo ſoli tanquam authori principali adſcribi oportere: tertiò, tandem docet non poſſe ab vlla cauſa naturali animam è ſinu materiæ deduci, vt actu exiſtat: idque opus eſſe ſupremi opificis, nempe Dei.

Alij neſcio quod principium vagum commenti ſunt, vt ranam vagam, à qua ranæ ſingulæ procreentur. Per vagam, ſpecificam intelligunt, & ni aniliter nugari velint, debent hoc ita exponere, vt accidentia, quæ ranæ (ab hac ducatur exemplum ad cætera) genituram in cæno moliuntur, per ſe conueniant ranæ, ſecundum quod rana eſt, vnde ranæ ſic abſolutè ſumptæ inſtrumenta dici queant ad hanc, vel illam ranam efformandam. Sic illa in virtute ranæ ſpecificæ agerent: quare quod ex actione illa ſoboleſceret, ranæ ſpecificæ, ſiue vagæ, poſſet merito attribui.

§. 2.

Quæſtionis deciſio.

CONCL. 1. *In his quæ generantur ex putrefactione, etiam eſt in materia aliquod principium ſimile virtuti actiuæ, quæ eſt in ſpermate, ex qua cauſatur anima in talibus animalibus.* Sunt ipſamet verba S. Th. q. 65. a. 4. ad 2. in 7. met. l. 8. probatur hoc ex cap. præcedente, vbi oſtendimus omnem generationem naturalem prouenire ab aliquo principio interno, vt diſtinguatur à productione artificiali.

CONCL. 2. tale principium non agit virtute Cœli, tanquam eius inſtrumentum. Hæc videtur contraria S. Thomæ, ſed reuera non eſt, vt patet ex 1. p. probatur ſic: Cœlum non eſt agens principale horum viuentium. Ergo illud principium non agit virtute Cœli tanquam eius inſtrumentum. Antec. ſic patet: agens principale debet, vel æquare ſuum effectum perfectione ſpecifica, ſi fuerit vniuocum; vel ſuperare, ſi æquiuocum, vt conſentiunt omnes: ſed Cœlum neque perfectione adæquat, neque ſuperat viuentia: inanimatum enim eſt: ideoque inferius animato, aut viuente quolibet. Ergo non eſt agens principale.

Confirmatur. Cœlum non agit niſi per motum localem, aut per influxus luminis, caloris, cæterarumve qualitatum occultarum, quibus perpetuo in hęc noſtra depluit: at motus localis ſolùm applicat cauſas agentes, per ſe nihil agit: cæteræ virtutes nequeunt tranſcen-

dere

489

dere ordinem principij, à quo emanant: profluunt à forma cœli, tanquam à fonte: illa iners vitę, atque inanimata eſt. Ergo vltra caput & verticem huius ordinis rerum inanimatarum nequeunt hi effluxus aſſurgere.

Secundò, omnis productio fit à ſimili: & tendit ad ſimile. Quidquid enim producitur, participatione fit id quod fit: participatione autem alicuius primariam formam poſſidentis, cuius ipſum ſimilem recipit. Ideo cum omne agens principale ſit, vel artificiale, vel naturale, ſi ſit artificiale, debet primariam formam gerere in mente per ideam: ſi naturale, debet eam in natura poſſidere per formam. Atqui Cœlum neutro modo formam, animamque viuentium poſſident. Ergo.

CONCL. 3. Non rite aſſignantur in cauſam principalem horum effectuum intelligentiæ motrices, i. Angeli. Probatur, quia hi ſolùm mouent cœlum localiter. Ergo cœlum cum ſuis virtutibus ſolùm applicant his vel illis inferioribus. Ex hac autem applicatione, quid amplius naſci poteſt, quàm effectus cœleſtibus viribus proportionatus?

Secundò, Angeli mouent cœlum extrinſecè: nec aliter ad rerum generationes concurrunt, quam extrinſeca tali applicatione cauſarum naturalium, vt fusè S. Aug. probat. Generationis autem principium, de quo loquimur, debet eſſe internum.

Tertiò, Angelus reſpectu generationum naturalium non agit arte, neque naturâ: ergo non eſt agens principale. Antec. patet ſic: non agit arte, Primò, Quia ſolus Deus opifex eſt rerum naturalium, vt SS. omnes Patres, & etiam Plato ſuprà agnoſcunt. Secundò, Quia res arte factæ fiunt per ſe participatione formæ idealis, quæ eſt in mente artificis: at res naturales per ſe non fiunt participatione idearum in Angelo præexiſtentium. 3 de Trinit. Vide S. Th. 1. p. q. 110. a. 1.

Concludo igitur cum S. Thom. *Quòd factum eſt ſimile facienti, quia omne agit ſibi ſimile, & ideo, id quod facit res naturales, habet ſimilitudinem cum compoſito: vel quia eſt compoſitum, ſicut ignis generat ignem: vel quia totum compoſitum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam, eſt in virtute ipſius: quod eſt proprium Dei. Sic igitur omnis informatio materiæ, vel eſt à Deo immediatè, vel ab aliquo agente corporali: non autem immediatè ab Angelo.* 1. p. q. 110. a. 2.

CONCL. 4. Quoad generationem huiuſcemodi viuentium, & etiam quoad organizationem cæterorum non ſatis eſt quod cõmuniter concurrat Deus vt motor: ſed debet prætérea ſingulariter concurrere vt opifex. Explico: mouet Deus vt motor, non ſolùm quando cœlum Angelorum miniſterio mouet, ſed etiam quando virtutes, quas creatis cauſis indidit, actu ad proprias operationes eliciendas applicat. Mouet vt opifex, quando ſecundum artem ſuæ ſapientiæ id operatur in natura, quod ideis ſuis, ac ſapienti dictamini per ſe reſpondet. Diſcrimen autem in eo eſt, quòd vt motor ſolùm applicat vires à ſe vt opifice inditas, ac per talem applicationem præcisè nihil exit à creatis viribus, niſi quod illis ſuppar eſt: vt opifex verò per vires creatas am-

pliùs aliquid efficit, quod illas excedat, ſola ſc. Dei ſapientia dignũ. Id patet à ſimili: dum pulſatur organum, qui folles inflat, agit vt motor: agitat enim aërem qui prout tubiculis incurrit, ſonos ciet: & quidem cuilibet tubiculo congruos. Qui verò pulſat ad Muſices numeros, is mouet vt opifex: ex ſingulis illis tubiculis ſonoram harmoniam eliciens, quæ ipſorum vires ingenitas ſuperet, peritiamque demonſtret organiſtæ. Hinc ad ſupremum noſtrum opificem reuertamur. Concurſus, quo Deus vt motor applicat, communis eſt: ille quo agit vt opifex, ſingularis: effectum quippe ſoli Deo proprium edit. His poſitis

Probatur prima concluſionis pars; primò, auctoritate S. Auguſtini c. præced. §. 2. deinde ratione ſic: productio viuentium ex putri, ſuperat virtutes omnis cauſæ creatæ, vt ſupra vidimus. Ergo non procedit à Deo ſolùm vt motore: reſtat igitur vt deſcendat à Deo vt opifice: hoc autem facile intelliges, ſi conſideres in materia virtutes ſeminales, quæ vim idearum Dei quodammodo habeant, & vt earum inſtrumenta ſubordinentur Deo, artis ſuæ (quæ natura noſtra eſt) opera molienti.

Eodem modo probatur ſecunda pars: nam organizatio (.i. diſpoſitio vel apparatus, qui fit in corpore animam ſuſcepturo,) adeo mirabilis eſt, vt Galenus, qui cæteris in rebus, neſciuit Deum: in hac vna ipſum admirari compulſus ſit. Et ſanè quis inficiari valeat productionem viuentis à minimo ad ſummum, perfectiorem eſſe præſtantiſſimo, ſi quod ab homine poſſit excogitari, artificio? at humanum artificium ſuperat virtutem omnis cauſæ homine ipſo inferioris: Ergo à fortiori organizatio naturalis omnium cauſarum naturalium vires debet excedere, diuinæque artis commendare induſtriam. Neque animas noſtras excipio; cùm minimum naturæ opus, præſtantius ſit excellentiſſimo hominum opificio: nihil poteſt ab homine fieri, quod multis defectibus non ſcateat: natura verò fallitur nunquam: in artefactis quanta inæqualitas? naturâ verò quid vniformius? contemplare, ſi potes, muſcæ, vel minimi culicis fabricam; maior certe ea eſt, quàm vt eam comprehendere poſſis. Si ergo non poteſt homo vel ſapientiſſimus tam minutuli animalculi fabricam contemplari: quænam alia cauſa homine inferior, pro viribus ſibi congenitis, eam facere poſſit? Quid de cæteris dicam? Denique anima rationalis proprij ſui corporis organizationem neſcit: in his autem quæ neſcit, ſi recti & eximij aliquid facit, à ſapientiore dirigitur, vt id faciat: non ipſa ſe principaliter mouet. Quare ſapientiſſime omnium olim Machabæorũ Mater dicebat: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam.*

Sic cuiuſlibet hominis anima neſcit qualiter formetur chilus in ſanguinem: & ſanguis in carnem: ſic neſcit qualiter formetur vox in

gutture, qualiter lingua, dentibuſque diſtinguatur; & tamen hæc & alia neſciens facit, & perfectiùs facit, quam ſi ſciens, à ſeipſa hoc faceret. Ergo ſapientior illâ opifex, perfectiorque in illa, & per illam hæc operatur. *Sic cauſæ naturales nihil agunt, quod non diuina artis ordo præceperit*, v. Ioan. Pic. Mirand. Hept. c. 1.

§. 1.

Soluuntur dubia.

ADVERSVS hæc poteſt id primum dubium obiici, quòd non videatur ſatis Philoſophicum ad Deum ſic recurrere, cùm de rerum naturalium cauſis, iiſque naturalibus dubitatur. Hinc omnis diligentia in perſcrutandis naturæ arcanis inutilis fieret, Deuſque in multis videretur defuiſſe, cùm non omnibus cauſas naturales prouidiſſet.

Reſp. Imo Philoſophi hoc præcipuum eſſe debere officium, vt per naturalia Deus inueſtigetur. Cæterum duo deprehendi poſſunt extrema. Primùm, ſi nonniſi ad Deum recurramus: ſecundum, ſi nuſquã ad eum recurramus. In primum videtur Scotus incurriſſe: Ariſtoteles in ſecundum. Quoad primum, Scotus negat agentia naturalia, quidquam agere in generatione viuentium: negat etiam quidquam eſſe in natura, quod virtute Dei animalia ſuſcitet ex putri materia, vt ſuprà diximus: vtrumque falſum eſt. Primò, ex Ariſt. qui paſſim docet ſemen efficiens eſſe generationis: ſecundo ex ſcriptura, quæ teſtatur Deo iubente terram germinaſſe herbam virentem ſeminibus fœtam, arboreſque frugiferas: quantum etiam dignitatis matrum & patrum fœcunditati detraheretur? 2. de generat. anim c. 1. l. 1. de part anim. c. 1. v. 7. met. Gen. 1.

Neque verò vrget Scoti ratio: parentes, inquit, neque per ſe agunt, neque per ſemen: non per ſe quia nimis diſtant: non per ſemen; quia hoc perit, dum formatur fructus, vel fœtus: nihil autem in ſui perniciem operatur. Item organizatio multiformis eſt, & vt vocant, heterogenea, diſpoſitiones varias congregans; ſemen verò vniforme eſt, ac homogeneum. Ergo non efficit organizationem.

Reſp. Parentes agere per ſemen: hoc verò non perire quoad rationem ſeminalem, quæ velut eſſentialis, & viuidus vigor ſeminis eſt: occultus quidem; ſed maxime efficax. Manet autem in genito: nec propriè perit materia ſeminata, ſed conuertitur in ſubſtantiam huic rationi ſeminali aptiorem: paucis, ante generationem, ſemen erat virtute, id quod poſtmodum actu fit. Denique ſeminalis hæc ratio virtute multiplex eſt, quidni ergo diſpoſitionem heterogeneam efficiet; maxime, ſi Dei operationem internam præſupponas, cuius ipſa ſit velut externum adminiculum?

Quoad ſecundum, videtur Ariſtoteles agnouiſſe Deum ſolùm vt motorem concurrere: non vt opificem: præterea vix illum oſtendes aliquando dixiſſe, quod Deus virtutes ſingulas cauſarum ſigillatim ad

In l. de mixtione. propias operationes applicet. Hinc Aphrodiſæus eius non triobolaris diſcipulus, eos habet deriſui, qui rerum mundanarum curam Deo adiudicant, idque perinde putat ac ſi præpotens Rex in luto ſubigendo diſtineretur. Iſtud patet falſum ex dictis, & infrà efficaciùs oſtendetur.

Inter hæc duo extrema medium ſequimur, dum ex vna parte Deum volumus ad ſingula & vt motorem, & vt opificem concurrere: & ex altera cauſis creatis partem opere in tanto damus; & virtutes inſuper ſeminales admittimus.

Secvndvm dubium eſt, quod non appareat quomodo cauſæ ſecundæ dici queant principales, cùm videantur ſolùm eſſe Dei principalis opificis inſtrumenta. Reſp. cauſam illam dici principalem, quæ ſuum effectum perfectione formali adæquat, vt vniuoca; vel ſuperat vt æquiuoca & præeminens. Item principalis eſt, cuius actio ex intentione naturæ per ſe & vltimò tendit ad imprimendam formam illi ſimilem. Ergo quatenus in materia exprimitur ſigillatio, & participatio formæ idealis, ſub diſpoſitione, quæ in diuina mente prælucet, creatura quæuis ſolùm agit inſtrumentaliter: quatenus verò efficitur participatio formæ naturalis, quæ eſt in agente, tunc agens illud dicitur principale: hinc *Cauſa prima*, inquit, D. Th. *Dicitur eſſe principalis ſimpliciter loquendo, propter hoc quod magis influit in effectum; ſed cauſa ſecunda ſecundùm quid principalis eſt, in quantum effectus ei magis conformatur.* (De verit. q. 24. ar. 1.)

§. 4.

An animalia ex putri orta poßint eiuſdem eſſe rationis cum ijs quæ prolificant.

HANC quæſtionem, ne quid relinquamus indiſcuſſum, paucis expedire oportet: aliunde haud ita magni ponderis eſt.

Certum eſt primò multa eſſe quæ nequeant ſine determinato ſemine, & in determinatis locis generari, vt ſunt perfecta viuentia. Neque vnquam intra ordinem naturæ homo, leo, &c. extra matricem, & ſine ſpermate proprio prodiere. Si quid in oppoſitum adducatur, fabula: nec facile, quod aiunt, crediderim vitulum è cælo decidiſſe, aut ſi decidit, vehemente aliquo vento, vel à dæmone in nubem poterat eſſe tranſuectus, hoc eſt contra Auicennam.

Certum eſt ſecundò ea quæ plerumque naſcuntur ex putri, vt imperfecta viuentia, poſſe etiam generari ex ſpermate, (an verò ſint aliqua, quæ non poſſint, viderint alij,) ſic mures, ſerpentes, apes, vermes, &c. vtroque modo ſoboleſcunt.

Quæritur vtrum quæ ſunt ex putri, ſint eiuſdem ſpeciei infimæ cum ijs, quæ ſeminantur: negat Auerroës. Affirmant fere cæteri, cum quibus noſtra ſit.

Conclvsio, probabilius eſt eiuſdem eſſe ſpeciei. Ita D. Tho. 7,

Met. l. 6. Certè nulla videtur vel apparens ratio id negandi, id clarè Ariſt. in 9. Met. *Quædam*, inquit, *& ex ſpermate fiunt, & ſine ſpermate.* Videmus multa fieri poſſe per artem, & ſine arte. Nidum compaginat arundo, id poteſt homo: item idem ignis fit ex igne, & ſine igne per ſpeculum, ſic ſponte aliquando è terra protruduntur plantæ, quæ gerunt ſemen ſimilium ferax. Sic mures in medio mari, è quiſquilijs nauis ſcatentes, alios gignunt; & quidem tot, vt aliter concipi nequeat, quomodo ex fœtido illo puluere tam exiguo, tanta ſoboles poſſit exoriri.

Præclarè cit. D. Th. diſcrimen perfectorum ab imperfectis attingit. His ob ignobilitatem ſufficere ait vim cæleſtem: (adde & vim illam ſeminariam, de qua ſuprà) illis verò non item; ſed inſuper vim aliam ab vniuocis agentibus emanantem, hoc ita Deo per artem ſuæ ſapientiæ diſponente. Id notes aduerſus Auicennam.

At, inquies, cuilibet ſuus à natura determinatus eſt modus naſcendi. Reſp. ſi velis hunc eſſe vnicum, nego; ſin ſolum velis non indifferenter quidlibet ſine certo modo progigni, concedo: ſic vnde naſcuntur mures, non prodeunt ranæ: ex capillis fœminarum, & equarum putreſcentibus ſcatent ſerpentes, non apes. Ita ſingulis modus quidam à natura prædefinitus eſt.

Inſtabis: animalia, quæ ſic natura velut nauſeans inter excrementa parturit, non habent cum cæteris eaſdem proprietates, vel enim non generant, vel non ſimile, vt docet Ariſt. 1. *De gener. animal. c.* 1. *& 5. de Hiſtor. anim. c.* 1. vt è muſcis non muſcæ, ſed vermiculi proueniunt: ita in cæteris. Ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei. Reſp. nego quod non habeant eaſdem proprietates, vt de muribus dictum eſt; quod verò ea vel non generant, vel non ſimile, oriri hoc poteſt ex imperfectione, quæ ſit intra eandem ſpeciem infimam, cùm idem ſæpe animalibus perfectis obueniat. Hæc de putridis ſatis.

CAPVT XVII.

DE NATVRÆ CVM ARTE collatione.

§. 1.

An ars naturam imitetur.

QVID ſit natura, patet ex prædictis, quid vero ſit ars diximus in Logica: vbi ſic illam definiuimus ex Ariſt. *Ars eſt habitus cum recta ratione factiuus eorum, quorum principium eſt in nobis.*

Hinc multiplex poteſt diſcrimen erui, primum, ex parte principij

efficientis. Natura effectus vel opus eſt Dei; ars, hominis.

Secundum ex parte principij formalis: natura operatur virtute formę, quæ conſtituit agens in eſſe ſpecifico, cuius per ſe ſimilitudinem intendit, ars verò, ſolùm virtute formæ, quam habet in animo. Vnde talis vel talis opifex dicitur v.g. homo gignit hominem virtute animæ, qua homo eſt: pictor virtute ideæ, qua pictor.

Tertium ex parte ſubiecti. Ars enim in natura fundatur, non natura in arte: tolle lignum, lapides, ferrum, &c. quid fiet arte architectrice, fabrili, ferrariâ, &c.

Quartum ex parte effectuum, primò, quia effectus artis etiam reſpectu eiuſdem artificis aliter & aliter fiunt: effectus naturæ ſemper eodem modo. Secundò, quia per naturam producitur principaliter forma ſubſtantialis reſpondens formæ naturali & ſubſtantiali agentis; per artem, ſolùm forma accidentalis, reſpondens formæ intentionali opificis. Tertiò, quia effectus naturæ, cùm ſit ens naturale, habet in ſe principium, vnde ad ſimile producendum ſe moueat: effectus artis non item, &c.

Nihilominus ars ſæpe naturæ opera imitatur: an non enim ars ædificandi æmulatur artem hirundinum? Quot ſunt qui lapillos adulterinos, verorum æmulos faciunt? Quid automata, & horologia referam, quæ inſtar naturalium in ſe ſui motus quodammodo principium habent? Quid picturam, &c. Architas Tarentinus columbam ex ligno volatilem: aquilam alij; alij muſcam feciſſe leguntur. Albert. Magnus ſtatuam hominis fertur conſtruxiſſe, quæ linguâ interiùs per arcanas machinas motâ, diſtincta & articulata verba ederet: eſt & aliud in quo artis ampliùs effulget induſtria; naturæ opus, nedum ſimulat, ſed facit.

§. 2.

An ars opera naturæ faciat.

l. 3. de miner. cap. 9. l. 19 de euerſ. ſingul cert. ſect. 7. d. 7. q 3 a. 1. l. 17. de ſubt.

NOs huc vocat Alchymia: vetus nempe quæſtio eſt, an arte Chymica verum aurum effici queat, res vltro citroque diſputatur. Alchymiſtis fauent Albertus Mag. item Antonius Mirandul. celeberrimi viri, ac multi alij. Secus illis aduerſantur D. Thom. in 2. & d. 7. Cardanus, & vulgus omne Philoſophorum, & Theologorum.

Nota duobus modis intelligi quòd opus naturæ arte fiat. Primò, immediatè & vi ſolius artis: ſecundò, mediate virtute cauſarum naturalium. Primo modo certum eſt opus naturale ab arte proficiſci non poſſe, repugnat enim immediatum terminum actionis artificialis non eſſe aliquid artificiale: res naturalis habet principium in natura, artificialis in mente artificis: alterum ex induſtria & electione, alterum fit naturâ & neceſſitate. Ita plus diſtant quàm vt poſſint in vnum idemque concurrere.

At ſecundo modo nihil vetat: ſic medicina ſanitatem parat; & hu-

midum radicale reſtituit. Perſpectiui ex criſtallo ignem eliciunt: agricola ex ſtirpe pyri poma colligit, &c. At tunc arte quid fit? Accerſuntur res naturales, quibus ineſſe vires horum effectuum producendorum conſtiterit: eaſque loco & tempore ita diſponunt, vt ijs congruè inter ſe commixtis, ſequi naturaliter debeat hoc, vel illud naturæ opus. Sic diſpoſitio cauſarum naturalium eſt ipſe proprius effectus artis, ac terminus intrinſecus, & immediatus: opus verò naturæ, effectus remotus, & quaſi per accidens; quippe qui per ſe ex natura, non ab arte immediate proueniat.

Ad hunc ergo modum Chymici contendunt arte ſua verum poſſe aurum confici. Supponunt illius eſſentialia, vt ita dicam, elementa eſſe argentum viuum, & ſulphur, eaque in omnibus metallis abundare, quare ſi quis in ijs purgauerit ſulphur per decoctionem, & ſublimationem argenti viui, tunc, inquit Albertus, fiet aurum. Quidni enim ignis elementaris congruè temperatus idem efficiet, quod cæleſtis? Quidni, quod virtutes elementares, & cæleſtes faciunt in vaſis naturalibus, hoc etiam fiet in vaſis artificialibus, ſi hæc ad illorum modum efformantur? Nihilominus ſit

CONCLVSIO. Probabilius eſt non poſſe confici verum aurum: rationem dat Diuu. Thom. citat. *Quòd forma ſubſtantialis auri non introducatur per calorem ignis, quo vtuntur: ſed per calorem ſolis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis.* Nempe ſunt in mundo duo gradus corporum, quædam perfecta ſunt, & maximè determinata: nonnulla imperfecta, & indeterminata, perfectis procreandis determinauit Deus propria quædam principia tam actiua, quam paſſiua; itemque locum & ſimilia, non imperfectis. Hinc homines, leones, equos, &c. nuſquam videmus concipi, præterquam in matrice, cui ſingularis & ad cuiuſque ſpeciem determinata vis efformatrix inſita eſt: vermes verò, apes, &c. contrà. Sic à pari admodum probabile eſt eundem inter mineralia ſeruari ordinem: & quidni? Scimus enim non vbique generari ſmaragdos, ſaphiros, adamantes, &c. cùm tamen vbique concreſcant lapides. In hiſce pulcherrimis ſuis operibus, natura vt parca, ita conſtans eſt: ita certè crediderim perfectis metallis procreandis, certas à natura matrices, venas, & virtutes cæleſtes, atque elementares fuiſſe deſtinatas, quas cinifſones illi Chymici nuſquam poſſint, in ſuos furnulos deriuare.

Nonnulli Alchymiæ peritiſſimi apud Pierium addunt, fundamentum, quo vel principaliter hæc auri conflatura innititur, fallax omnino eſſe, ac ſuppoſititium; nempe quòd auri & argenti materia ſulphur, & argentum viuum ſit. Idque vel ex eo falſum eſſe conuincunt, quòd ſi hoc eſſet, in venis ſulphuris & argenti viui ſaltem vel granula illorum metallorum viſerentur: itidemque in iſtorum venis, ſulphuris & argenti viui ſemina ſe aliquando proderent; hoc autem ipſi falſum eſſe aſſeuerant. In Phyſ. l. 8. cap. 19.

§. 3.

Solutio dubiorum.

AT illi ſic opinionem ſuam corroborant. Animantes ſunt perfectiores metallis: ſed illæ poſſunt arte produci extra locum genitalem: (vti ex cadauere aſinino, ſcarabæi; ex bubulo, apes; ex medulla hominis demortui, ſerpens; ex mulis locuſtæ,) ergo quidni aurum & argentum extra fodinas?

Vide Plutarch. Plinium, &c.

Reſp. ſi valet argumentum, inferam poſſe arte quoque, & furni, vel cucurbitæ magiſterio, per calcinationes, ſimileſque excoctiones confici pyros, palmas, &c. nam his nobiliora ſunt animalcula quælibet. Reſp. ſecundò negandam eſſe conſequentiam: quia illa in ſuo genere ſunt imperfecta, iſta vero perfecta in ſuo, & hoc ſatis.

Secundò, Auri arenulas fert Tagus, Pactolus, multique riuuli Americæ, Tranſyluaniæ, Vngariæque. Ergo extra fodinas: adhæc ſi calculi vel lapilli generantur in veſica, quidni aurum in furnulo? Reſpondent aliqui has arenulas huc ex montibus ſimul defluere cum fluminum riuulorumque fontibus venas minerales interluentibus. De calculis non minùs traducenda eſt ad aurum conſequentia, quam ad Saphyros, adamantes, &c. Ergo in genere lapillorum calculi ſe habent ad Gemmas, vt vermes ad Equos, qui ob imperfectionem extra natiuum ſolum ſcatere poſſunt.

Tertiò, factum multi aſſerunt. Ergo poteſt fieri. Reſp. Antec. dubitari. Conſtat aliquid ſimile auro exſufflatorio quandoque prodiiſſe: Item per alba metalla fuiſſe albificata; & per citrina citrinata, (ſic loquitur Alb. Mag.) ſed plus in his fallacis ſimilitudinis, quàm puritatis & veritatis accidiſſe verendum. Nolo abſolutè ſycophantas illos & agyrtos dicere. Forte verum exufflant aliquando. Neque id abſolutè reor impoſſibile: quis enim adhuc omnem naturæ poteſtatem comprehendit? Quot noua miracula in dies ab illa ſtupemus exhiberi? Exiſtimo tamen verius, quód verum nuſquam ediderint: primò, quòd huiuſmodi ciniflonum videmus ditari neminem: ſecundò, quia ſi quod laudatur factum, hoc ignis probationem non ſuſtinet: idcirco iure legibus cautum eſt ne vendatur. Hoc proſcripſit iam olim Eccleſia *in extrau. commun. l. 5, t. 6. c. 1.* periculum enim foret ne inani hac arte crumenis ſimul & corporibus magna crearetur pernicies: nempe ne vera ſæpe merces pro falſa pecunia in commerciis: & pernicioſa metallorum, puluerumque commixtio, pro ſalutifero auro in pharmacis, traduceretur.

Interim mihi non eſt animus vniuerſam Chymicorum, & Spagiricorum artem incuſare. Inde diuinas energias periti Medici extrahunt, dum per liquationes, ſegregationes, coadunationes, exaltationes, maturationes, & gradationes, vt puriora, ita efficaciora medicamina conficiunt: ſunt namque in corporibus naturalibus multa permixta,

mixta, quorum alterum vim medicantem alterius deprauat impeditve, quæ tamen hac arte ſegregantur, & ſublimantur. Alia multa commoda referuntur, ſed iſtud præcipuum eſt, ſufficitque.

CAPVT XVIII.

DE CAVSIS RERVM naturalium in genere.

§. 1.

Quid ſit, & quomodo definienda.

NON quærimus an ſit, quis enim hoc neſcit, niſi ſe neſciat? hinc Iob c. 5. *Nihil in terra ſine cauſa fit.* Et Plato in Philebo, *Sine cauſa oriri quidquam impoſſibile*: quærimus ergo quid ſit, acprimum diſtingui iuuat cauſam à principio, eo quod Theologi doceant, Patrem æternum eſſe principium filij, at non cauſam; idem illud diſcrimen agnouere Platonici, vt docet P. d'Orgeuillæus. Exam. Platon. 1. p. c. 6. prop. 4.

Huius diſcriminis rationem declarat D. Thom. 1. p. dicens, *Hoc nomen cauſa videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principij.* Et Procl. in elem. prop. 75. probat omnem cauſam propriè dictam exemptam eſſe ab effectu: hoc eſt, ſe totâ diuerſam eſſe: & Plato in Philebo docet cauſam omnino ab effectu diſtingui. Ergo pater æternus non eſt cauſa Filij, quia Filius nec à Patre pendet, neque ſubſtantiâ differt, quod ſuſpicans Plotinus ait, *Quando ſoli ſunt genitor & genitus; atque vbi quod genuit eſt optimum, neceſſariò genitum ipſi cohæret, ita vt alteritate ipsâ ſolummodo diſtinguatur*, hoc ſuppoſito. q. 33. a. 1 Enn. 5. l. 1 cap. 6.

Cauſa variè definitur. A quibuſdam ſic, *Principium in effectum per ſe influens.* Sed quid eſt influere? Cur Pater æternus non influit in Filium? Ideo rectiùs D. Thom. ſic: *Cauſa eſt, ad quam ſequitur eſſe, ſeu ex cuius eſſe ſequitur aliud.* Hæc ex Boëtio in Top. deſumitur, eâque rectè diuerſitas, ac dependentia ſecundum *Eſſe* declarantur. Quod enim ad aliud ſequitur, eo poſterius eſt, illique ordine progreſſionis cohæret, diuerſum tamen. Hęc effectui verè conueniunt: & quidem omni ac ſoli. De efficiente non eſt dubium: de finali patet, quia ad apprehenſionem ſanitatis ſequitur ſorbitio pharmaci; de materiali, quia ex eſſe materiæ ſequitur compoſitum, quod eſt aliud, ſimiliter etiam ex eſſe formæ in materia. Denique de exemplari: quia ex illo ſequitur imitamen; aliunde Filius procedit quidem vt alius, non vt aliud à Patre: neque habet eſſe ab illo Patris diſtinctum & fluens: huc recidit definitio Plutarchi. *Cauſa eſt, per quam aliquid contingit.* 1. p. de Plac. cap. 11.

Sunt qui ſic rurſus cauſam definiant; *Cauſa eſt, quæ dat eſſe rei*: ſed

Amic in Met. tr. 6. cap. 1. quomodo tunc materiæ ratio cauſæ conueniet? Non enim dat eſſe compoſito: neque etiam formæ. An forte materiam principium ſolùm dici volent, & non cauſam propriè? certe de nomine tunc fiet quæſtio, à qua nos, quoad poſſumus, abſtinere profitemur.

De differ. ympt. c. 1. Minus rectè Gal. *Cauſa eſt, quæ ſuapte natura ei quod fit aliquam partem generationis confert.* Hæc enim aliquibus benè, at non omnibus competit.

§. 2.

Quotuplex eſt cauſa.

ARISTOTELES in 2. Phyſ. cap. 3. ſolum quadruplex genus cauſæ conſtituit: efficiens, finale, materiale, formale. Cauſam efficientem definit, *Id vnde eſt primum mutationis & quietis principium:* finem, *id cuius gratia fit aliquid:* materiam, *id ex quo inexiſtente aliquid fit*, formam denique eo ſolum deſignat quod *fit exemplar, & quidditas.*

Plato in Timæo 5. genera cauſarum diſtinguit, efficientem, quæ Dei verbum; exemplar, quod mundus Archetypus; finem, qui ſummum bonum; formam, quæ ſpecies genita, ſeu generatio; materiam, quæ formarum ſuſceptaculum dicitur. Proclus in Timæum ait à Platone ibi, quinque cauſarum naturam germaniſſime declarari, vt efficiens ſit, *Id à quo*: exemplar, *id ad quod*; finis, *id propter quod*, formæ, *id quo*, materia, *id ex quo*, vel *in quo* res fiunt. Addit Aug. Steuc. *l. 7. de peren. Phil. c. 8.* cauſam exemplarem à Platone fuiſſe introductam, ad quam reliqua omnia eſſent condita: *Vt oſtenderet quantùm inter creatum & æternum intereſſet, & vnde res venire potuiſſent.*

Hæc ſecunda opinio videtur probabilior, quia quinque illæ cauſalitates (ita vocantur actus illi cauſarum, quibus ſingulæ definiuntur, ac diſtinguuntur,) reuera diſtinctæ ſunt, vt cap. 27. §. 2. videbimus. Aliunde nulla poteſt aſſignari, quæ ad hæc 5. genera non referatur: vt conſtabit ex ſubdiuiſione ſingulorum huiuſmodi generum: hinc quæ ſit cuiuſque cauſalitas, breuiter ſic explicatur.

Cauſalitas efficientis eſt actio realis, per quam res fit exiſtens: exemplaris, eſt directio mentalis, qua forma, quæ latet in animo, extra per imitationem exprimitur.

Finis, eſt appetitus efficax boni quod apprehenditur.

Materiæ, eſt ſuſceptio formæ, conſtitutiua compoſiti ſingularis, mutabilis, & corporei.

Formæ, eſt actuatio materiæ, conſtitutiua compoſiti ſimpliciter eſſentialis, ac ſpecifici.

Tres primæ cauſalitates explicabuntur deinceps fuſius. Duæ poſtremæ clareſcunt ſatis ex præmonſtratis: cauſalitas materiæ conſiſtit in tribus. Primum eſt, quòd formam ex gremio rationibus ſeminalibus fœto ſuſcipiat: ſecundum, vt ſuſceptam foueat, & amplexetur: tertium denique, vt cum illa vnam per ſe quaſi prolem efficiat, &

hoc eſt compoſitum ſingulare, ab illa hoc retinens, vt mutabile ſit, & in partes integrantes diuiſibile.

Cauſalitas formæ præcipuè abſoluitur in duobus: primum eſt, vt actu & materiam, vnde ipſa fit eſſe ipſius particeps: ſecundum vt cùm ipſa compoſitum talis rationis, ac ſpeciei conſtituat.

Notat hic autem Ariſtot. quòd non ſolùm materia & forma ſint cauſæ, ſed inſuper earum genera, vt ſi æs ſit materia ſtatuæ, etiam metallum erit eiuſdem materia: ita de forma.

Præter hanc diuiſionem generalem, aliæ multæ ſolent aſſignari, ſed quæ præcipue videntur ad genus efficientis pertinere. Ideo eam illò remittimus.

§. 3.

Quales ſint cauſæ in genere, ſeu quid illis conueniat.

PRÆCLARA multa de cauſis afferuntur, quæ ſequentibus axiomatibus explicabuntur. 2. poſt. c. 12. 1. poſt. 2. 1. Eth. 4.

PRIMVM AXIOMA, Omnis cauſa, cauſato prior eſt ordine naturæ, cognitionis, & dignitatis. Hoc eruitur ex Ariſt. prior ordine naturæ dicitur, quatenus ab ea pendet effectus: ſic ſol radio; & fons riuulo, prior eſt, origine ſcilicet & naturâ, non tempore. Prior ordine cognitionis, quatenus debet effectus per cauſam ſimpliciter demonſtrari: vide quæ de demonſtrat. Scripſimus in Logica. Prior ordine dignitatis & perfectionis, quatenus nobilius eſt dare, quam accipere: id quod intelligas velim de cauſa, quatenus cauſa eſt: poteſt enim res aliqua ſuis cauſis euadere dignior, at non quatenus illarum effectus eſt. Homo dignior eſt ſole, animal corpore, ſi ſubſtantiam vnius ſimpliciter cum illâ alterius contuleris; at non, ſi dependentiam vnius ab altero, eò enim quò quid dependet, imperfectum; eique à quo dependet, ſubiectum eſt: neque ſanè putauerim cauſam, quæcunque illa ſit, poſſe in effectum influere, niſi vel per ſe ſit illo ſuperior, vel ſuperioris virtute fœcundetur. Materia compoſito cedit, ac formæ: ſed formam nunquam ſuſciperet, (vnde compoſitum ſurgit,) niſi naturæ vniuerſalis, quæ compoſito ſuperior eſt, ſeminali viuacitate polleret: accidens ſubſtantiâ quis non fateatur eſſe ignobilius? & tamen dum agit virtute ſubſtantiæ, habet in ſe aliquid, quo ſuperior ſubſtantia naſcente dici queat: ſiquidem perfectæ formæ viuaciſſimam gerit, exhibetque energiam, ac tota quodammodo eius fœcunditate grauidatur. Denique agere, actum arguit; agi, potentiam; illud propinquius Deo, iſtud nihilo. Negas ergo illud iſto eſſe perfectius?

Nota cauſam ſumi poſſe tripliciter: primò ſpecificatiuè pro re quæ eſt cauſa, & ſic ſæpius effectu prior eſt tempore. Secundò reduplicatiuè, vt eſt actu agens reſpectu paſſi, & ſic eſt prior naturâ: tertiò, vt ſubeſt relationi cauſæ ad effectum, & ſic eſt ſimul naturâ cum illo, quia correlata ſunt ſimul ex Ariſt.

2. Met. c. 2. & 8. Ph. c. 6. & ſeq. SECVNDVM AXIOMA, eſt certus cauſarum ordo, nec datur in ijs progreſſus in infinitum. Iſtud latè probatur in Metaph. & deinceps, in c. de cauſa efficiente copioſiùs declarabitur: hinc Philoſophi Deum maximè ſibi perſpectum habuerunt, vt primam omnium cauſam, à qua, & ſub qua omnia ſubordinata tenerentur.

TERTIVM AXIOMA, cauſæ inferiores non agunt ſine ſuperioribus: hoc exigit eſſentialis illa ſubordinatio, quam neceſſe eſt in cauſis admittere. Quemadmodum enim in ſubordinatione generum, & ſpecierum infima pendent à ſubalternis, & ſubalterna rurſus à ſummis: ita ex cauſis quaſi vna catena pulcherrima fit, qua cauſæ ſingulares à communibus elementaribus, hæc à cæleſtibus, iſtæ à Deo copulatiſſimè pendent, ac pro ſuo quæque modulo euadunt actuoſæ. Tamen quò quæque cauſa propior eſt ſingulari, eò magis propria & propinqua dicitur cauſa ſui effectus, & contrà, quò quæque cauſa eſt ſuperior, & primæ propior, eò eſt etiam efficacior, atque potentior, vt videbimus inferius.

QVARTVM AXIOMA, cauſæ inferiores ſic dependent à ſe mutuo in agendo, vt finis moueat efficientem, & alliciat ad operandum: efficiens ſubigat, & præparet materiam, materia ſuſcipiat formam, forma denique finis generationis ſit, ac terminus, & compoſitum conflet, eique vt exiſtendi, ſic & operandi principium fiat. Hunc ordinem in exequendis rerum generationibus obſeruari à natura, vel ipſa ſola conuincit experientia: hinc patet cauſas eſſe ſibi mutuò cauſas, ſaltem in diuerſo genere. In eodem genere poteſt idē eſſe cauſa & effectus diuerſorum, ſicut habitus qui eſt effectus actus prioris, & efficiens poſterioris: denique poteſt idem perfici efficienter à ſuo effectu, ſed non ſimpliciter effici. Sic habitus perficitur ab actu, quem producit.

QVINTVM AXIOMA, cauſæ ſingulares ſæpe valent impediri, at vniuerſales nunquam, niſi ab eo qui totum naturæ curſum poteſt tollere.

SEXTVM, ablata cauſa tollitur effectus. Id dupliciter intelligitur: primò ſic: ſi dempta fuerit cauſa, priuſquam effectus extiterit, certè non erit effectus, qui ab illa fuiſſet prodíturus. Secundò, ſi cauſa adæquata, quæ neceſſario effectum profert, ac conſeruat, ſubmota fuerit, illicò etiam effectus diſperibit, ſicut ablato ſole, lux ceſſat.

SEPTIMVM, cauſa in actu ſemper ſimul eſt tempore cum effectu in actu, *Ita Ariſt.* Ratio eſt, quia nequit cauſa efficere actu, niſi quidpiam actu efficiatur. Quare eo modo, quo cauſa eſt in actu, etiam effectus in actu eſt: ſi cauſa ſit in actu inchoatè, effectus erit actu inchoatus, &c. ſicut ex quo gallina incipit actu fouere, & parere, pullus quoque incipit eſſe: & ex quo gallina partum perficit, perfectè quoque paritur pullus. Denique axioma hoc debet intelligi de cauſa & effectu non in facto eſſe, ſed in fieri.

a. Phyſ.

CAPVT XIX.

DE CAVSA EFFICIENTE in genere.

§. I.

Quid ſit & quotuplex.

DEFINITVR cauſa efficiens ſic: *Primum, vnde principium motus & quietis* .i. efficiens eſt cauſa à qua motus incipitur, & inducitur quies, terminato, ſcilicet, completoque opere. Sic pater eſt cauſa efficiens filij, quoniam ab illo motus generationis ſumit exordium: nec deſinit niſi per illum, dum nimirum ceſſat operari per ſe, vel per aliud.

Dicitur primum in ordine ad reliquas cauſas prout executioni mandantur. Finis quidem in intentione primùm, deinde exemplar determinant agens: at cum incumbendum eſt operi, agens incipit realem & externum motum, materiam præparat: formam introducit, &c. Non ergo primum dicitur, quaſi à priori principio præmoueri non debeat, ſed quia cauſalitatem materiæ ac formæ, necnon & finis executionem anteuertit. Aliqui tamen τὸ *Primum* ab illa definitione expungunt: neque ijs ſuccenſeo, cum enim dicitur, *Id vnde principium motus, & quietis*; Abunde cauſa efficiens deſignatur: & ſoli huic conuenit eſſe, vnde res prodit; reliquæ ſunt vel ex qua, vel qua, vel cuius gratia, vel iuxta quam. Nulla à qua, vel vnde: hæc de illius definitione ſufficiant, nunc ad diuiſionem.

PRIMÒ diuiditur in cauſam per ſe, & per accidens. Cauſa per ſe eſt, vnde per ſe incipitur motus: cauſa per accidens, vt fortuna, caſus.

SECVNDÒ, cauſa per ſe diuiditur in principalem & inſtrumentalem, principalis eſt, quæ mouet propria virtute. Inſtrumentalis, quæ mouet ſolùm virtute alterius, vt ſerra, penicillus, &c.

TERTIÒ, principalis in primam, & ſecundam, illa Deus; hæc creatura eſt.

QVARTÒ, cauſa ſecunda in vniuerſalem & particularem, illa vt cælum, hæc vt homo.

QVINTÒ, particularis in Phyſicam, & Moralem. Illa per influxum naturalem, hæc per conſilium, aut alio ſimili modo agit.

SEXTÒ, cauſa per ſe iterum diuiditur in vniuocam, & æquiuocam, illa effectum parit parienti conformem, iſta diſſimilem.

SEPTIMÒ, in immediatam & mediatam, mediatio duplex eſt, ſuppoſiti, & virtutis. Vnde immediata immediatione ſuppoſiti ea eſt quę per nullum aliud ſuppoſitum attingit effectum, ſed per ſeipſam: immedia-

ta immediatione virtutis ea eſt quæ per ſuam virtutem propriam, & non per deriuatam operatur. Hæc ex dicendis eluceſcent clariùs.

§. 2.

Qualis ſit cauſa efficiens, ſiue quas habeat proprietates vel conditiones.

PRIMVM AXIOMA. Efficiens propriè ſibi præ cæteris nomen cauſæ vindicat. Hoc patet quia nemo denominationẽ cauſæ illi hactenus negauit, tametſi plures eam negauerint cæteris. Deinde ſi definitio cauſæ, quam tradit Auicenna, ſit vera, vti à maxima parte Philoſophorum admittitur: Certè ſoli efficienti propriè conuenit: dicitur enim id quod dat eſſe rei, at ſola id efficiens dat, materia illud recipit; forma determinat materiam, vt illius ſuſcipiendi ſit capax; finis eò ſolùm efficiens allicit, vt per illud exiſtat: denique ſola efficiens eſt ex cuius eſſe propriè ſequitur aliud: aliud, inquam, ab illa tota ſecundum ſe totum diſtinctum & dependens, id quod dici nequit de cæteris.

Secundum axioma: Omnis cauſa efficiens agit in virtute primi, & ſummi boni. Hoc ſcitè demonſtrat Proclus in Timæum Platonis, vbi cum Plato dixiſſet mundi artificem ſola ſua bonitate inductum mundo dediſſe initium, ipſe ſubiungit: *mens architectonica* (ſcilicet diuina) *habet, quod ſit architectonica, & practica per bonitatem, quæ in illa eſt, & per illam mens eſt effectiua, & non ſolùm cognoſcitiua.* Ratio eſt, quia boni propriũ eſt vt ſit ſui diffuſiuum: Ita D. Dionyſ. de Diu. Nom. & fatentur omnes. Hinc ſequitur primum, & ſummum bonum, eſſe primum fontem omnis communicationis. Ita vt nihil in cæteris vim ſeſe communicandi obtineat, quod non inde cor rit: ſicut nulli adeſt vis illuminandi, quæ non à ſole proceſſerit. Ergo quidquid cauſando ſeſe communicat, virtute primi, & ſummi boni operatur.

Inde Proclus in elem. prop. 26. *Omne perfectum, in procreationes progreditur eorum, quæ producere poteſt, ipſum vniuerſorum* VNVM PRINCIPIVM *imitans, vt enim illud propter ſuam bonitatem, omnium entium eſt vnitiuè cauſa ſubſtantifica (idem enim eſt* IPSVM BONVM, *&* IPSVM VNVM, *ideo quod boni-forme eſt, id vni-forme ſit, oportet:) ſic etiam illa, quæ ſunt poſt illud, propter ſuam perfectionem alia generare properant.*

Tertium axioma: Cauſa efficiens propriè dicta non efficit, niſi bonum. Sequitur ex præced. Etenim non eſt propriè efficiens, niſi quatenus agit in virtute primi boni. ſed in virtute primi boni, nihil per ſe effici poteſt, niſi bonum; ſicut in virtute luminis ſolis non poteſt per
3. cont. gẽt c. 10. ſe fieri niſi lucidum. Hinc D. Th. *Cauſa per ſe defectus non eſt aliquid poſitiuum, ſed alius defectus: qualis enim cauſa per ſe, talis & effectus.*
q 1. de malo a. 3. Ideo cauſa monſtri, quâ monſtrum eſt, non efficiens, ſed deficiens dici debet: quia monſtrum vt tale, non effectus naturæ, ſed potius de-
2 Phyſ. t 81 fectus eſt. Hinc ſequitur mala, quâ mala, non poſſe per ſe procedere

à prima cauſa, quæ Deus eſt, & ipſummet ſummum bonum. Quòd ſi per ſe nequit procedere à prima. Ergo nec per ſe à ſecundâ: quia hæc non agit, niſi in virtute primæ.

Quartum axioma: Cauſa efficiens eadem manens, quâ eadem, idem ſemper facit. Ariſt. *Idem*, inquit, *ſemper eodem modo ſe habens à natura comparatum eſt, vt ſemper faciat idem.* Et quidem ſi nunc cauſa non eſt aliter comparata, vel expedita ad agendum, quam antea, ſi modo agat; Cur ante non agebat? id ita tamen intellige, vt tam extrinſecè, quàm intrinſecè non adueniat aliquid, quo cauſa poſſit aliter affici ad agendum: ſi enim inæqualis ipſi materia offeratur diuerſum poterit, licet intriſecus immutata, effectum procreare: Ita ſol idem dulcedinem in lacte, amarorem in abſynthio gignit. Ita de cæteris. 2. de Gen & corrupt c. 10.

Quintum axioma. Effectus ſic ab efficiente cauſa egreditur, vt tamen ipſa non imminuatur. Quòd effectus à cauſa egrediatur patet, quia ſecundùm omnes, eò vnum quodque dicitur effici, quòd ponatur extra cauſas. Quòd verò cauſa non imminuatur, certè id omnino eſt contrà eos veteres, qui per ſolùm effluxum atomorum volebant res fieri: neque deſunt modo Philoſophi alioquin perdocti, qui antiquata hæc dogmata exſuſcitauerint. Hi tenentur aſſerere cauſam quamlibet ex eo quòd agat iis atomis, quas emittit, exhauriri: eſto aliunde aliæ emiſſis ſuccedant: at velint, nolint, fateantur oportet, eo ipſo, quò quid agit, de ſua plenitudine aliquid ſemper amittere: quod repatiendo, i. recipiendo reſtauret. Ita contra commune proloquium, infelicius eſſet dare, quam accipere. Probatur autem ſecunda hæc axiomatis pars: cauſa efficiens agit in virtute ſummi boni ad imitationem illius: ſed ſummum bonum agit ſine ſua diminutione virtutis. Ergo ſimiliter quælibet cauſa inferior fontali effectus quem parturit copia non exhauritur. Ad hæc nemo eſt qui non iudicet cauſam perfici, hoc ipſó, quod agat: at eò ipſo imperfectior euaderet, quia imminutior eſſet. Ergo. Iſta hic ſufficiant: vide Proclum cit. Ita Procl. in elem. Prop. 30.

Sextum denique: effectus reuertitur in ſuam cauſam. Enimuerò cauſa efficiens agit in virtute boni, quæ ſemper eſt attractiua: ideo cauſa reſpectu ſui effectus habet rationem boni: bonum autem eſt finis. Ergo effectus cauſam appetit vt proprium bonum, & ad eam dirigitur, vt ad finem: iſtud conſentit doctrinæ S. Dionyſij aſſerentis à bono attrahi omnia, & ad illud conuerti. Denique *quidquid aliud expetit*, inquit Proclus, *ad illud reuertitur: atqui omnia expetunt bonum, neque illud adipiſcuntur, niſi per cauſam proximam. Expetunt igitur ſingula ſuam cauſam: per quod enim eſſe vnicuique datur: per hoc & ipſum benè eſſe: per quod verò ipſum bene eſſe, ad hoc ipſum appetitus: ad quod verò appetitus, ad hoc ipſa conuerſio.* En ſcalam per quam omnia rurſus ad Deum conſcendunt, à quo & deſcenderunt. Vide D. Th. de verit. vbi demonſtrat quòd Deum omnia implicitè appetunt: *Quia ſicut influere cauſæ primæ eſt agere; ita influere cauſæ finalis eſt appeti: & ideo ſicut agens ſecundarium non agit, niſi per virtutem primi agentis in eo exiſtentem: ita ſecundarius finis non appetitur, niſi per virtutem finis principalis,* Prop. 31. q. 22 a. 2.

in eo exiſtentem: prout ſc. eſt ordinatum ad illud, vel habet ſimilitudinem eius.

Capvt XX.

DE PRIMA CAVSA efficiente.

§. I.

An ſit vna prima omnium cauſa effectrix ac conſeruatrix.

TAM manifeſtum eſt quòd ſit vna prima cauſa: quàm occultum & ineffabile, quid ipſa ſit.

Quod vna ſit prima omnium patet tot argumentis, quot ſunt effectus, qui clamant Deum eſſe. Fidei quoad iſtud miro concentu conſonat Piloſophia. Scholæ omnes reſonant, quidquid mouetur, moueri ab alio, donec ad primum Motorem immobilem pertingatur. Ariſt. 12. librum Met. forte vltimum ſic terminat. *Entia nolunt male gubernari: non eſt bonum pluralitas principatuum: vnus ergo ſit Princeps:* quem verſum ab Homero deſumpſit: & 2. eiuſd. probat copioſè non poſſe in cauſis admitti proceſſum in infinitum: ideo ad vnam primam cauſam ſiſti oportere. Præcipua eius probatio in duobus principiis ſita eſt. Primò, quòd cauſa inferior nequeat agere, niſi à ſuperiore moueatur: vt inde fiat agendi efficax. Secundò, quòd in gradatione infinita non detur primum nec vltimum. Hinc ita ſyllogizat: ablata prima cauſa, non agunt mediæ, ex priori principio: ſed in progreſſu infinito non datur primum, ex ſecundo. Ergo ſi daretur progreſſus in infinitis cauſis, nullæ eſſent cauſæ, quod implicat, v. D. Th. ibid.
Prop. 11. Ita etiam id demonſtrat Proclus in elem. & alibi. talibus argumentis referti ſunt Platonicorum libri. At Platonis hic exceſſum ſatis demirari non poſſum? In Ep. ad Hermiam, Eraſtum, & Coriſcum ita ſcribit, *teſtando Deum rerum omnium Ducem præſentium, & futurarum, ac Ducis, & cauſæ Patrem Dominum:* Et in Philebo: *Mens*, inquit, *eſt progenies quædam eius cauſæ, quæ cauſa dicitur omnium.* Hic Mentem (i. verbum æternum) vocat cauſam, illic eandam vocat filium ſiue progeniem cauſæ: vtrobique vnicam cauſam admittit: an non forte videtur ſub odoratus eſſe Myſterium SS. Trinitatis? Quaſi Mentem cum Patre in vnius cauſæ, ſeu principij perfecti notionem coaleſcere cenſuiſſet; nimirum Patri tanquam fontali, & Menti; tanquam formali principio rerum adſcribens exordia; eo ſenſu, vt Pater primum eſſet abſolutè principium, ex quo, & à quo, eſſentia rebus, atque ipſum eſſe diſpertiretur: Mens verò, archetypa forma, ratio architectonica, mundi formatrix; ſecundum quam, & per quam rebus menſura, ordo,

do, & numerus cuique ſuus diſtribueretur. Quidquid ſit Deum ſemper vnicum veneratus eſt, eumque Opificem omnium appellauit, & talem Opificem ſingulariter appellat Mentem. In ep. ad Dionyſ. apud Theodoret. in Soph. 10. de Rep. in Phileb 6. de Rep.

CONCLVSIO prima: Certum eſt cauſam primam eſſe vnicam. Eſt de fide: [a] *vnus eſt altiſſimus Creator omnium & rex potens.* [b] *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos, ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Plato vocat illud primum omnium principium ipſum vnum, de quo multa præclariſſima dicenda ſunt in Met. & iam aliàs pauca perſtrinximus. Hinc D. Dionyſ. *Omnium* VNVM *eſt cauſa, nunquam egrediendo, diſcedendoque ab* VNO: *nihil enim ex his quæ ſunt,* VNIVS *eſt expers, &c. ſic quia eſt* VNVM, *ſunt cuncta quæ ſunt ſubſiſtentia.* Et D. Thom. 1. part. *Omnia quæ ſunt inueniuntur eſſe ordinata ad inuicem, dum quædam quibuſdam deſeruiunt: quæ autem diuerſa ſunt, in vnum ordinem non conuenirent, niſi ab aliquo Vno ordinarentur: meliùs enim multa reducuntur in vnum ordinem per Vnum, quam per multa, quia per ſe Vnius Vnum eſt cauſa; & multa non ſunt cauſa unius, niſi per accidens.* [a] Eccl. 1. [b] Iſai. c. 44. De Diuin. Nom c. 13. q. 11. a. 3.

CONCLVSIO ſecunda: Certum eſt illam primam cauſam eſſe quoque omnium conſeruatricem: eſt de fide. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur.* Et *ex ipſo per ipſum, & in ipſo ſunt omnia,* & *omnia in ipſo conſtant.* Quamobrem non ſicut ab architecto, domus; ſed ſicut à Sole, ſplendor; ab anima, vita; ab obiecto, ſpecies intentionalis; ſic omnia iugiter à Deo manant. *Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret*: inquit D. Aug. Iſtud mirè conſonat doctrinæ Platonis, qui res exiſtentes corporeas non aliter putat, quam in perenni fluxu ſubſiſtere: atque adeò à ſola immutabili prima causâ iugi emanatione conſeruari: ſpiritus verò immortales ſola Dei voluntate permanere. Platonici hoc probant præſertim ex efficientia VNIVS, quod ſemper loco primi principij nominant: & cenſent virtute illius imparticipati VNIVS, omne vnum participatum cohærere. Ita vt ſicut multitudo nequit, ſine vi vnitatis perſiſtere: ſic neque vnio prædicatorum eſſentialium, formæ cum materia; accidentis cum ſubiecto, exiſtentiæ cum eſſentia, &c. niſi vi & influxu perpetuo primæ vnitatis queat conſiſtere. Addit Plato ſummi boni hoc eſſe proprium, vt conſeruet & iuuet omnia. Triſmegiſtus in Aſclepio vocat mentem conſeruatricem rerum omnium. Ita naturali lumine nota fuit hæc veritas. Philoſophi enim, præſertim Pythagorei & Platonici tantam dependentiam in rebus creatis à primo principio concepere, quanta nequeat cogitari amplior. Quare cum viderint quoſdam effectus ſic à cauſis ſuis proximis pendere, vt ab illis iugiter conſeruari egeant, velut à fonte riuulus, pulſus à corde, & imago intentionalis ab obiecto, &c. ideo concluſere res omnes adhuc dependentius à prima cauſa ſuſpendi, Deumque fontem eſſe bonitatis, à Sap. 11. Rom 11. Coloſſ. 1. 4. Gen. ad l. c. 12. In Timæo.

quo iugiter quidquid boni factum eſt, ſemper refici, & inde fluere debeat.

Inſuper diuinam mentem conſiderauerunt vt cauſam formalem principalem, cuius participatione immediatè fiant, & ſint omnia. Ita vt hæc ſit velut eſſentiale, ac fontale principium omnis participationis, à quo ſcilicet per modum emanationis fluat, ac pendeat omnis forma participata, omnis bonitas, omneque eſſe, & ſine quo nihil horum poſſit, vel vno momento ſubſiſtere: ſicut ideo non poteſt vita, vel per inſtans in corpore manere, ſi animæ influxus defierit: quia Anima eſt forma principalis, cuius participatione viuit corpus. Ex hoc autem

q.104 a.1. principio pendet excellens demonſtratio, qua D. Th. vtitur. 1. p. Hæc poteſt in hoſce terminos redigi: nulla res poteſt ſubſiſtere ſine eo, à quo per ſe, & eſſentialiter pendet ſecundum eſſe: ſed res omnes ſic pendent à prima cauſa: quod probatur, quia res omnes ſecundum eſſe pendent ab eo, quod per ſuam eſſentiam radicaliter, atque originariè eſt primum formale principium omnis eſſe participati, omniſque formæ, ad quam per ſe *illud eſſe* conſequitur. Sed prima cauſa eſt huiuſmodi. Quod enim per eſſentiam ſuam eſt ipſum ens primum, cuius ſolius participatione cætera fiunt entia omnia: id certè primum eſt principium formale, radicale, & originarium omnis eſſe, atque omnis formæ participatæ. Vnde à D. Dionyſ. & D. Damaſc. vocatur Deus,

5. de Diuin. Nom. l. de fid. Orth. c. 12. *Pelagus ſubſtantiæ infinitum & immenſum, quod totum eſſe in ſeipſo ſimpliciter, & circumſcriptè comprehendit, præambit & ſuper apprehendit.*

D Th. 1. p. q. 13. a. 11. Totum hoc illuſtratur exemplo luminis iugiter à ſole dimanantis. Ratio autem cur lumen non conſeruetur ſine ſole; conſeruentur verò alij effectus naturales ſine propriis cauſis, vt calor ſine igne; domus ſine Architecto; equus genitus ſine gignente, hæc redditur à D. Th. cit. quia iſtæ omnes cauſæ ſecundæ particulares non producunt per ſe formam ipſam ſecundùm rationem talis formæ ſimpliciter: (alioquin omnem talem producerent, & conſequenter ſeipſas, vtpote cum ſint eiuſdem rationis cum effectibus.) Quare cum eſſe ad formam per ſe conſequatur (ſuppoſito influxu primæ cauſæ,) iſtæ cauſæ non conſerunt directè, ac per ſe ipſum eſſe. Ideo earum effectus pendent quidem ab illis ſecundum fieri, (quod ſequitur ad actionem illarum,) non verò ſecundum eſſe, (quod ſequitur ad formam ſecundùm ſe.) Sol verò vt vniuerſalis cauſa luminis, illud producit ſecundum rationem luminis, ideóque omne lumen in aëre producit: lumenque in aëre non habet eandem naturam, quam habet in ſole. Hactenus eſt diſcurſus D. Th. Hinc Deus per ſolam influxus ſui benefici ſubtractionem, res in nihilum redigit: neque enim annihilat vt efficiens, quia non eſt efficiens niſi entis & boni, vt ſup. c. 19. axiom. 3.

Cõtra Dur. in 2. d. 1. & 37. Lud. à Dolor. CONCLVS. 3. Prima cauſa concurrit actu cum omnibus cauſis creatis: contrarium in naturalibus eſt temerarium: & in ſupernaturalibus hæreticum. *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis* Domine. *Pater meus vſquemodo operatur, & ego operor. Si fœnum agri quod ho-*

die eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, &c. Triſmegiſtus Iſa. 26.
præclaram hac de re ſententiam tulit. *Deus*, inquit, *omnia fabricauit*, Ioan. 5.
eum vt per ſingula cerneres: nihil eſt vel in corporeis inuiſibile: mens ipſa Luc. 12.
intellectione videtur: Deus autem in operatione cernitur. Plato in Phile- l. de poteſt. & ſap. Dei
bo diuinam mentem cauſam αἰτίαν, ſeu ἀγαθῶν δημιουργὸν ſimpliciter c. 5. & 11.
appellat: cætera vero agentia inferiora concauſas συναιτίας, vel ξυμμε-ταιτίας. Ratio pendet ex dictis: quia Deus per ſe immediatè eſt principium fontale, & formale omnis omnino entis participati, necnon per ſeſe primò participabile, ſuique diffuſiuum. Ergo quæcumque actio, vel nihil eſt, vel habet eſſe hoc modo immediatè à Deo deriuatum, & pendens. Hic non excludo cauſas ſecundas: concauſæ enim ſunt: ſed non ſic eſſe diffundunt, ſicut prima: prima enim eſſe confert virtute propria: cæteræ verò nonniſi per virtutem & motionem primę, & quemadmodum qui ſpeculum expolit, redditque diaphanum, inducit id, ſine quo ſol non illuminaret ſpeculum, nempe tranſparentiam, tametſi non illuminet immediatè? Sic concauſa id adhibet, ſine quo, immediata primi entis participatio non emanaret cum tali, vel
tali actione agentis particularis. Ita D. Thom. *Si conſideremus*, inquit, De Pot. q 3.
ſuppoſita agentia, quodlibet agens particulare eſt immediatum ad ſuum ef- a. 7.
fectum. Sin autem conſideremus virtutem, qua fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non coniungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris, vt dicitur in l. de cauſis, quod virtus cauſæ primæ, priùs agit in cauſatum: & vehementiùs ingreditur in ipſum. Sed de hoc ſtatim copioſiùs. v. Ferrar. in 3. cont. gent. c. 70.

His rite intellectis facile ſoluuntur Durandi argumenta: duo enim obiicit: primò idem effectus non niſi vnica actione fit: vnica actio nequit à diuerſis ſuppoſitis elici. Ergo neque à Deo, & creaturis.

R. Eadem actio à diuerſis ſuppoſitis ſubordinatis optimè tunc prodit, quando vnum agit virtute participata, necnon & motione alterius.

Secundò, Totum efficeret Deus. Quid ergo cauſa creata? Reſp: Totum quod fit à creatura, facit Deus, ſed aliter. Ergone creatura fruſtra coaget? haudquaquàm, vt dicetur cap. 21. §. 1.

§. 2.

Quo pacto prima cauſa concurrat cum ſecundis.

INITIO præmoneo nobis hic de naturalibus tantùm operationibus ſermonem inſtitui; non de ſupernaturalibus. Hoc poſito

Tres præcipuè ſententiæ poſſunt hic adduci. Prima eſt Durandi, qui hæc tria ſolùm concedit. Primò, inquit, creauit Deus naturam. Secundò, indidit illi virtutem agendi. Tertiò, vtráque conſeruat. De cætero res agunt per huiuſcemodi virtutem, ſine quouis alio Dei concurſu.

Secunda ſententia diſtinguit agentia libera, vt *Hominem*, *Angelum*, à neceſſarijs, vt *Leone*, *igni*, &c. hinc in liberis præter tria ſupradicta, Concurſum Dei addit, quem ſimultaneum appellant: hoc eſt, quo Deus ſimul cum cauſa libera, in eius effectum influit; in neceſſarijs verò ſuperaddit inſuper concurſum alium præuium, quo Deus ita hæc agentia præmoueat, vt inde in actu primo determinata ſint, vt neceſſariò iſtud, vel illud agant.

Tertia ſententia eſt S. Thom. quam Bened. Pererius ita declarat. *Altera*, inquit, *eſt opinio D. Thom. qui l. 3. aduerſus Gent. cap. 67. & in 1. p. q. 105. ar. 5. ait, Deum actu concurrere ad quamlibet actionem cauſarum ſecundarum quinque modis: primò enim vires, & facultates agendi dedit cauſis ſecundis. Secundò, illas facultates ſuſtentat, & tuetur in eſſe, & vigore. Tertiò, applicat cauſas ſecundas ad agendum: Quartò, dirigit eas in agendo, vt ad fines ſuos ipſis ignotos ordinatè perueniant. Quintò, denique determinat eas ad agendum, & mouet, ſicut principale mouens inſtrumenta mouet, & regit in operando. Hanc opinionem ea potiſſimum ratione probat, quòd in mouentibus per ſe ſubordinatis, inferius non mouet, niſi motum à ſuperiori*; &c. Hæc eſt ſincera interpretatio ſententiæ D. Thomæ, & non illa quam multi recentiores illi affingunt: deinde in illam ſe pedibus, manibuſque ire profitetur. Eandem certiſſimè omnes Thomiſtæ tam priſci quàm moderni maximo ſtudio deffendunt, affirmantes ita Deum cum omnibus cauſis, etiam liberis concurrere, vt eas non ſolùm concurſu ſimultaneo adiuuet, ſed & præmoueat, & præmouendo determinet. Nihilominus ſartam tectam manere libertatem, quod quomodo verum ſit, patebit inferiùs: interim efficaciſſimis rationibus, & auctoritatibus ſibi videntur inniti, quarum præcipuas hic referemus.

Primo, quam plurimos textus ex ſacra ſcriptura colligunt, qui tamen ad maximam partem de actibus ſupernaturalibus ſunt intelligendi: quocirca illos prætermittimus: de naturalibus illud optimè poteſt explicari, *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit inclinabit illud.* q. d. ita humani cordis inclinationes pendent à Deo, ſicut diſtributiones aquarum ab agricola, dum hortum irrigat. Item iſtud Hierem. *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea.*

Prouerb. 21

18. cap.

Ex SS. Patribus celeberrimus eſt D. Auguſt. præſertim in hoc propoſito mirè ſemper in Eccleſia à ſummis Pontificibus dilaudatus. Hic 3. l. de Trinit. cap. 4. *Voluntas Dei*, inquit, *ſe quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus primo ſpiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ.* Item 2. l. de lib. arb. c. 20. *Tu tantum pietatem inconcuſſam tene, vt nullum tibi bonum, vel ſentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non ſit ex Deo*: Vbi breuiter nota hæc ab illo dici de ipſo motu voluntatis quatenus bonus eſt, & quatenus ab ipſa voluntate diſtinguitur, nam & illam & eius vſum vt duo bona numerat, eaque ſingulariter ex Deo eſſe affirmat. Denique in 6. de gen. ad lit. cap. 20. ait, *Mouet ita-*

qua Deus *occulta potentia vniuerſam creaturam*, & 8. l. fuſe id, diſerteque examinat: mitto innumera quæ referuntur à Theologis, vt quòd dicat *Deum habere humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omni potentiſſimam poteſtatem*, item, *corda hominum inclinari à Deo, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle*. Item *Deum ædificare, monere, terrere, intellectum aperire, applicare ſenſum noſtrum*, &c. l. de Corr. & gr. c. 14. 16. Pſ. 126.

Ex Philoſophis verò Ariſt. 8. Phyſ. t. 33. vt 41. late probat omne mouens ab alio moueri, & *Quod prius eſt, magis eſſe cauſam mouendi, quam ſequens, & mouere magis*: & in libello de cauſis, (qui peruetuſtam Arabum ſapientiam redolet) prop. prima, dicitur prima cauſa plus, vehementius, intimius, & inſeparabilius in effectus cauſarum ſecundarum influere, quam ipſæmet cauſæ ſecundæ. Platonici omnes cauſas ſecundas vocant inſtrumenta Dei, eo quod non agant niſi motæ. Deum vero ſimpliciter cauſam, eo quod agat non motus: alia multa ſunt eiuſdem ponderis. Sed ad D. Thomam reuocemur, ipſe non ſolum verbis conceptis, ſed rationibus quoque idem ſæpe deffendit, vt miror fuiſſe aliquos qui contrarium audeant illi adſcribere: clariſſimè quidem loquitur locis iam cit. & 1. 2. q. 105. a. 1. ſed adhuc expreſſius in q. 3. de pot. ar. 7. vbi affirmat aliquid poſſe dici cauſam actionis alterius quatuor modis: primo, tribuendo virtutem operandi, ſicut ignis; qui generat ignem, dum illi leuitatem indit, ei cauſa eſt, vt aſcendat: ſecundò, conſeruando illam virtutem, ſicut medicina conſeruans viſum, eſt cauſa videndi: tertiò, illam applicando ad agendum, ſicut homo applicans cultellum eſt cauſa inciſionis. Quartò, eleuans cauſam inferiorem ad effectum ipsâ ſuperiorem, ſicut artifex mouet inſtrumentum ad efficiendum opus arti reſpondens ſuæ. Deus hiſce quatuor modis omnium eſt cauſa operationum: virtutem operandi confert; conſeruat; applicat ad agendum; denique eleuat. Duo priora conceduntur ab omnibus: tertium probat, eò quòd omne mouens ab alio moueatur, moueri autem nihil ſit aliud, quàm applicari ad motum, ſicut enim elementa non mouerent, niſi à cæleſtibus applicata, ob naturalem ſc. eorum ſubordinationem: ita cum omne agens non minorem à Deo dependentiam habeat in agendo, neceſſe eſt, vt à Deo moueatur, id eſt, applicetur ad agendum. Quartum denique ita efficaciſſimè demonſtrat: ſi *Ipſum eſſe* ſit proprius & adæquatus effectus primæ cauſę, cauſa ſecunda non poteſt producere effectum proprium primæ cauſæ, niſi participando virtutem, & efficaciam, & motionem primæ cauſæ, ſicut patet in inſtrumento reſpectu cauſæ principalis: ſed eſſe eſt proprius effectus primæ cauſæ. Ergo. Mi. probatur: ordo effectuum eſt ſecundum ordinem cauſarum, ita vt effectus communior, prior, & profundior eſſe debeat proprius cauſæ communioris, prioris, & ſuperioris, atque præſentioris: atqui *Eſſe* eſt effectus communiſſimus, primus, intimus, & radicalis reſpectu cæterorum omnium. Ergo debet eſſe effectus proprius cauſæ primæ, quæ communiſſima eſt, prima, ſuprema, profundiſſima, interior intimo, & omnium primordialis fons ac origo: hinc cum in vno

quoque indiuiduo ſint multi gradus ſuperiores, qui limites indiuidui, vt indiuiduum eſt, ſupergrediuntur, & nihilominus producuntur ab indiuiduo generante, neceſſe eſt vt hoc generans ſuperiores conferat, participando virtutem ac motionem cauſæ ſuperioris. v. g. in quolibet indiuiduo ineſt, quòd ſit ens, & quòd ſit talis ſpeciei. Hi gradus ſunt ſuperiores gradu indiuidui: ideo *Indiuiduum, quod agit, non poteſt conſtituere aliud in ſimili ſpecie, niſi prout eſt inſtrumentum illius cauſa, qua reſpicit totam ſpeciem, & inſuper totum eſſe natura inferioris: neque etiam agit ad eſſe, niſi per virtutem Dei, vnde etiam dicitur in l. de cauſis. Intelligentia non dat eſſe, niſi prout in ea eſt virtus diuina,* &c. hæc D. Thom. deinde ad 7. explicans per quid Deus moueat creaturam vt agens principale: ait *Virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis, vt quadam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura, ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt vt intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento artificis: ſicut ergo ſecuri per artem dari potuit acumen, vt eſſet forma in ea permanens, non autem ei dari potuit, quòd vis artis eſſet in ea quaſi quadam forma permanens: ita & c. vnde ſicut patet, quòd inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur ſine motu artis: ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione diuina.* Hinc in Compendio Theol. hæc ſub infert, *agere igitur cuiuſlibet agentis à Deo cauſatur, ſicut motus mobilis à motione mouentis: & oportet, quod Deus cuilibet agenti adſit interiùs, quaſi in ipſo agens, dum ipſum ad agendum mouet.*

Nota hoc pro confirmatione dictorum c. 15. § 2.

Cap. 130.

Ex his euidenter patet, quæ ſit Diu. Thomæ hac de re opinio: clarè enim aſſerit, quòd præter collationem virtutis, eiuſque conſeruationem, inſuper omne agens, interiùs applicet, deinde propriæ virtutis ſuæ, ac motionis actualis participatione quadam afficiat, ipſumque potens reddat ad agendum, id quod per ſolam ſuam virtutem tametſi applicatam efficere non poſſet: & in eo eſſentialem ſubordinationem conſtituit, quòd cauſa ſecunda nihil prorſus poſſit vel incipere, niſi ſuperioris motione interiùs excitata, & directa. Denique manifeſte docet motionem Dei priorem eſſe, ac efficaciorem actione creaturæ, & hanc ipſi velut principium cooperationis ineſſe.

Quidam aiunt Diu. Th. retractaſſe in ſua ſumma id quod dixerat in q. 3. de pot quia vbicunque enumerat modos quibus Deus mouet cauſam 2. omittit hunc applicationis modum. Errāt, legatur enim 1 p q. 105. a. 5. ad 3.

Et *In* 2. *d.* 37. *q.* 2. *a.* 2. agens aduerſus aliquos, qui affirmabant creaturam agere ſine influxu prioris agentis, licet non habeat eſſe à ſe, ſed ab alio, dicit, *Videtur inconueniens, vt quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit,* & infrà, *quamuis per hanc reſponſionem euitaretur, quòd creatura non eſſet primum principium ſimpliciter; non tamen poteſt vitari, quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod* PRIVS AGENS *non reducetur, ſicut in cauſam.* Nota quod non ſimpliciter ad agens, ſed prius agens accurrat.

Vide ſuprà c. 15. § 2.

Porro hæc omnia de omnibus omnino cauſis tam neceſſarijs, quam liberis aſſeuerat: quamquam inter illas diſcrimen aſſignat ampliſſimum; quòd ſc. cauſæ neceſſariæ vt leo, ignis, &c. ſuapte natura determinatæ iam ſint, & deſtinatæ ad determinatos effectus, quamob-

rem dum à prima cauſa mouentur, non eſt in harum poteſtate, vt ſe determinent, aguntur enim ſolum à cauſa prima; vt ſecundum ordinem determinationis naturalis agant. *At cauſæ liberæ, vt homo, & Angelus* in facultate libera quandam habent indifferentiam ad multa: quę per motionem primæ cauſæ non tollitur, ſed ſaluo huiuſmodi naturalis indeterminationis ordine ſic mouentur, vt conſtituantur in actu primò completo ſemet determinandi. Seipſas igitur actu ad hoc vel ad illud determinant: & in hoc ſarta tecta libertas conſeruatur, ſed tamen quòd ita ſeſe determinent, hoc eſt effectus diuinæ motionis. Ideo Thomiſtæ cum alijs multis hanc motionem ſolent prædeterminationem Phyſicam vocitare: rectène, an impropriè, non multum ſatago; verum enim quæro, non verbum. D. Th. videtur ab hac voce non ſine conſilio, abſtinuiſſe.

Bannez 22. q. 10. a. 1. Zumel. Blaſius ver. du. Siluius. Eſtius. De Auila. Compl. Driedo. Vega. Ruardus. Viggbiers. Gibbieuf, &c.

Alij, vt iam dixi, ſecus ſentiunt, & quidem quoad agentia neceſſaria conueniunt omnes, quòd prædeterminentur ab influxu cauſæ ſuperioris, neque de hoc quærimus amplius: de liberis verò ſentiunt illa non poſſe aliunde determinari, quam à ſeipſis, niſi libertas lædatur: fatentur ijs à Deo præberi concurſum actualem, ſed indifferentem, quo poſſint ſe huc, vel illuc flectere; tum cum illis actu agentibus ſimul coagere, ita tamen vt Dei actio, non prius deſcendat in agens, quam in effectum: imo nullo modo agens internè afficiat, neque in eo quidquam imprimat, quo agens fiat ad agendum aptius, ſeque ipſum determinet, vel determinetur.

Cæterùm videri volunt admittere, quòd omnis cauſa ſecunda ſubordinetur primæ in agendo; quòd non moueat, niſi mota ab illa; quòd virtutem illius participet: quòd applicetur, & quidem intrinſecè; denique quod ipſum *Agere* cauſæ ſecundæ, ſit effectus primæ. Verum ſic ea explicant, vt verè omnino pernegare videantur: ſubordinatio apud illos in hoc vno ſita eſt, quòd tam cauſæ omnes, quàm earum effectus à Deo pendeant in ſuo eſſe, quòdue cauſa nulla poſſit agere independenter à concurſu, quo Deus ſimul coagit. Hinc

Dicitur mouere cauſam ſecundam metaphoricè, inquit Suarez, quatenus illi agenti extrinſecè ſolùm coagit, virtute quidem non participata; & quatenus virtus cauſæ ſecundæ ab illo eſt. Nihil aliud illis ſonat applicatio, neque illud cauſæ primæ in ſecundam dominium, quo prima facit, vt ſecunda agat. Hæc omnia nihil illis ſignificant aliud quam, quod ſine prima, ſecunda non agat: hi denique negant motionem Dei, eſſe principium, quo creatura ſe moueat. Ita hi omnes ſemper refugiunt quidquam admittere in voluntate, quo fiat, vt ſeipſam determinet. Imo Fonſeca, Suarez, Ouiedo, &c. aſſerunt ſubordinationem illam eſſentialem, intimamque dependentiam, quam mouens inferius habet ad primum motorem, vt nihil poſſit mouere, niſi motum, nuſquam ab Ariſtotele aliter fuiſſe intellectam, neque inferiora à cæleſtibus, neque hæc ab intelligentia, neque inſtrumentum ab opifice, dum mouentur, quidquam realis influxus intrinſecè recipere, tam ſecundum Ariſtotelem, quam ſecundum Diu. Thom. & mirari ſe

Phyſica.

dicunt, quod oppoſitum Diuo Th. à Thomiſtis adſcribatur. De his ſolam teſtor fidem authorum. Interim hæc Reſponſio ſeipſa corruit. Nam inde pro conceſſo habetur, quod admitti debeat ſubordinatio inter cauſas, quodque vis huius ſubordinationis in eo conſiſtat, vt cauſa inferior mouere nequeat, niſi à ſuperiori moueatur. Hinc ſic argumentor. Primò ſubordinatio de qua hic eſt quæſtio, eſt in agendo, & mouendo: at ea quam illi admittunt ſolùm eſt in eſſendo: quia quatenus res habent à Deo eſſe & poſſe, à Deo producuntur ſolùm; at nullatenus mouentur, ſaltem proximè. Ergo id non ſufficit ad prædictam ſubordinationem. Sed præter eſſe ac virtutem agendi, neceſſe eſt, vt aliquid formaliter accipiant, quo excitetur vel eleuetur earum virtus: vnde ſicut ſubordinatio ſcientiarum in eo tota eſt, vt concluſio ſuperioris, ſit principium concluſionis inferioris: ita ſubordinatio in cauſis exigit, vt motio ſuperioris motionem inferioris efficiat. Rurſus ad id moueri, vt ſis, eſt accipere eſſe; & moueri, vt poſſis, eſt accipere poſſe; ita moueri, vt agas, eſt accipere id, quod eſt agere, & quidni? eſt enim hoc perfectio quædam agentis, & actus potentiæ actiuæ: omnis autem perfectio eſt effectus primæ cauſæ. *Quid habes quod non accepiſti?* & quæro, cùm in actu primo determinare te incipis, an non perfectio quædam ſit, qua plus modo acceſſiſti ad actum ſecundum, quam antea? Hanc autem à te ſolo immediatè habes, an à Deo? ſi à te ſolo immediatè, ergo eſt aliquid in te, quod principium eſt tuæ operationis, quod immediatè non pendet à Deo etiam in ſuo eſſe, contra quam ſentiunt prædicti authores; ſi autem immediatè à Deo, hoc volumus.

Recurrunt illi ad concurſum ſimultaneum, ſed certè non ſufficit: per illum enim datur eſſe effectui: at agere non datur agenti. Rurſus per concurſum illum non poteſt dici moueri, id quod per illum nihil noui accipit: ſed per illum cauſa ſecunda nihil accipit, vt illi dicunt. Ergo. Ma. eſt euidens. quidquid mouetur per cauſalitatem mouentis in ſe ſuſceptam tranſit à potentia ad actum: & aliquid acquirit, quod non ante habuerat: alioquin, quid erit diſcriminis inter id quod mouetur, & id quod non mouetur? & cur moueri Deum repugnaret? præterea Ariſtoteles in 8. *Phyſ.* & D. Th. 1. *p. q.* 2. *a.* 3. dicunt cauſam ſecundam moueri à prima, ſicut baculus mouetur à manu. At mouetur ne hic ſolùm metaphoricè? an non recipit impulſum intrinſecè? & ſi ita motus impellat lapidem, an ad hoc moueri à manu dicetur ſolùm, eò quòd manus extrinſecè ſimul cum baculo moueat lapidem? denique cur adderent id quod mouetur eſſe in potentia ad id, ad quod mouetur: & ideo ſolum Deum eſſe immobilem, quia non eſt in potentia?

Mouere nihil aliud eſt quam deducere aliquid de potentia in actum, 1. p. q. 2. a. 3.

Confirmatur quia dum duo trahunt eandem nauem, conſpirant ambo in eandem attractionem, nec vnus poſſet trahere ſine concurſu alterius: an propterea ſubordinantur? an vnus mouetur ab alio? dices vnus non habet virtutem attractiuam ab alio. Contra: vidimus ſupra ex D. Th. aliud eſſe, quod Deus virtutem contulerit; aliud quòd ap-

plicet, & aliud quod moueat vt agens principale. Secundò, ſi ſolùm Deus eatenus mouet, quatenus eſſe, & vim operandi conceſſit, ſolùm remotè mouet: remota autem cauſa per ſe verè cauſa non eſt propriè remoti effectus. Tertiò, ſecundum aduerſarios Ariſtoteles admiſit, quòd intelligentiæ receperint à Deo eſſe & poſſe, item quod Deus etiam immediatè concurrat ad motum cælorum, & tamen Ariſt. 12. Met. docet illas mouere non vt motas, ſed immobiles. Ergo non ſufficit cauſam habere virtutem agendi ab alio, vt ab illo dici debeat moueri ad agendum, niſi prætereà intrinſecè applicetur.

Confirmatur: antequam cauſa ſecunda, puta voluntas hominis operetur, debet poni in actu primo .i. in proximo procinctu, qui ſemper talis eſt, vt immediatè ſequatur effectus, qui dicitur actus ſecundus; aliunde non ſemper fuit in illo actu primo, alioquin ſemper egiſſet: ſed tunc in eo poni debuit, quando cœpit effectum parere. Ergo tunc in ſe mutata eſt, & à priori diſpoſitione, qua ſolum erat remotè agens, & in potentiâ tantùm, vt fieret proximè agens, & in actu primo, debuit tranſmutari & moueri ſaltem naturâ prius, quam agat: à quo ergo mouebitur? A ſeipſa, inquies, ſed caue quid dico, tibi cedo de voluntate, quòd ſeipſam determinet in actu ſecundo, dum quaſi à ſeipſa talem electionem elicit: ſed ante facta eſt in actu primo, ex eo quod ſolùm erat prius in pura potentia, (neque enim ſemper fuit ita in actu primo,) ſi autem antequam eſſet in actu primo, fuit in remotiore potentia, quomodo ſeſe mouit in talem actum, cùm omne mouens debeat eſſe in actu? Neceſſe eſt ergo vt illa mutatio de potentia in actum reducatur in aliquod principium quod ſemper ſit actu, cuiuſmodi ſolus Deus eſt. Dices, ſufficit vt nouum obiectum proponatur: contrà, per te, quolibet obiecto propoſito, voluntas manet indifferens, neque per illud ponitur in actu primo. Ergo vel ſemper debuit eſſe in actu primo, quod eſt falſum; vel in eo ponitur per cauſalitatem cauſæ primæ. His & ſimilibus argumentis ſolent omnes Thomiſtæ vrgere ſubordinationem ſupradictam ad mentem S. Thomæ contra recentiores.

D. Th. q. de malo 6. ad 17.

D. Th. 1. 2. q. 9. a. 4.

§. 3.

Idem ex ordine ac ſtatutis diuinæ prouidentiæ demonſtratur.

SVPPONO in primis diuinam prouidentiam ad omnes omnino actiones quarumlibet creaturarum extendi, vt fides docet. Hinc efficaciſſimum, ni fallor, ſuppetit argumentum, quo probemus Deum concurſu præuio, & infallibili mouere, & applicare quamlibet cauſam ad quodlibet opus. Vnde ſit noſtra

CONCLVSIO: ex vi diuinæ prouidentiæ omnes noſtri actus tam liberi, quàm naturales ſunt prædeterminati antequam fiant, & ab infallibili eius executione pendent. Ita clarè D. Th. *A prouidentia Dei,*

Quodl. 1. q. 4. c. 90. inquit, *omnia ſunt prædeterminata* : & 3. contra gent. idem docet vt citabimus inferiùs. Catechiſmus Romanus Concilij Trid. *Non ſolum autem*, inquit, *Deus vniuerſa, quæ ſunt, prouidentiâ ſuâ tuetur, atque adminiſtrat, verùm etiam, quæ mouentur, & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum, atque actione ita impellit, vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen: cùm eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat, &c.* Idem concordi Theologorum ſententia, fuiſſe in Eccleſia receptum docet Henriquez qui l. de fine hominis ait, Cap. 5. *Rectè concors Theologorum ſententia docet Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem, ex prouidentia perfecta ab æterno, in qua, & per quam, tanquam per rationem certò omnia ſciat.*

At vt ad SS. Patres veniamus: D. Dionyſ. c. 5. de diu. nom. ideas practicas rerum faciendarum vocat *Voluntates rerum definitrices, ſecundùm quas Deus omnia prædefiniuit, & produxit.* Similiter D. Damaſc. Orat. 1. de imag. qui ſolet in contrarium obijci, clarè docet *A Deo prædefinita eſſe omnia.* S. Proſper *in remotiſſimo ab humana cogitatione ſecreto prædefinitio noſtræ electionis abſcondita eſt.* 2. de voc. gent. c. 36. D. Aug. *Diuina voluntas eſt prima, & ſuprema cauſa omnium corporalium & ſpiritualium motionum.* Sent. 58. apud. S. Proſp.

Ratio eſt, quia vt optimè D. Th. 3 contra gent. c. 56. *Ordo qui per prouidentiam in rebus gubernatis ſtatuitur, ex ordine illo prouenit, quem prouiſor in ſua mente diſpoſuit: ſicut forma artis, quæ eſt in materia ab ea procedit, quæ eſt in mente artificis.* Ergo quæcunque cadunt ſub prædictum ordinem ſtatutum in rebus, pendent à diſpoſitione rata, & prædefinita in mente Dei: ſicut nihil cadit ſub ordinem artefacti, quod non ſit prædefinitum in animo artificis. Nec abs re hanc comparationem adducimus: quod enim artefactum ad artificem, hoc eſſe naturam, & mundum hunc vniuerſum ad Deum, ſuprà oſtendimus.

Secundò, *Oportet*, inquit etiam D. Th. *omne multiforme, & mutabile, & deficere potens, reduci ſicut in principium aliquod vniforme, & immutabile, & deficere non valens: omnia autem quæ in nobis ſunt, inueniuntur eſſe multiplicia, variabilia, & defectibilia: patet enim quòd electiones noſtræ multiplicitatem habent, cum in diuerſis, & à diuerſis diuerſa eligantur, &c. diuina autem voluntas vniformis eſt, quia vnum volendo, omnia alia vult, & immutabilis, & indeficiens eſt. Oportet ergo omnium voluntatum, & electionum motus in diuinam voluntatem reduci.* Ibid. c. 91.

Concedent omnia hæc aduerſarij, ſaltem voce tenus, ſed interpretationem adhibent, quæ prædictum ordinem labefactat. Præuidit, (inquiunt,) Deus ab æterno quid cuiuſque voluntas cum ſolo concurſu ſuo indifferente factura fuiſſet in tali, vel tali circumſtantia, etiam antequam quidquam determinauerit; q. d. *Si Petrus tali vocatione præuentus fuerit, & illi non defuerit concurſus meus indifferens, actum eliciet.* Hinc ita ſingulis noſtris voluntatibus, *Per ſcientiam, quam mediam* vocant, exploratis, certò decreuit totum ordinem ſuæ prouidentiæ, & prædefiniuit ſingulas noſtras electiones: eaſque ſuâ prouidentia efficit, quatenus prouidit nobis concurſum illum indifferentem cum decreto efficaci, vt eo vteremur, quemadmodum præuidit nos

vſuros. Sic Vaſquez, qui addit decretum quodcumque huiuſmodi neceſſariam habere connexionem cum effectu, tamen ſolùm inducere neceſſitatem conſequentem, quia ſupponit conſenſum ſub conditione futurum: hæc ſententia mirum habuit applauſum, ex quo inuentum ſcientiæ huius mediæ cœpit inuulgari: at non omnibus æque modernis arridet. Ouiedo in Phyſ. eam impugnat, multis quidem, ſed hoc vno, vt reor, efficaciter. 1. p. diſp. 99. c. 7. Refellitur. Controu. 10 p. 4.

Vt videatur conſenſus ſub conditione futurus, ex parte conditionis debent ea ſupponi omnia, ſine quibus in ſtatu abſoluto eſſe non poſſet. v. g. vt videatur à Deo quòd ſi ligno acceſſerit ignis, ſit illud combuſturus, debent præuideri concurſus cæli, ſiccitas ligni, &c. ſine quibus abſolutè ignis non ſolet lignum comburere, vnde fluxit illud axioma dialecticum, *Vt propoſitio conditionalis ſit vera, debet reſolui in abſolutam*, ſic: ideo hæc vera eſt, *Si ignis applicetur ligno, illud comburet*, quia hæc eſt vera, *Ignis applicatus ligno, illud comburit*. Atqui verè non poteſt conſenſus vllus voluntatis elici, ſine decreto efficaci & prædefinitiuo diuinæ voluntatis: ergo non potuit Deus præuidere conſenſum etiam ſub conditione futurum, niſi ſimul ſub eadem conditione præuiderit ſuum decretum efficax, vt cauſam, à qua ille conſenſus per ſe pendeat.

Confirmatur, quod eſt per ſe impoſſibile, per nullam ſcientiam à Deo poteſt ſub vlla conditione præuideri futurum. Perinde enim tunc eſſet, ac ſi dicamus præuidere Deum poſſe, quod ſi nutriator corpus, ipſum ſit victurum independenter ab anima: ſi venator aquilam inſectetur, ipſa ſit volatura ſine pennis, &c. Hoc enim quis concederet? Atqui fieri non poteſt, vt ſit vlla creaturæ actio independenter à determinata Dei voluntate: id enim repugnat ex parte diuinæ voluntatis, quæ eſſentialiter, ac per ſe prima cauſa eſt, ac principium omnis productionis. Repugnat ex parte diuinæ ſapientiæ, cuius eſt omnem numerum, ordinem, & determinationem rebus quibuſlibet prodituris præſcribere. Repugnat ex parte creaturæ, quæ cum ſit indiga omnis omnino boni, nequit vlla ratione è ſumma nihili ſuî miſeria emergere ſine amore ſummi boni.

Itaque ſicut nullus poteſt motus fieri intra ordìnem naturæ, niſi dependenter à natura, ita neque vlla actio intra ordinem diuinæ prouidentiæ, niſi dependenter ab eadem prouidentia, quæ non eſt aliud, quam voluntas omnium prædefinitrix. Hoc probant rationes ſuperiùs ex D. Th. inductæ, & confirmatur ex eo, quod idem ſcribit in eod. l. 3. contra Gent. *Quandocumque aliqua ordinantur ad aliquem finem, omnia diſpoſitioni illius ſubiacent, ad quem principaliter pertinet ille finis, ſicut patet in exercitu, &c.* atqui repugnat vllam actionem à creatura elici, quæ non ſit ordinata ad finem, quem diuina ſapientia præſcripſit. Ergo repugnat eam elici niſi præordinata priùs fuerit à Deo: item repugnat elici vllam actionem ſine noua aliqua communicatione diuinæ bonitatis, quæ ex peculiari Dei amore, ac beneuolentia procedat: quidquid enim eſt, id participatione ſummi boni eſt, participatio hæc, Cap. 54.

libera Dei communicatio eſt: communicationis principium, amor. Determinatæ autem communicationis principium debet eſſe amor determinatus. Ergo, cum nullus poſſit actus elici, quin determinatè diuinam participet bonitatem: neque poteſt etiam ſine determinato & abſoluto diuinæ voluntatis affectu; denique repugnat quidquam fieri, niſi præfinito numero, pondere, & menſura conſtet, provt vniuerſo diuinæ prouidentiæ operi, & ſummi Prouiſoris diſpoſitioni congruit. Ergo repugnat fieri independenter à prædefinita illius primi, & ſummi Prouiſoris, qui Deus eſt, diſpoſitione: ergo etiam impoſſibile eſt, vt vllus conſenſus noſtrarum voluntatum à Deo ſub quacumque conditione præuideatur futurus independenter ab efficaci diuinæ voluntatis beneplacito & decreto. Multa ex Theologia poſſemus hic contra huiuſmodi ſcientiam mediam afferre, ſed ne cerdo vltra crepidam: diſſenſio tamen eſt inter illos authores de decreto Dei, quod illi ſcientiæ ſubeſt.

Met. diſp. 22. ſect. 4. Suarez à Vaſquez diſſonat in eo, quòd poſt ſcientiam mediam videatur adhuc in Deo ſolùm admittere decretum conditionatum. *Deus,* inquit, *ex vi illius voluntatis, qua ſtatuit præbere concurſum cauſa liberæ, non omnino abſolutè ſtatuit vt cauſa libera illum actum exerceat, neque ſimpliciter vult illum actum eſſe, quantùm eſt de ſe, & ex parte ſui concurſus, quem præbere ſtatuit, & ad illum ex vi talis voluntatis applicat potentiam ſuam, ſi tamen cauſa ſecunda, ſeu voluntas creata, ad illum etiam ſe determinet &* IN ILLVM INFLVAT. Is eſt communis modus, quem ſequuntur ſectatores talis ſententiæ: ſecundum quem determinatio diuini concurſus, ac voluntatis Dei pendere dicitur à voluntatis noſtræ determinatione, ita vt hæc in Dei concurſum influat.

Phyſ. controu. 10. p. 4. § 4. Ouiedo progreditur vlteriùs: & vult primò Deum ſine vſu ſcientiæ mediæ decreuiſſe ordinem ſuæ prouidentiæ; ſecundò, ipſum applicare ſuam omnipotentiam voluntati noſtræ per decretum verè & ſimpliciter abſolutum; tertiò, illud decretum terminari ad actum voluntatis dependenter ab eadem voluntate: quartò, illud eſſe indifferens ad actum, vel ad eius negationem, quaſi Deus dicat. *Volo quatenus eſt ex me, vt ſit actus amoris; & vtinam ſit: non tamen illum efficaciter decerno independenter à voluntate, ne illius lædam libertatem:* Item *volo, vt quatenus eſt ex me, non deficiat actus odij, vt iura voluntatis non infringam, quem actum vellem ego non produci à voluntate.* Hæc ſunt illius verba.

Multa ſane aduerſus hæc dicenda occurrerent: ſed Theologis id remitto. Solum vrgeo quod dicunt omnes hi Philoſophi, voluntatem abſolutam, qua Deus ſtatuit nobiſcum agere, dependere à noſtra voluntate. Quæro, illa determinatio, ille actus voluntatis noſtræ quo determinamus concurſum, omnipotentiam, & voluntatem Dei, eſtne effectus diuinæ prouidentiæ, necne? Si non. Ergo non omnia cadunt ſub prouidentiam: ſi ſic, ergo illa determinatio pendet à voluntate Dei priuiſoria, non hæc ab illa.

Item quod me determinem hic & nunc, ingrediturne id ordinem

ipſum diuinæ prouidentiæ, necne? at negare quis audeat? ſi verò ſic: cum totus ordo diuinæ prouidentiæ ſit effectus à Deo ſecundum omnia, quæ continet diſtinctè, & abſolutè prædefinitus, ſequitur & hoc quod hic & nunc me determinem, eſſe pariter effectum à Deo determinate prædefinitum, per decretum prouidentiale, quod D. Dionyſ. θέλημα τῶν ὄντων ἀφοριστικὸν, id eſt, rerum difinitiuum appellat.

Item, ſecundum aduerſarios decretum diuinæ prouidentiæ ſolùm terminaretur ad collationem concurſus indifferentis, & non ad actus noſtros immediatè. Imò ſic nullomodo propriè terminaretur ad actus noſtros: quia Deus non eſſet cauſa noſtrorum actuum, niſi quatenus ad illos concurreret per præfatum concurſum (alium enim negant). Sed per talem concurſum indifferentem non magis concurrit ad vnum actum, quam ad oppoſitum. Ergo ſicut non poteſt dici cauſa oppoſiti actus, quem non produco, ita nec alterius, quem elicio. Confirm. Per eundem concurſum Deus concurrit ad peccatum cum fit: ſed inde non fit cauſa peccati: Ergo per eundem non erit author boni; quod fecerim. Vlteriùs: per illum concurſum indifferentem non determinor: determinor autem per meum actum, & per eundem determino concurſum Dei, imò in eum influo, vt aiunt: ergo Deus per ſuum concurſum non eſt cauſa illius actus, quo determinor. Sed potius ego ero cauſa determinationis concurſus Dei. Influámque in eius omnipotentiam, quæ eſt eius concurſus. Denique per meum actum obiectiua cauſa fui, cur Deus talem ordinem prouidentiæ circa me, imò & circa alios ſtatuerit: quia ex eo quod hoc, vel illud agam, Deus decreuit hoc,, vel illud agere circa alios, vti ex eo quod Apoſtoli Chriſto vocanti obedierint, ſtatuit Deus mundum per eorum prædicationem conuertere, &c.] Ita per actum, quo ex meipſo me determino, cauſa fierem totius ordinis προνοητικοῦ, i. prouidentialis tam circa me, quam circa cæteros. En quot abſurda ſequantur.

Confirmatur, quia dum bene vtor concurſu illo indifferente, vel hoc facio vi talis concurſus, quem mihi Deus per prouidentiã exhibet: vel non: ſi non. Ergo quod tunc facio non cadit immediatè ſub diuinam prouidentiam, neque eius effectus eſt, neque ab eius effectu pendet. Si ſic, vel hoc facio vi concurſus determinati, aut vi indifferentis: non ſecundum, quia per hunc non magis præparor ad agendum, quam ad non agendum. Ergo primum. Ergo concurſus Dei, vi cuius operamur ex diſpoſitione diuinæ prouidentiæ, per decretum eius definitiuum determinatus fuit, priùs ſaltem natura, quàm agamus.

Denique quoties duo concurrunt ſimul ad eundem effectum, debent ſimul per ſe vniri etiam in ratione principij influentis, ad hoc vt ſimul influere incipiant, vt autem per ſe ſic vniantur, debent vel ambo ſubordinari vni ſuperiori, vel eorum alterum alteri: quia omne vnitum, ab vno aliquo progrediatur neceſſe eſt: & duo vt duo non conueniunt in vnum, niſi vnitate vnius. Et cum non poſſit Deus alteri ſubordinari, reſtat vt creatura illi ſubordinetur in ratione principij influentis. Subordinatio autem dependentiam includit. Ergo neceſſe eſt vt omnis

creata voluntas à Deo pendeat in ſe determinando: alioquin ſi Dei voluntas pendet à creata, vt ſuum decretum & concurſum determinet, neceſſariò ſequeretur Deum in decernendo, & in concurrendo ſubordinari voluntati creatæ. Neque enim concurrit, niſi per concurſum determinatum. Item ſi concurſus determinatur dependenter à voluntate, ſequetur eum poſteriùs naturâ determinari, quam voluntatem, & ſic voluntas prius naturâ determinatè aliquid volet, antequam Deus determinatè id velit: & antequam etiam determinatè in effectum creaturæ influat: quia, vt dixi, non influit niſi concurſu determinato. Infinita huiuſmodi quaſi agminatim ſe ingerunt animo, à quibus ne prolixior fiat, abſtineo.

§. 4.

Explicatur prima & præcipua difficultas de natura huius concurſus, & quomodo non officiat libertati.

NODVS Gordianus in eo ferme ſolùm conſiſtit, quomodo ſi decreto quodam abſoluto Deus ſtatuerit, vt ego tale quid operer, & concurſu ſuo infallibili per me, & in me deinceps exequatur, quod decreuit de me: faciatque ille vt memet ipſe determinem: quomodo ero liber? Item quid in me operatur, vt velim? Quidve illa motio eſt? ob id duo ſunt hic breuiter exponenda: primum quomodo libertas ſeruetur incolumis. Secundum, quid ſit concurſus.

l.3. c.73. Quoad primum D. Thom. contra Gent. 4. rationibus efficaciſſimis probat diuinam prouidentiam non tollere libertatem arbitrij, quæ legi poſſunt. In hoc cum aduerſariis conuenimus. Sed de modo diſceptamus. Sequuntur illi ſententiam, quam D. Thom. ex profeſſo impugnat. Volunt diſtinctionem contingentium & liberorum à neceſſariis referri ſolùm in cauſas ſecundas. Iſte hoc deſtruit, *quia*, inquit, *ſequitur hoc eſſe præter intentionem, & voluntatem diuinam.*

1. p q. 19. a. 8. de verit. q. 2. a. 5.

Quare primo cum illo ſupponamus libertatem propriè dictã, eam ſcilicet, qua ſumus domini noſtrarum actionum, in quadam indeterminatione, & indifferentia conſiſtere. *Eſt ergo conſiderandum*, inquit, *quod ad rationem liberi arbitrij pertinet, quod in diuerſa poſſit*, loquitur autem *de liberi arbitrij poteſtate, ſine qua homo, in nullo ſtatu inuenitur.*

q. 82. a. 1 ad 3 q. 10. a. 1. ad 1. Hinc in 1. p. ait, *quòd ſumus Domini noſtrorum actuum, ſecundùm quòd poſſumus hoc vel illud eligere*, Et quod *appetitus vltimi finis, non eſt de his, quorum domini ſumus.* Et 1. 2. ait, *Quod voluntas diuiditur contra naturam, ſicut vna cauſa contra aliam, ... Eſt autem alius modus cauſandi proprius voluntati, quæ eſt domina ſui actus, præter modum, qui conuenit naturæ, quæ eſt determinata ad vnum.* Scio non defore qui nos ſugillent ex eo quod ille S. Doctor. 1. p. q. 82. cit. dicat neceſſitatem finis, & neceſſitatem naturalem non auferre libertatem voluntatis. Quid ergo, an ſibi contradicit? abſit. Audi quid addat 1. 2. q. cit. *Sed quia voluntas in aliqua natura fundatur, neceſſe eſt, quòd motus proprius*

naturæ quantum ad aliquid, participetur à voluntate: ſicut quod eſt prioris cauſæ, participatur à poſteriori: eſt enim prius in vnaquaque re ipſum eſſe, (quod eſt per naturam,) quam velle, (quod eſt per voluntatem:) & inde eſt, quod voluntas aliquid naturaliter vult. His manifeſtat motum naturalem, qui ſemper fit cum neceſſitate: ideo non tollere libertatem voluntatis, quia eius fundamentum eſt; non quod poſſit idem actus eſſe naturalis, ſeu neceſſarius neceſſitate naturali, & ſimul liber libertate inferente dominium; ſed quia nihil poteſt voluntas liberè appetere, niſi virtute appetitûs vltimi finis, qui naturalis eſt. Legantur, ac perluſtrentur omnes eius libri, nihil certè aliud continere intelligentur. Atque hoc quod dixi, quòd ad rationem liberi arbitrij requiratur quædam indifferentia, poſſet confirmari authoritate omnium pene Philoſophorum, ac Theologorum: ſed hoc non eſt huius loci.

Supponamus ſecundò, illam indeterminationem in eo non conſiſtere, vt poſſit in bonum & in malum flecti: de illa enim loquens D. Th. ait, *quod non per ſe pertinet ad poteſtatem liberi arbitrij: ſed per accidens ſe habet ad eam, in quantùm inuenitur in natura deficere potenti.* Fateor quidem quòd quamdiu vitam hanc ſæcularem degemus, infeliciſſima illa peccandi potentiâ fatiſcemus. Sed nego hinc noſtram penſandam eſſe libertatem. Vnde ergo? Iam pronunciauit D. Th. ex indeterminatione naturali: ex ea nimirum, qua voluntas noſtra non eſt determinata ad vnum. Hoc illi vnde aduenit? ex triplici capite: primò, ex perfectione & amplitudine virtutis, quaſi infinitæ, qua capax eſt poſſidendi omne bonum, Deum ſc. ipſum: Secundò, ex intelligentiæ vaſtitate, qua boni omnes rationes, vel priuationes peracutè detegit: idéoque nihil mali poteſt occurrere voluntati, in quo non deprehendat aliquam rationem boni: & nihil boni, in quo non reperiat aliquam priuationem, qua malum appareat. Hæc alibi fuſiùs. Tertiò ex *dominio quod Deus dedit voluntati in ſuos actus, vt non eſſet obligata in oppoſitum.* Hinc D. Th. q. de verit. 22. a. 6. *Cùm voluntas dicatur libera, inquantum neceſſitatem non habet.* Nota. *Libertas voluntatis in tribus conſiderabitur. ſc. quantum ad actum, in quantum poteſt velle, vel non velle. Et quantum ad obiectum in quantum poteſt velle hoc, vel illud, & eius oppoſitum. Et quantum ad ordinem finis: in quàntum poteſt velle bonum, vel malum: Sed quantum ad primum, ineſt libertas voluntatis in quolibet ſtatu naturæ, reſpectu cuiuſlibet obiecti: 2. vero eſt reſpectu quorundam obiectorũ, ſc. reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem; & non ipſius finis, & etiam ſecundum quemlibet ſtatum naturæ: Tertium, non eſt reſpectu omnium obiectorum, ſed quorundam, eorum ſc. quæ ſunt ad finem. Nec reſpectu cuiuſlibet ſtatus naturæ; ſed illius tantum, in quo natura deficere poteſt. Nam vbi non eſt defectus in apprehendendo & conferendo, non poteſt eſſe voluntas mali in iis, quæ ſunt ad finem: ſicut patet in beatis: & pro tanto dicitur, quod velle malum, nec eſt libertas, nec pars libertatis, quamuis ſit quoddam libertatis ſignum.*

De malo q. 16. a. 5.

Supponamus tertiò modum agendi conuenientem libertati eſſe, vt obiecti bonitas mentis iudicio approbetur, & voluntati arrideat: vt

ab intellectu præſentetur; acceptetur ab appetitu: hinc eſt illud D. Aug. *Cum ab illo illius adiutorium deprecamur, ad faciendam, perficiendamque iuſtitiam, quid aliud deprecamur, quam vt aperiat, quod latebat, & ſuaue fiat, quod non delectabat?* Enimuero voluntas non ob aliud fertur in aliquid, niſi ob inclinationem, qua erga illud quaſi ineſcata, propendet: nam vbi intellectus bonum illi aperuit quod latebat, ſtatim ſecretis huius boni illecebris, voluntas delinitur; delinita denique ſeipſam determinat ad illud diligendum, &c. Ita in libera voluntate conſiderari debent poteſtas & vſus. Poteſtas eſt ſemper indifferens: & fundamentum dominij, quod habet in ſuos actus: vſus eſt applicatio illius poteſtatis ad hoc, vel illud bonum; proueniens, non ex limitatione, ſed ex inclinatione potentiæ; denique ſequens ductum rationis, non naturæ impulſum.

De pecc. merit. l. 2. c. 19.

Hæc porrò inclinatio, quæ nomine ſuauitatis, vel delectationis victricis ſolet à D. Aug. toties intelligi, dupliciter poteſt declarari: primò, vt ſit actus elicitus: ſecundò, vt ſit propenſio naturalis: primum occurrit quando fini alicui amore adhæreſcimus, & propter illum eligimus media: tunc ex amore finis naſcitur gaudium, ex gaudio electio mediorum. Secundum accidit in amore ipſius finis, quo illum propter ſe diligimus: non ille tunc dulceſcit vi amoris alterius: ſed ob inclinationem ſolummodo, qua voluntas erga illum naturaliter ſe ſentit prolici, vt illam amet, ac proſequatur. Vtrouis modo voluntas liberè actus exercet ſuos circa illud bonum, & vt domina ſuorum actuum, non vt ſerua naturæ: quidquid eligit, vel operatur, hoc ideo facit, quia lubet, non quia impellitur: nec tunc amittit dominium, ſed exercet. Denique non eius limitatur poteſtas, ſed applicatur.

Ita ergo Deus illam mouet ſecundum modum ſuum: id eſt infundens *lucem, qua illuminantur tenebræ mentis: & ſuauitatem, quâ det fructum ſuum terra cordis.* Bonum ſic proponit intellectui: vt is inde illud ſuadeat voluntati: & voluntatis inclinationem ſic auget, vel generat, vt perſuaderi ſe ſinat. Ita facit vt ſe determinet; nec tollit libertatem, quia nec poteſtatem limitat: nec impetu illam in actum præcipitat, ſed ſecundùm præconceptam iudicij formam, illam inclinat, vt delectabiliter velit. Hæc eſt expreſſa ſententia S. Thom. *Deus,* inquit, *mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non inducitur neceſſitas; ſed manet libertas.* Et q. 3. de potentia a. 7. ad 13. *Voluntas dicitur habere dominium ſui actus; non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, vt eam de neceſſitate ad vnum determinet, ſicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis.*

S. Aug. cit. ſup.

q. de malo 6. & de verit. q. 24. 1. 2. q. 10. a. 4. &c. v. D. Th. 1. p. q. 83. a. 1. 1. 2. q. 9. a. 4. ad 1. & q. 10. a. 4.

QVOAD ſecundum, quid nimirum ſit illa diuina motio, non omnes eodem modo explicant. Alij ſolùm diuinæ voluntatis nutum ſufficere aiunt, ob quod omnia illi perfectiſſimè obediant: *Quaſi ob ineffabilem quandam ſympathiam.* Ideo ſicut ſtatim atque voluntas decreuit ambulare,

Scotus, &c.

ambulare, pes mouetur. Ita cum Deus decreuit vt voluntas tali tem-
pore ſe ad hoc determinet, illo tempore ingruente voluntas ſeipſam
determinabit ſine vllo alio motu. Inde Scotus in 4. ait quod *Cauſa pri-* d. 1. q. 1.
*ma in cauſam ſecundam propriè dictam non eſt influentia noua, quæ ſit crea-
tio alicuius inhærentis cauſæ ſecundæ: ſed influentia ibi eſt determinatus or-
do iſtarum cauſarum in agendo effectum communem.* Sed hinc perperam
inferunt aduerſarij, quod neget determinari voluntatem à Deo, cum
idem clarè dicat, *Contra naturam voluntatis eſt determinari à cauſa infe-* In 4. d. 49.
riori, quia hoc ipſo non eſſet ſuperior, non eſt autem contra naturam eius, de- q 6.
terminari à ſuperiore.

Thomiſtis hoc non ſatisfacit, volunt enim ipſi qualitatem quan-
dam imprimi voluntati, quæ ſit vis & motio realis complens virtutem
voluntatis, ideo eam vocant prædeterminationem Phyſicam. Hæc
controuerſia nos longiùs abduceret.

Dico igitur breuiter primo motionem, quâ mouet Deus cauſas na-
turales, eſſe qualitatem fluentem inſtar ſpeciei intentionalis, vel im-
petus impreſſi baculo, quem mouemus: ita *D. Tho. ſupra ex 3. de pot.
ar. 7.*

Secundò, motionem, qua mouet voluntatem, partim conſiſtere in il-
luminatione mentis ad diſcernendum verum, partim in inclinatione
cordis ad bonum diligendum, patet etiam ex dictis.

Tertiò, illam inclinationem quandoque dari per modum ſimplicis
motionis, quæ poteſt dici vel ſuauitas fluens, vel appetitus actualis:
quandoque per modum formæ & habitus, quia *Sicut ex ipſa natura,
quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum, ita
ex aliquo ſuperaddito, ſicut eſt gratia, vel virtus, inclinatur vlterius ad vo-
lendum aliquid alius, ad quod non erat determinata naturali inclinatione.*
Hæc D. Th. De verit. q. 22. a. 8.

Quartò, illam inclinationem aliquando ita eſſe debilem vt vincatur
à potentia peccandi, aliquando ita robuſtam vt illam vincat; & vo-
luntatem actu inclinet: & tunc poteſt ita eſſe perfecta, vt voluntas ne-
ceſſariò tendat ad vltimum finem, & ad media, vt in beatis, aliquan-
do minùs perfecta, vt inclinet quidem, ſed non ex neceſſitate.

Quintò, illam inclinationem & motionem non habere à ſe, quate-
nus eſt res creata, vt efficaciter moueat voluntatem, ſed à decreto,
& intentione Dei: *Præparatio voluntatis*, inquit D. Th. *ſecundùm quod* 1. 2. q. 112.
eſt à Deo mouente, habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non a. 3.
quidem coactionis, (ſubintellige nec determinationis naturalis ad
vnum,) *ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt*, & q. 10.
*ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quòd voluntas ad
illud non moueatur: non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Vnde non ſequitur,* q 10. a. 4.
quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moueatur. Hi duo textus mutuo ſeſe
illuſtrant.

Itaque primùm Deus ab æterno ſtatuit vt in tali tempore ageremus;
deinde in hocce tempore nos ad actionem ordinat per imperium ſuæ
voluntatis, & nos ponit in actu primo per motionem ſupradictam: per

hanc autem duo Deus facit in nobis; primum, dat exercitium potentiæ ad eliciendum id quod eſt proprium potentiæ: ſecundum, dat participationem quandam diuinæ efficacitatis, ad efficiendum id quod eſt proprium Dei. Primo dicimur ſimpliciter applicari: ſecundo, moueri vt inſtrumenta. Hinc duplex in nobis reſultat relatio, vna dependentiæ ad Deum, vt ad motorem: ſecunda, quæ conſequitur ad primam, eſt principij actiui ad effectum: vtraque præcedit concurſum ſimultaneum, ipſamque noſtram actionem, qua tam Deus, quam nos ſumus cauſæ in actu ſecundo. Hinc patet duplicem eſſe Dei actionem: prima terminatur ad cauſam ſecundam, & Deo propria eſt, ſecunda terminatur ad effectum communem, & communis eſt Deo, ac cauſæ ſecundæ; eſtque eadem: &c. illa concurſus præuius, hæc ſimultaneus dicitur.

§. 3.

Soluuntur omnes difficultates.

ADVERSVS prædicta multa congerunt aduerſæ partis aſſertores, primò textus ſacræ ſcripturæ proferunt, quibus libertas noſtra ſtabilitur. At eam non negamus.

Cap. 15. In Eccleſiaſtico dicitur, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui.* Item, *ad quod volueris porrige manum*: item, *quod placuerit ei, dabitur illi*, &c. Reſp. ex D. Th. (De pot. q. 3 a. 7. ad 13.) his ſignificari *dominium quod Deus homini dedit in actus ſuos & poteſtatem non determinatam ad vnum.*

Secundò, textus Sanctorum Patrum adducunt, quibus hi negant actus noſtros à Deo eſſe præfinitos. D. Dionyſ. (De diu. nom 4.) cætera *Vult à Deo determinari ad certas actiones, nos verò præceptis, conſilijs, illuſtrationibus, & inſpirationibus ad bonum induci.* S. Greg. Nyſſ. (Cyrill. in Ioan. & 8. contr. Iul. Greg. Nyſſ. de prouid. l 8 & de l arb. lib 7. Chryſ. in Ep. ad Hebræos. de ver q. 4. a 1. 3. cont. G c 90. &c.) ea, *quæ in noſtra poteſtate ſunt, à nobis liberè diſponi, noſque diuina prouidentia adiutos, ea ordinare, & determinare.* D. Damaſc, *præſcit*, inquit, *Deus ea quæ ſunt in noſtra poteſtate: hæc autem non prædefinit.* D. Chryſoſt. *non cogit Deus homines vocando, ſed poſt vocationem permittit nos eſſe propriarum dominos voluntatum.* Reſp. ex D. Thom. his ſolùm ſignificari quòd non determinemur ad vnum; quòd habeamus dominium: denique quod ſimus ipſi propriorum actuum prouiſores, attamen ſub primo omnium Prouiſore, ac Domino.

Tertiò, multa ex D. Aug. coaceruant, ſed bone Deus, quam coactè! 5. de Ciuit. c. 9. dicit *Deus omnium poteſtatum dator, non omnium voluntatum.* Reſpondet ipſe, *malæ quippe voluntates ab illo non ſunt*: rurſus l. 7. c. 30. *Sic adminiſtrat Deus omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat.* Quid ergo? an non omnia libera ſunt: an omnia prædefinitrici Dei prouidentiæ ſubtrahit? De ſpir. & lit. c. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſſe.* Cuius ergo? Ecquanam facultate conſentimus niſi voluntate? Pro-

priâ certè voluntate hæc facimus, ſed Deus *Facit vt faciamus*, vt ipſemet millies probat ex Ezechiel. 36. v. 27. ipſe *Infallibiliter, & inſuperabiliter noſtras mouet voluntates, ijs vires præbens efficaciſſimas*, vt vbique teſtatur.

Tertiò ratione ſic probant, quidquid tollit indeterminationem voluntatis, tollit libertatem: voluntas enim noſtra ſecundum D. Baſil. comparatur ſtateræ in quodam quaſi æquilibrio ſuſpenſæ. Sed prædeterminatio indeterminationem tollit: & ſtateræ æquilibrium prægrauat. Ergo. Reſp. quod tollit indeterminationem potentiæ per limitationem virtutis & ſubtractionem dominij, tollit libertatem: concedo: quod tollit ſolum indeterminationem actus per applicationem, vſumque Dominij; nego. Prædeterminatio verò qualem ex D. Th. concedimus, tollit ſecundam indeterminationem, non primam: ideo nolim ego motionem Dei, vt antecedit actum voluntatis vocare prædeterminationem, licet ſit principium efficax determinationis à voluntate faciendæ, antequam enim ſe voluntas determinet, debet ſemper concipi eſſe ſui iuris, vt agat vel non agat. In Pſ. 81.

Dices: neceſſitas antecedens actum voluntatis, tollit libertatem ſecundum omnes Philoſophos, quos ſequitur D. Anſel. ſed illa præmotio induceret neceſſitatem antecedentem. Ergo. Reſp. primò nego ant. quia neceſſitas à fine proueniens, eſt antecedens, & tamen non tollit neceſſitatem, ex D. Th. 1. 2. quare ſolum ea tollit libertatem, quæ intrinſeca eſt, proueniens ex principio interno limitante potentiam. R. ſecundò nego minorem, ſi neceſſitas antecedens ea ſit quæ inducitur per cauſam ſimpliciter neceſſitâtem, quæque ſolet aliter dici neceſſitas abſoluta, cui opponitur neceſſitas conſequens, quam res conſequens facit. Siue quæ naſcitur ex euentu: & vocatur conditionata: hinc ex D. Th. *Neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis eſt: neceſſe eſt enim hanc conditionalem eſſe veram, ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt, hoc eſſe.* Et mox poſteriora *habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum, vnde & ea, quæ f[illegible] voluntate diuina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea ha[illegible]c. vel abſolutam, vel conditionalem tantùm.* Dices: voluntas noſtr[illegible] prædefinita, vel præmota à Deo, non poteſt non agere: ergo eſt [illegible]s determinata, & eſt neceſſitas antecedens; item implicat contr[illegible]tionem, vt ſic præfinita, vel præmota non agat: implicat enim quòd Deus velit fieri aliquid abſolutè, & illud non fiat. Ergo abſolutè impoſſibile eſt, vt voluntas non agat: ex quo demum ſequitur eam eſſe determinatam neceſſariò abſolutè, antequam agat. Reſp. falſa fere eſſe hæc omnia: Primò, negamus quòd voluntas non poſſit non agere id ad quod mouetur, neque enim voluntas Dei, neque præmotio tollunt deficiendi potentiam, neque dominium naturale voluntatis, neque potentiam limitant: ideo cum ſacro Concil. Trid. confitemur, quòd voluntas quantumuis efficaciter mota *Poſſit diſſentire, ſi velit.* Ergo negamus eſſe prius determinatam per vllum principium intrinſecum: negamus eſſe neceſſitatem antecedentem: neceſſitas enim ex diuina prædefinitione orta, debet tunc dici antece-

1. cur. Deus homo.

1. p. q 19 a. 8. ad 1. 2. 3.

dens & abſoluta, quando effectus ab illa ſequitur per cauſam in natura determinatam ad vnum, quando verò effectus infallibiliter ſequitur per ſpontaneum nutum, & applicationem naturalis dominij, & per voluntariam determinationem potentiæ alioquin indifferentis, ſolùm eſt neceſſitas conditionata, ſeu conſequentiæ. Quòd autem is ſequi poſſit infallibiliter, nemo poterit diffiteri, niſi Deum neget omnipotentem. v. D. Th. 1. p. q. 19. a. 1.

Denique implicat contradictionem, voluntatem motam efficaciter non agere, ex ſuppoſitione quòd Deus abſolutè id velit; non abſolutè ob vllum principium intrinſecum repugnans indifferentiæ. Ideo hinc ſolum ſequitur neceſſitas conſequentiæ, non abſoluta.

Aduerſarij volentes futura contingentia, eſſe ex ſe determinatè futura, (alioquin quomodo per ſcientiam mediã determinatè futura viderentur,) quomodo dicent ea poſſe non fore, niſi in hoc ſenſu diuiſo.

Communis reſponſio eſt, quòd implicet voluntatem illam tunc non agere in ſenſu diuiſo, non verò in ſenſu compoſito. Diſtinctio hæc habetur apud D. Th. de verit. q. 23. ar. 5. ad 3. *Quamuis*, inquit, *non eſſe effectus diuinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum*, (.i. qua poſſit effectus non eſſe,) *Simul ſtat cum diuina voluntate: non enim ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari, & iſte poteſt damnari, ſed iſta ſunt incompoſſibilia. Deus vult iſtum ſaluari: & iſte damnatur*; ſic dicunt Logici impoſſibile eſſe in ſenſu compoſito, quòd album fiat nigrum; non in ſenſu diuiſo, &c. Paucis, totum fundamentum doctrinæ Thomiſticæ in eo iacet, quòd poſita præmotione efficace voluntas etiam vt ſubiacet ordini prædefinitionis æternæ, ſit intrinſecè indifferens, maneatque plenè domina ſuorum actuum: atque per motionem diuinam habeat, vt ſe determinet, ſuoque iure vtatur: ac tùnc liberrimè operetur, quia Deus dat illi velle operari, & in hoc admiranda eſt Dei omnipotentia, vt à ſua creatura per vſum ipſũ liberrimi dominij quo nihil contingentius eſt, poſſit infallibiliter exequi, quidquid ab æterno decreuerit euenturum: *Quidquid* enim *voluit fecit in cælo & in terra*. Hoc, qui negat, diſpungat primum articulum ſymboli, quo Deum profitemur omnipotentem: at ſecundum aduerſarios antequam explorauerit nutum & beneplacitum meæ voluntatis, vel non potuit abſolutè velle, vt ego liberè aliquid determinatè velim: vel ſi voluit, non potuit infallibiliter exequi.

D. Aug paſſim cont. Iul. ad Bonif. de præd. SS. Proſper cont. coll. l. de ingr. c. 27 Bern. de gr. & l. arb. Auſ. cur Deus homo c. 10. &c

Quartò inſtant: ſaltem ſine concurſu illo Dei præuio non poſſumus operari. Reſp: nego, quia cum poſſe & agere differant, illud dat Deus etiam cum iſtud negat: vrgent, non poſſum agere, niſi à prima cauſa ſim applicatus, ſi applicatus autem fuero, infallibiliter agam. Reſp. duplicem eſſe applicationem: vnam generalem, alteram ſpecialem: priorem explicat D. Th. his verbis *Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle.* Neque contrà nos eſt quod ſubdit: *Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens*: vult enim quod illa motio generalis, quæ eſt innata quædam, & à Deo iugiter inſpirata voluntati propenſio ad bonum, ſit ex parte voluntatis ſufficiens applicatio,

1. 2. q. 9. a. 6 ad 3.

vt in particulari bonum illud amet, quod ei ab intellectu propoſitum fuerit: ſed modo iunge quod ait 1. 2.q. 109. *Dicendum eſt*, inquit, *quod ad cognitionem cuiuſcumque veri, homo indiget auxilio diuino, vt intellectus à Deo moueatur ad ſuum actum.* Specialem applicationem ſic quoque explicat ſuprà cit. *Sed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum: ſicut in his quos mouet per gratiam, vt infra dicetur.* ſc. q. 109. Ergo per ſpecialem applicatus infallibiliter agam, ſecus ſi tantum per generalem. a. 1. c. 1 2 q 9 a 6. ad 3.

Ex his multa ſcitu digniſſiſſima inferimus: Primò, quòd detur generalis aliqua motio, quæ dici poteſt applicatio virtualis, & concurſus præuius ſufficiens ad agendum, ſuppoſito quod intellectus boni rationem aliquã illi prætendat: ad quod ipſe mouetur etiam aliunde. Per illã poſſumus agere etiam dum non præmouemur efficaciter: ſed non agemus: prout in diſpoſitione Dei præfinientis ordinem ſuæ prouidentiæ, prouiſum fuit, vt non ageremus. Atque id puto ſatis apertè à D. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 12. & 1. Retr. c. 9. inſinuari dum ait, *Vides igitur, vt exiſtimo, in voluntate noſtra eſſe conſtitutum, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam verò bono* (ſc. actuali volitione boni:) *Quid enim tam in voluntate, quam ipſa voluntas ſita eſt?* Et c. 16. *Quid autem quiſque ſectandum, vel amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit, nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, niſi voluntate. Et eſt manifeſtum non rem vllam, cum ea quiſque male vtitur, ſed ipſum male vtentem eſſe arguendũ*, &c. Neque dicas, quid mihi, prodeſt illa virtualis applicatio, ſi nunquam ſit euentum habitura? Reſp. prodeſſe vt ordo diuinæ prouidentiæ ſit completus: exigit enim vt ſint creaturæ liberæ; quæ poſſint agere multa, quæ non agunt: vt illis conſeruetur dominium in actus ſuos; vt in earum poteſtate ſit agere quando volunt, & non agere, quando non illis allubuerit. Deinde Reſpondeant ipſi, cur tot animalcula, tot frondes, tot ſpinæ in deſertis inacceſſis quotidiè oriuntur, quæ nulli vnquam vſui futura ſunt? cur Deus Iudæis legem dedit, quæ tam multis per occaſionem cauſa maioris damnationis fuit? vt diſcimus ex D. Paulo ad Rom? Denique cur Deus dæmonibus dedit libertatem ad perſeuerandum in bono, qua vidit illos nunquam bene vſuros?

Secundò infertur nobis liberum eſſe peccare, cùm bene agimus: nec Deum eſſe cauſam peccati, cùm male operamur: Primum patet, quia præmotio indifferentiam poteſtatis non tollit, vt diximus: ſed manente in nobis imbecillitate, qua deficere poſſumus, & vigente concupiſcentia, qua prolectamur, Deus auget dilectionem & delectationem boni, qua infallibiliter bonum, & non malum peragemus. At vbi abſorpta fuerit mors in victoria, ſc. in cælo, concupiſcentia, & imbecillitas abundantiâ gloriæ omnino abolebuntur.

Secundùm patet ex dictis ſuprà. Quia concurſus Dei, eſt influxs ſummi boni, ſe communicantis ſub ratione primi principij, & in ſe conuertentis omnia in ratione finis. Influxu autem boni, quomodo malum fiet? Addit D. Th. quòd nequeat Deus ſe, neque alios auertere à

Omne bonū ex Deo: motus ergo ille auerſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniā defectiuus motus eſt: omnis autem defectus ex nihilo eſt. & quoniā volūtarius, in noſtra eſt poſitus poteſtate.

Aug. 2. de lib. arbit. 20 de malo q 3.a.1.& 1. 2. q 79 a.1.& 2.

S. Anſel. de prædeſt c 7

ſe. Malum autem (ſc. culpæ) patrari, cum à Deo quis auertitur. At quomodo ergo, inquies, malum non operamur, niſi ab illo moueamur? & quidem ſi actu nos ad malum mouemus, debuimus efficaciter prius ab illo moueri & applicari. Reſp. Mouemur ab illo per generalem motionem ad bonum: determinamur verò per rationem ad hoc bonum apparens, relicto bono vero, ex D.Th. 1.2. q 9.a.6.ad 3. Ratio autem ibi errat, quia graſſante concupiſcentia *diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.* Paucis, ob natiuam deficiendi potentiam, nec voluntas inſpirationem boni, nec intellectus illuſtrationem veri, à Deo plenè recipiunt: ideo per id quod à Deo recipiunt, actus edunt; per id in quo deficiunt, non bonos, ſed malos edunt: ſicut dum equus monſtrum parit, quòd pariat, venit ab influxu cæli: quòd monſtrum pariat, venit ex defectu, quo deficienter cœli ſuſcepit influxum; ſic D.Th. quamobrem hæc duo in quolibet peccato diſtingue: materiale, & formale: illud actio eſt, iſtud inordinatio, defectus, malitia, rectitudinis priuatio, deriuatio à regula legis naturæ, prius eſt totum à Deo, poſterius totum ſine Deo: *in malis enim facit Deus quod ſunt: ſed non quod mala ſunt,* inquit S. Anſ.

Dices. Malitia eſt plerumque inſeparabilis ab actu, eique ſecundum propriam eius competit ſpeciem. Ergo, ſi Deus eſt cauſa actus, quomodo non erit cauſa malitiæ? Reſp. Solui etiam hoc debere ab aduerſariis: cōcedunt enim quod per concurſum ſimultaneum actio principaliùs pendeat à Deo, quam à cauſa ſecunda, aut ſi hoc de malis negent: id negent vel inuiti de bonis.

Secundò, idem obiectum fuit D. Auguſtino à Iuliano quoad culpam originalem, quæ inſeparabilis eſt à generatione hominis: & Reſpondit D.Aug. *Deum iuſtum & bonum, ſic humanæ ſubſtantiæ & interiorum, exteriorumque ſenſuum eſſe creatorem, vt prorſus ab illo ſit quidquid pertinet ad naturam, & prorſus ab illo non ſit quidquid eſt contra naturam, peccatum autem contra naturam eſt.*

Si quis dixerit mala opera, ita & bona Deū operari, non permittēdo ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, ita vt ſit propriū eius opus, non minus proditio Iudæ, quā vocatio Pauli, Anathema ſit, Concil Trid. Seſſ. 6. Can, 6.

1.2 q 79.a.2 Ibid ad 3. q 72.a. 1. De verit. q. 13.

Tertiò, Reſp. Abſolutè tenendum eſſe contra Caluinum & Lutherum, quod Deus nullo modo ſit cauſa defectus concomitantis actum, Secundò, quod omnis defectus concomitans actum, non illi competat per ſe ſecundum rationem eius ſpecificam, & formalem, quatenus eſt quid reale & poſitiuum: ſic enim actus ſumit ſuam ſpeciem ab obiecto, non à priuatione rectitudinis: Eſtque participatio ſummi boni: & continetur ſub ordine diuinæ ſapientiæ, & ad Dei bonitatem dirigitur. Tertiò, quod defectus actum concomitatur ſolùm propter defectionem ac quaſi deliquium, & ἔκλειμμα liberi arbitrij: ſicut tenebræ noctis in plenilunio, non in ſolem, ſed in ecclipſin lunæ refunduntur. Vel ſicut ſi lapidem rectâ in feneſtram miſeris: dum impetus viget, rectâ fertur; dum remittitur & præualet grauitas, verſus terram variat. Hinc progreſſus & rectitudo ab impetu; lapſus vel declinatio à ſola grauitate pendet. Defectio autem liberi arbitrij ex tribus potiſſimum prouenit. Primò, ex eo quod ortum eſt ex nihilo, ſicut enim omnis perfectio ex eſſe; ita defectus eſt ex non eſſe. Secundò, ex

concupiſcentia, quâ nos, noſtrúmque commodum præ cæteris omnibus affectamus. Tertiò, ex ignorantia, quâ non attendimus ad regulam rationis; neque ad debitum ordinem. Primum commune fuit Angelis & Adamo. Secundum & tertium, ſolùm hominibus lapſis conueniunt, & ſunt effectus, ac pœnæ peccati.

Quarto, addimus quòd actus habens hunc defectum, non ſequitur neceſſariò, licet infallibiliter, ex motione diuina: Patet ex dictis ſuprà. Solùm paulò clariùs id explico ſic: motio illa Dei, quantum eſt ex ſe, vel ex parte Dei, debet concipi ſicut inclinatio quædam admodum nobilis, & ampliſſima, qua nihil minus quam bonum infinitum appetere valeamus: & auerſemur quidquid tanto bono repugnat. Quantò autem intenſior fuerit, tanto generoſiùs reſiſtit impedimento noſtræ fragilitatis: & quantò remiſſior, tantò abiectiùs & anguſtiùs cedit. Igitur cùm præualet charitas eâ mentis amplitudine, quæ decet libertatem filiorum Dei, voluntas recipit illius motionē, ac per eam ſic vltra creatum omne bonum euehitur, ſolique ſubiicitur Deo. At dum præualet cupiditas ſeruili quadam & abiecta limitatione eam determinat ad bonum creatum; neglecto, & non continuato eius ordine ad ſummum bonum: ſicut influxum ſolis defectus cauſæ particularis terminat ad monſtrum; & impetum lapidis, eius deorſum grauitas impellit: actus autem voluntatis hanc motionem ſequens, & detorquens, voluntarius eſt, potuitque non eſſe, & in poteſtate voluntatis poſitus fuit vt eſſet, vel non eſſet, vt diximus.

Ita nunc ad argumentum ſuprà reſpondetur. Tranſeat antecedens quoad 1. partem; negatur quoad 2. denique falſi damnetur conſequentia. Quòd enim malitia ſit inſeparabilis: hoc non à Deo, ſed à creatura ſemper per talem actum deficiente oritur. Quando autem defectus effectui non ineſt ob influxum cauſæ ſuperioris, illi non debet imputari: & in hoc caſu ceſſat quod dicitur: *cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.*

Sed reſtat adhuc ea de re ſcrupulus. Deus prædefiniuit omnes actus noſtros; ergo & prauos: hi præter eius intentionem non fiunt: ſi conſuleret, eorum cauſa eſſet; at prædefinire plus eſt, quam conſulere, &c.

Reſp. Plura hic dicenda occurrere, quæ breui ac distinctè ita digerimus. Primò, Certum eſt in quolibet actu malo eſſe aliquid boni, quod poſſit ordinari ad finem diuinæ prouidentiæ, & huius adimpletionem ab æterno à Deo fuiſſe prædefinitam, ſed quaſi ſecundaria intentione. Quam D. Th. vocat voluntatem conſequentem. Ita intelliges illud Act. 2. v. 23. *Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemiſtis*, & c. 4. v. 28. &c. D Th de verit. q. 23. a. 2.

Voluntas porrò anteced. à Th. dicitur ea, qua creaturæ vult id, ad quod illam quantum eſt ex ſe, ordinauit, quod ſine dubio eſt participatio ſummi boni: conſequens verò, quâ illam ad id ordinat, quod ſuæ bonitati congruit, poſtquam ordo eius ſapientiæ ſinit eam à pri-

mo fine deuiare. Ideo *dum res à primo ordine voluntatis deficiunt, in ſecundum labuntur; & dum Dei voluntatem non faciunt, impletur in eis voluntas Dei.*

Secundò, Certum eſt quòd Deus non voluit abſolutè vt non peccarem; nam *quæcumque voluit Dominus, fecit.*

D Th de Tertiò, Certum eſt quòd nec voluntate antecedente, neque con-
malo q. 6. ſequente voluit Deus, aut decreuit defectum peccati: alioquin pec-
ad 5 cans contra diuinam voluntatem non ageret: non eſſem Deo inobe-
De verit. q. diens, &c.

23.2.1. Quartò, certum eſt denique ſolùm à Deo fuiſſe prædefinitum, vt permitteretur peccatum, ſinendo voluntatem ob defectum ſuum ſic abuti generali motione, vt inde cadat in malum. Hoc autem minùs eſt quàm conſulere. Ac de his ſatis. Cætera viderint Theologi.

CAPVT XXI.

DE CAVSA SECVNDA principali.

§. 1.

Vtrum dentur propriè cauſæ creatæ.

QVIDAM Arabes, & Platonici opinati ſunt formis præſertim corporeis nullam vim agendi competere; ſed vim quandam ſpiritualem rebus ineſſe omnibus, quæ in ipſis verè operetur, vt de Auicembrom legimus apud D. Th. De Platonicis conſtat apud Marſ. Ficinum 1. de Immortal. animæ.

1.p q. 65.a. Tres præcipuæ rationes adducebantur, Prima, quòd agenti debeat
3.& q. 105. paſſum ſubiici, tanquam inferius: corporali autem ſubſtantiâ inferius
a 5 & de pot.q.3.a 9. nihil ſit. Ergo. Secunda quòd quantitas actionem impediat, cohibens
&c. ne agens intimè paſſum penetret. Tertia, quòd ſubſtâtia corporea ſit à
3. contr. Deo remotiſſima: Quamobrem cum Deo ſolum agendi vis compe-
Gent.c.69. tat, oportet vt corpori ſola inſit vis patiendi: & inſuper ob infinitam illam diſtantiam nequit à Deo virtus actiua in corpus corriuari.

Fuere alij adeò bardi ac excerebrati, vt crediderint actionem nullam, excepta creatione, fieri aliter, quam per formarum tranſmeationem ex vno in aliud. Aliunde rerum formas in ſolis accidentibus ſitas eſſe; quæ cum è ſubiecto vno in aliud peregrinari, vel tranſuolare non valeant, inferebant nihil de nouo, niſi ſola creatione à Deo confici. Contra ſit

CONCLVSIO. Certum eſt in rebus creatis, etiam corporeis reperiri veras cauſas efficientes. Contrarium nedum erroneum, ſed ridiculum.

culum. Certè, & ſenſui communi contrarium cenſeri debet, imo & fidei: ait enim ſcriptura. *Protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen. Omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas*, &c. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit Dominus*? Hinc toties in Genealogiis parentes genuiſſe filios deſcribuntur. Ipſe etiam Plato, nunquid in 6. de Rep. docet *ſolem generationem rebus, ac nutritionem præbere*? &c. Geneſ. 1. Iſa. 66.

Ratio porrò multiplex à D.Th. contra Gentes adducitur. Sed præcipuæ duci poſſunt, primò ex natura bonitatis, cuius diffuſione, ac participatione res fiunt: illa enim ex ſe ſui diffuſiua eſt, & quò abundantiùs participatur, eò participans exuberantiùs in alia ſe diffundat, neceſſe eſt. Secundò, ex ordine, nexuque quo inferiora ſuperioribus cohærent, ac ſubſternuntur, quodnam autem vinculum fortius eſſe potuit, quàm agendi, patiendique viciſſitudo, ac ſubordinatio? cum alia ab aliis vel pendent, vel appetuntur: & in quouis quodlibet ſui agnoſcit vel originem, vel effectum. Tertiò, ex illatione, qua ex effectibus notitiam venamur agentium. Quartò, denique ex ipſo experimento, cui ſinè vel fidei, vel alterius experimenti valentiore patrocinio, velle contradicere, amentium eſt, non Phiſophorum. Videmus ac ſentimus calore ignis nos calefieri: lignum ſuſcepto eius ardore in ignem euadere. Quidni & ab eo fieri aſſeremus? Deus, inquis, ad eius præſentiam ignem alterum creat: at vnde hoc probas? an quia qui dedit eſſe, virtutem largiri non potuit? Eccur, ſi eſſe, quo ipſe eſt, & quo nihil in illo ſublimius eſt, participare potuimus; potentiæ, qua operatur, participes nos eſſe repugnabit? 3.l c. 69.

Ad rationes oppoſitas paucis Reſp. ad primam non omnes ſubſtantias eiuſdem eſſe inter ſe perfectionis: ſed alias aliis ſubordinari, vt elementaria cæleſtibus, &c. Deinde cùm paſſio cuique competat ratione materiæ, & quatenus eſt in potentia: actio verò ratione formæ, & quatenus eſt in actu, eorum quæ alioquin forent æqualia, poteſt vnum ſub ratione potentiæ, ſubdi alteri ſecundum quod actu eſt.

Ad ſecundam Reſp. ad actionem ſufficere ſi virtus agentis penetret paſſum, & vel ſuppoſita ſemet attingant. Quantitas non impedit primum; ſecundum facit.

Ad tertiam Reſp. diſtantiam loci nullam eſſe inter Deum & creata, quin vbique intime præſens ſit. Diſtantiam perfectionis infinitam agnoſcimus, at non inde ſequitur negari de corpore oportere, quæcumque de illo affirmantur, niſi neges illud exiſtere. Item, eſt adhuc quidquam, quod à primo actu remotiùs diſtet, quam ſubſtantia corporea, nempe materia. Tertiò, intercedit proportio participabilis ad participatiuum. Quare vt participatio ipſius *eſſe* à Deo procedit in effectus, cur participatio virtutis non promanabit in cauſas?

§. 2.

Quomodo agat, & qua virtute.

POTISSIMA quæſtio, quæ inter Peripateticos hic agitatur, eſt vtrum ſubſtantia immediatè per ſeipſam operetur, an ſolùm mediante virtute, quæ ſit accidens. Et quidem duplex eſt effectus ſubſtantiæ, vnus principalis, nempe forma ſubſtantialis: alter ſecundarius & adiectitius, nempe accidens. Sic ab igne procedit calor, & forma ignis. Accidens communiter eſt diſpoſitio, qua ſubiectum præparatur ad formam, cuius hæc mihi videtur ratio reddi poſſe: quòd cum generatio tendat ad ſimile, per illud materia diſponitur, per quod quaſi gradatim aſcendit ad maiorem participationem formæ: at accidentia ſunt quædam externæ ac ſenſibiles (imminutæ tamen,) participationes formæ intus latentis, ideo per illa ſubiectum appropinquat ad ſimilitudinem formæ principalis. His ita ſuppoſitis, Variæ ſunt ſententiæ.

3. Phiſ. c. 13. *Bened. Pererius* ſentit formam ſubſtantialem effectiuè, nullo modo concurrere ad productionem formæ ſubſtantialis; ſed accidens ſua virtute huius eſſe per ſe cauſam effectiuam.

4. ſent. d. 12. 1. d. 37. 2. d. 18 *Scotus* contrà & alij putant accidens nullo modo, neque virtute propria, nec aliena poſſe producere ſubſtantiam: ſed accidens ab accidente, & ſubſtantiam à ſubſtantia immediatè procreari.

Ochan. Durand. Ant. Andr. Trõbetta. Gorlæus. *Zabarella* docet ſubſtantiam non poſſe quidquam operari ſine intermedio accidente; ſed hoc negat eſſe agendi principium: potentiam ergo, qua illa influit, conſiderat vt accidens reipſa diſtinctum à ſubſtantia, quod aptitudo quædam ſit, ac velut propenſio ſubſtantiæ in actum, adeò vt ſubſtantia per illam aptata,, & inclinata immediatè operetur. Ita hæc aptitudo non influit efficienter vt cauſa, ſed adeſt ſolum vt conditio.

1. p q 77 a. 1 Capreol. Bannez, &c D. Thom. cum aliis exiſtimat ſubſtantiam immediatè per formam ſubſtantialem eſſe non poſſe agendi principiũ. Sed ſolum mediante potentia, quæ ſit accidens: vnde vlteriùs aſſerit accidens virtute formæ ſubſtantialis ſubſtantiam poſſe progignere. Nota duplicem eſſe actionem: vnam immanentem, alteram tranſeuntem. Primâ: effectus fit intra ipſum agentem: vt cum intelligimus, videmus, &c. Secundâ, extrà vt cum ignis lignum calefacit, & comburit. Iterum ſic poteſt diſtingui actio. Alia eſt emanatio: alia productio Phyſica. Zabar vult primam eam eſſe quæ fit ſine reſiſtentia: Secundam ſecus, quæ cum reſiſtentia. Contrà: ſol producit lumen in aëre ſine reſiſtentia: & tamen illuminatio aëris eſt verè productio Phyſica. Malim ergo vocare emanationem, quando ſine motu Phyſico actus aliquis à principio coniuncto & inſeparabili fluit iugiter, vt Riuus à fonte: ſic actus lucendi à ſole, ipſum viuere ab anima, propriè dicuntur emanare, &c. Phyſica vero productio erit, quando per motum Phyſicum, à principio

externo & ſeparabili quidpiam producitur in ſubiecto, quod priùs ad illud in pura potentia erat, vt eum ignis generatur in ligno.

Hinc triplex quæſtio poſſet excitari: prima, vtrum forma ſubſtantialis poſſit eſſe principium immediatum emanationis ſine accidente.

Secunda, vtrum ſic poſſit eſſe principium actionis immanentis.

Tertia, vtrum etiam productionis Phyſicæ.

Prima indubiè debet affirmanter dirimi: alioquin in infinitum procederetur, nam hoc accidens per illud, & illud ita deinceps per aliud emanare deberet.

Secunda ſolutio pertinet ad libros de anima, vbi de potentiis eius examen fiet.

Tertiam modò agredimur.

CONCLVS. 1. Forma ſubſtantialis eſt verè principium productionis Phyſicæ vt generationis, alterationis, &c. Ita fere omnes contra Pererium. Probatur 1. quia omne agens producit ſimile: at non ratione materiæ. Ergo ratione formæ. Confirmatur. Principium productionis eſt id ſecundùm quod effectus agenti fit ſimilis: ſed effectus fit ſimilis agenti ſecundùm formam ſuſtantialem, vt ex ſe patet. Ergo forma ſubſtantialis eſt verè principium: diciturque principium *Quo*; quoniam ſuppoſitum eſt principium *Quod*; id eſt, quod agit ſicut ipſum eſt, quod exiſtit.

CONCL. 2. Subſtantia producit ſubſtantiam mediante accidente, contra *Scotum*. Probatur, quia omne agens debet coniungi paſſo, vel per ſe, vel per accidens. At non per ſe (quomodo enim ſol per ſe coniungeretur terræ, in qua producit metalla? &c.) Ergo per accidens. Imo lignum in fornace ſi volueris merge. Ignis illud circundare poteſt, penetrare non poteſt: tamen intus, quò non attingit, accenditur. Quonam quæſo, tunc patienti coniungetur, niſi virtute accidentali, quæ totum vndique lignum penetrat?

Ad hæc cogitur Scotus cum ſuis aſſeclis aſſerere patrem non eſſe verè principium filij: ſed ſolam matrem: ſi quidem pater ſecundùm ſe diſtat à fœtu cùm generatur. Quamobrem niſi per virtutem ſuam generet filium, nullo modo eum generabit: Ita filij ad patrem relatio nequaquam in actione fundabitur, contra Ariſtotelem: nec pater originem daret filio, ſed ſuæ ſolùm ſubſtantiæ quaſi atomum quandam, & portiunculam ſeminalem: quæ omnia mirum quantum paterni nominis gloriam deprimerent. Denique quid Patris in Filio imaginem conformaret, niſi virtus actuoſa paterni principij?

CONC. 3. Accidens, quo ſubſtantia parit ſubſtantiam, non eſt diſpoſitio, ſed virtus cauſæ principalis, verè in eius effectum influens, transferenſq; quodammodo ſecum ipſâmet ſubſtantię operantis energiam, necnon & efficacitatē. Probatur 1. quia id quo tota cauſę principalis actiuitas exprimitur, eſt virtus illius: ſed tali accidente tota cauſæ principalis actiuitas exprimitur, ſiue prodit in actū. Ergo accidens illud eſt virtus cauſæ principalis, quæ eſt ſubſtantia. Mi. patet experimēto; cum vi Solis generatur aurum in viſceribus terræ, quid eſt, quo Solis acti-

uitas exprimitur, niſi calor? cùm ex radiis ſolaribus, in vitro concauo propter reflexionem conglobatis, gignitur ignis, vi ſolis gignitur: at quonam alio vis illa ſuum effectum exerit, niſi calore? &c. ad hæc nullus effectus fit, niſi ad eum efficacitas cauſæ defluxerit: at ſine accidente non defluit: Ergo accidens eſt, quo efficacitas ſubſtantiæ transfertur in effectum.

Confirmatur: huiuſmodi accidentia videntur eſſe data formis ſubſtantialibus, tanquam propriæ potentiæ, quibus operationes ſibi proprias poſſint exequi: potentiæ autem vires actiuæ ſunt; ſi quidem ab illis ſubſtantiæ denominantur actiuæ. Ergo illa accidentia ſunt propriæ vires ſubſtantiæ.

Denique nihil obſtat, quominus accidens virtute ſubſtantiæ producat ſubſtantiam. Aliunde maximopere fauent experimenta: debet ergo illud admitti.

Thomiſtæ aliter doctrinam hanc demonſtrant, nempe quòd omnis potentia, qua ſubſtantia potens operandi conſtituitur, ſit verum ac reale accidens, reipſa diſtinctum à ſubſtantia. Verum hoc ad libros de anima pertinet.

§. 3.

Reſpondetur ad argumenta oppoſita.

MVLTA contra ſecundam & tertiam conclusionem obiiciuntur ab iis qui contrariam partem ſequuntur. Sed præcipuum eſt huiuſmodi: imperfectius nequit eſſe cauſa perfectioris: ſed accidens eſt imperfectius ſubſtantiâ. Ergo.

Reſp. accidens eſſe illius cauſam in virtute ſubſtantiæ. Quærunt illi, quid ſit illud in *in virtute* ſubſtantiæ: vtrum ſcilicet diſtinctum quid ab ipſo accidente, vel non: ſi non; ergo nihilo plus eſt accidens illud agere *in virtute* ſubſtantiæ, quam virtute ſua: ſi verò eſt aliquid diſtinctum, id ſanè nequit eſſe ſubſtantia. Ergo accidens: at ſi hoc eſt, recurret de illo idem argumentum, quod priùs; ſc. quod imperfectius non poſſit eſſe cauſa perfectioris, &c.

Reſp. variè à varijs hoc ſolui. Complutenſes volunt accidens huiuſmodi, quod ſubſtantiæ genituram operatur, à ſubſtantia, quæ principale agens eſt, accipere aliquid virtualiter diſtinctum, quo quaſi habitualiter eleuatum maneat ad eliciendum effectum ſeipſo nobiliorem. Caiet. cenſet illud *in virtute*, ſumi intranſitiuè, inquit, hoc eſt, nihil aliud denotare, niſi quòd illud accidens ſit virtus ſubſtantiæ: eique in operando ſubordinetur, ſicut potentia propria ſuo principio. alij aliter, vtramque ego ſolutionem approbo: illa Complutenſium videtur paulo explicatior, nec, vt puto, repugnat Caietano; quando enim ait accidens illud eſſe virtutem ſubſtantiæ, negare non potuiſſet, quin *eſſe accidens*, & *eſſe virtutem ſubſtantiæ* differant virtualiter: cùm

illud crebrò accidat ſine iſto, & iſtud ſit illo nobilius, nam vt accidens, eſt quid inhęrēs: vt virtus, eſt ipſi comprincipium, in ordine cauſæ ſubſtantialis: cu ergo dicimus, accidens agit *in virtute ſubſtantiæ*, ſenſus eſt. Accidens non provt eſt accidens, ſed provt cōprincipium ſubordinatum ſubſtantiæ, eius efficacitatem participans, agit intra ordinem cauſæ ſubſtantialis: quia nimirum ipſum *operari* ſubſtantiæ participat, & in illud ſubſtantialis forma, occulto, ſed efficace defluxu virtualem ſuam tranſpirat energiam, atque actiuitatem. At cùm dicimus, agit *virtute ſua*, ſenſus eſt, ipſum ſolum vt principium per ſe principale, & radicale, aliunde non trahens agendi efficaciam, agit ſolum in ordine cauſæ accidentalis.

Cæterùm ne miretur Scotiſta, quòd ſubſtantialis quædam energia in accidens à ſubſtantia defluat, perennia ſunt hæc naturæ miracula, vt enim ſileam cæleſtem in terra; Angelicum in cœlo, & diuinum in Angelo ſpiramen, actumque exprimi, & occulta poteſtate regnare: quis neſcit in putri & mortuo ſemine vitalem plantæ vel animalis efficaciam reſidere; rationalis ſpiritus intelligentiam in corporea voce occultari, vnde mens audientium excitetur, ac diſcat; ipſam denique Dei omnipotentiam, vel in vno voculæ puncto contineri, vnde ſacramentalis gratia creetur vberrime? Quid ergo mirum, ſi ſubſtantiæ actiuitas cenſeatur in accidens, quod ab illa defluit, corriuari? Ita virtutes rerum in naturalibus inſtrumentis occultâ conditoris arte, concludi mirandum quidem eſt, ſed non negandum, quamobrem calor v. g. ſiue igni coniunctus, ſiue ſeparatus, vim illam ignis continet, vnde ignem ſit producturus, ſic de cæteris. D. Tho in 4. ſ. D. 1. q. 1. a 4.

Secundò obijc. in genere cauſæ formalis non poteſt accidens efficere quidquam ſe nobilius. Ergo neque in genere cauſæ efficientis. Reſ. nego conſequentiam, & paritatem: quia formalis per ſeipſam informat ſine potentia, vel virtute intermedia; ideo inſtrumentum non admittit, quod informet virtute alterius: ſecus de cauſa efficiente.

Dices, quidquid agens perfectiſſimè operans non facit, non vtique faciet imperfectiùs operans; Atqui accidens ſub ratione cauſæ formalis perfectiſſimè operatur. Ergo ſi ſub ea ratione nequit agere virtute alterius, neque etiam poterit ſub ratione cauſæ efficientis. Reſp. Ma. ſolùm eſſe veram in eodem genere; falſam in diuerſo: quare negatur reliquum argumentum, quia in diuerſo accipitur.

Tertiò obijc. ſicut accidens procedit à ſubſtantia, ſic quælibet creatura à Deo: ergo quælibet creatura ſic foret virtus Dei, vt accidens ſubſtantiæ, quod tamen eſt falſum. Reſp. negari paritatem, primo; quia Deus eſt ſua virtus & potentia vbique intimè præſens, repugnat enim eum perfici accidentariò, ſecus ſubſtantia creata; eget namque virtute tranſpirabili, & in abſentem materiam penetrabunda, vt procul poſſit agere, neque vbique eſt vt Deus: ſecundò, forte ſic Deus ſeſe inſinuat in actum, ſpiritumue mundanum, de quo ſupra c. 14. §. 3. cum hoc ſolo diſcrimine, quòd Deus libere, creatura verò, naturali quaſi profluuio, ſe per id genus inſtrumenta communicent.

Quartò obijc. omni cauſæ efficienti proximè debet in effectu quædam formalitas reſpondere: nimirum aliquis conuenientiæ gradus, alioquin ea vix poſſet à mera conditione diſtingui; ſed in ſubſtantia producta nihil eſt, quod accidenti reſpondeat. Ergo hoc non eſt illius cauſa: Reſp. nego Mi. in ſubſtantia enim virtualiter continetur gradus accidentis, à quo producitur, vnde & illud ex ſe continuo eructat: item accidens continet virtualiter ſubſtantiam, eiuſque inchoata quædam eſt, & gradualis ſimilitudo, vt diximus §. 1. hoc verò pluſquam ſatis eſt. Vnde ſecundum Thomiſtas generatio ſubſtantiæ conſideratur, non tam vt actio diſtincta, quam vt complementum, & terminus præcedentis alterationis, quaſi forma ſubſtantialis reſultet ſolum ex ſummo accidentalis huius ſimilitudinis gradu: ſed de hoc aliàs. v. D. Th. opuſc. 32. & q. de anima ar. 12.

Quintò, ex Ariſt. 7. Met. t. 32. ante generationem ſubſtantiæ *Neceſſe eſt praeexiſtere ſemper aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vt animal, ſi animal fit: quale autem, aut quantum non eſt neceſſe, niſi potentia ſolum.* Reſp. nihil hinc contra nos: ſenſus enim eſt ſubſtantiam non poſſe gigni, niſi à ſubſtantia præexiſtente: accidens verò poſſe non ab accidente, ſed à ſola ſubſtantia originem ſumere.

Sextò, ſi ſubſtantia eget hac virtute inſtrumentaria, hoc fit vel ob eius perfectionem, vel ob imperfectionem: non primum, vt conſtat ex ſolutione ad tertiam obiectionem: non ſecundum, quia accidens quod eſt imperfectius illâ non eget. Reſp. ſubſtantiam hac virtute indigere, quia eſt imperfectior Deo, & perfectior accidente: vt imperfectior Deo, non poteſt eſſe ſua virtus quia eſt in potentia formali ad recipiendam completam & vltimam ſuam perfectionem: & in actu ſolum virtuali ad eandem producendam. [1 p. q. 77. a. 6.]

Vt perfectior accidente, poteſt primò habere inſtrumentum; ſecundò, eleuare cauſam inferiorem ad producendum effectum nobiliorem. Tertiò, ſine ſui multiplicatione, procul & prope ſimilia per virtutes adminiſtras parere, &c. accidens verò quia eſt per ſe virtus, & perfectio ſubſtantiæ vltimo ſuperaddita, non poteſt agere, nec perfici per aliud, ne detur progreſſus in infinitum.

[Cõtra Fonſ. 5. Met. q. 6. Conimbriſ hic, &c.] QVÆRES: an accidens producat ſibi ſimile virtute propria. Reſ. non video quid obſtet: etenim ad rationem cauſæ principalis ſat eſt, vt eius forma ſit ipſa prima ratio formalis ſimilitudinis. Atqui dum calor producit calorem ſimilem: huius ſimilitudinis tota & prima ratio eſt calor producens.

Dices, accidens vt pendet à ſuppoſito in eſſendo, ita etiam ab eodem pendet in agendo, ergo ſolùm agit vt inſtrumentum. Reſp. nego ſeq. alioquin nulla cauſa creata, eſſet principalis, quia ſic pendet à Deo in agendo,

CAPVT XXII.

DE CAVSA INSTRVMENTALI.

§. I.

Exponitur ſtatus quæſtionis.

DVRANDVS tria diſtinguit inſtrumentorum genera, vnum proprium, quo vtuntur artifices; duo impropria, vnum coniunctum vt calor igni, alterum ſeparatum, vt eſt cauſa inferior reſpectu ſuperioris. Primum, ſolùm ab opifice recipit motum localem, quia nihil eo, niſi diſpoſitio quædam localis efficitur. Secundum, nullam à cauſa principali virtutem deriuare defenditur. Tertium contrà, virtutem à principali accipit, vt ignis à ſole, homo à Deo, &c. ita Dur. 1. ſent. d. 1.

Scotus quatuor de cauſa inſtrumentali aſſerit. Primum, quòd non agat virtute propria, neque actione propria, ſed ſolùm virtute, & actione cauſæ principalis: ſecundum, quòd vnica tantum ſit actio inſtrumenti, & cauſæ principalis; tertium, vt non præmittat aliquid effectui principali; quartum, vt nequeat ad effectum ſe nobiliorem eleuari. Suarez cum alijs recentioribus cenſet non opus eſſe, vt inſtrumentum moueatur à principali cauſa, vel ab ea eleuetur ad producendum effectum ſe nobiliorem. In 4. S. d. 1. Fauent. &c. 1. tom. Met. diſp. 17.

S. Thomas denique & eius diſcipuli docent, primò, inſtrumento competere actionem propriam actu, vel virtute diſtinctam ab actione cauſæ principalis: ſecundò, non poſſe agere niſi prius ab illa moueatur, eiuſque virtutem & actionem participet, quibus effectum principalem attingat. 1. p q. 45. a. 5. 2. contr. Gent. c. 21.

Hæ ſunt præcipuæ opinionum ſectæ, cæterum illa Durandi facile ſoluitur. In primis conſtat falſum eſſe, quòd omnis cauſa inferior, ſit inſtrumentum ſuperioris; quid enim? An homo inſtrumentum eſt ſolis in homine generando? &c. ſecundò, conſtat ex dictis ſuprà, inſtrumentum naturale coniunctum vt calorem, virtutem ex cauſa principali attrahere. Tertiò, denique conſtat actionem propriam inſtrumenti artificioſi eſſe motum localem. Vtrum verò vlteriùs ſe extendat; conſtabit ex dicendis.

§. 2.

Solutio.

CONCLVSIO prima, omne inſtrumentum naturale virtute quadam propria debet eſſe præditum. Ita D. Th. *Cauſa ſecunda*, in Phyſica.

quit, *inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis: ſi igitur nihil ibi ageret ſecundùm illud, quod eſt ibi proprium, fruſtrà adhiberetur ad agendum, nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum: hic enim videmus, quod ſecuris ſcindendo lignum, (quod habet ex proprietate ſuæ formæ,) producit ſcamni formam, quæ eſt effectus proprius principalis agentis*, ita D. Th. hoc exemplis & rationibus ſtabiliuit.

Reſpondent id quod ex ſe confert inſtrumentum, eſſe quid materiale duntaxat. Contra: eſto, ſit materialis diſpoſitio ſubiectum præparans ad formam principalem, tamen quis vnquam negare audeat quòd ſecuris effectiuè non ſecet, quod calor effectiuè non calefaciat? Tum inſtrumentum vt inſtrumentum eſt cauſa efficiens. Ergo cauſalitas inſtrumenti eſt actio, ſeu effectio.

Hinc contrà Scotum infertur primò, inſtrumento competere actionem propriam ab illa cauſæ principalis, diſtinctam; ſiquidem virtuti diſtinctæ diſtincta quoque actio competit.

Infertur ſecundò, inſtrumentum agere aliquid, quod præuium ſit effectui principali: ſi enim quod eſt primum in intentione, eſt poſtremum in executione ſecundum commune proloquium, & certum eſt, effectum principalem priùs intendi, quam effectum inſtrumenti, ita certum eſt effectum inſtrumenti, priùs in executionem prodire, quàm effectum principalem.

Verùm non opus eſt vt actiones illæ realiter diſtinguantur: vna poteſt vtrique reſpondere, ſicut vnica virtus, cuius tamen ſit multiplex ratio: v. g. dum moneta cuditur, vel cera ſigillo quodam cælatur: non interuenit reuera duplex actio, neque reuera diuerſi termini producuntur: ſed eadem figura eſt terminus tam actionis inſtrumentariæ, quam principalis, & vnica fit impreſſio, ea ſolùm ratione multiplex, quòd quatenus mera impreſſio, ſit ab inſtrumento; quatenus verò impreſſio ſic vel ſic edita, ſit ab arte, ita de cæteris.

Præterea quæ diximus hactenus, intelligenda ſunt maximè de inſtrumentis naturalibus. An verò poſſit Deus vti quodam inſtrumento ad operis præcipui conſtructionem ſine actione vlla propria, maior difficultas eſt. Negant Thomiſtæ, quibus fauet S. Doctor, quoniam locis cit. hinc probat creaturam non poſſe quidpiam creare inſtrumentariè: ibi autem non poteſt eſſe ſermo de inſtrumento naturali. Nihilominus per quam difficile eſt rationem vllam contradictionis adducere. Quidni enim Deus vti aqua non poſſit ad comburendum, tametſi nec frigus ex ſe vllum, neque quidquam aliud conferat? Dices, non apparebit, vnde dicatur cauſa inſtrumentalis, ſi non aliquid minus effectu principali efficiat: contrà, quidni ſufficiet, quod agat virtute Dei, non ſua, & effectum exerat ſe nobiliorem? Quidquid ſit, vbi de omnipotentia Dei diſputatur; non lubens ediſſero: arcanum eſt ſilentio venerandum potius, quam curioſiùs inueſtigandum.

Eſt etiam quod adnotetur: ſi quando Deus actione quadam vti voluerit

luerit tanquam inſtrumento, neceſſe non eſt vt ea per aliam actionem ad effectum principalem enitatur. Sic iuxta vulgarem multorum ſententiam, phantaſma, (quod eſt actio phantaſiæ) intellectionis; intellectio & volitio Chriſti Domini, gratiæ inſtrumenta cenſentur, & quidni? Vt enim virtus qualibet ſeipſa potens efficitur, ita & actio ſeipſa eſt agens.

Conclvsio ſecunda, propria notio inſtrumenti hæc eſt, vt non agat niſi quatenus motum à cauſa principali. Suppono cum Thomiſtis, quòd cum inſtrumentum non habeat proportionem cum effectu principali, debat priùs conſtitui in actu primo per aliquid intrinſecum, vt intrinſecè reddatur potens adminiculandi. Contra Suarez, &c.

Actus autem primus alius eſt formalis; alius cauſalis. Formalis eſt forma qualibet, quæ eſt principium operandi: cauſalis includit omnia prærequiſita ad agendum, ita vt effectus nulla re alia expectata, ſit continuò proditurus: actus ſecundus eſt effectus ipſe, dum primo incipit extra cauſas prorumpere. His poſitis

Probatur primùm concluſio ſic: inſtrumentum ſubordinatur in agendo agenti principali. Ergo mouetur ab illo: Ant. communiter recipitur, conſeq. probatur: ſubordinari ſic, non eſt aliud quam moueri: eſt enim pendere ab alio quoad principium operandi; ſiue, quod idem eſt, à ſubordinante ſuſcipere vim, qua operetur; & illius efficaciâ mutari è potentia ſimplici, in actum primum, hoc autem id ipſum eſt, quod moueri appellatur.

Confirmatur: ſic ſe habet cauſa ſubordinata ad ſubordinantem, ſicut ſcientia ſubordinata ad ſubalternantem: ſed ſubordinata nihil concludit, niſi in quantum intellectualiter ſic mouetur à ſubalternante vt ab ea principium ſciendi & concludendi deſumat, vt dictum eſt ſuprà c. 20. §. 2. Ergo neque cauſa ſubalternata debet quidquam poſſe agere, niſi quatenus ſic à ſubordinante mouetur, vt hinc agendi ſumat originem.

Confirmatur ſecundò, inſtrumentum fit actu intrinſecè potens per efficaciam agentis principalis, cum antea non eſſet tale, niſi in potentia. Ergo per efficaciam agentis principalis mouetur: quid enim eſt moueri, niſi ab eo quod erat in potentia, euadere actu? Antec. probatur, omnis vera & realis cauſa, dum actu cauſat, eſt actu intrinſecè potens cauſare, quia omnis cauſa per id quod in ſeipſa eſt, non per id quod extrà eſt, cauſat; vnde ante actualem effectionem, effectus dicitur eſſe in cauſa, eo quòd reuera ex ipſo quaſi ſinu cauſæ virtute internæ fœcunditatis extrahatur. Quamobrem refellitur reſponſio eorum qui dicunt inſtrumentum effici potens ad agendum eò præcisè, quòd agens principale illi exteriùs coagat. Contrà, effectus ita non ab inſtrumento egrederetur: ſed à ſola cauſa principali; neque enim ab aliquo egredi poteſt per actionem, niſi quod inerat per potentiam, quare quod ſolùm fuit potens extrinſecè, in extrinſeco ſolum habuit, quod ab intrinſeco ſuſcipere debuiſſet: quod quomodo verum ſit, haud certè video.

Adde quòd ſi non mouetur, non mutatur; ſi non mutatur, manet ſicut ante: atqui ante non erat potens. Ergo nec poſt: idem autem manens ſemper idem, idem facit, &c. Denique ſecundùm aduerſarios illa ſubordinatio ſolùm in relatione conſiſteret, relatio autem non eſt ratio, neque principium agendi.

Reſpondent inſtrumento ineſſe virtutem ſuam internam, qua poſſit agere, dum tamen illi extrinſeca principalis agentis opitulatio ſubuenerit. Contrà primò, inſtrumentum in ſe habet quidem virtutem producendi effectum ſibi proprium, at non producendi principalem, niſi quatenus particeps ſit virtutis principalis, particeps autem non ſit, niſi per motionem. Secundò nihil ampliùs dici poteſt de cauſa non ſubordinata: vt quando quis trahit nauem cum alio, antequam ei ſocietur, virtutem trahendi habuit, at non ſufficientem: at nunquid non magis inſtrumentum à principali actuabitur, perficieturque ad agendum, quam ille à ſocio?

Itaque quemadmodum iam diximus de accidente ſubſtantialem efficaciam mutuato, inſtrumentum ſuſcipit realem & veram, fluxam tamen & fugacem participationem virtutis, actiuitatis, & operationis cauſæ principalis, ita vt hæc per illud ſuam in effectum tranſpiret, traducatque influentiam: vnde & ipſum ſine dubio verè, actuque producit effectum ſe nobiliorem. Huius tamen eleuationis quaſi fundamentum eſt actio propria inſtrumenti, quatenus paſſiuam habet dependentiæ relationem ad agens ſuperius, illi per eius influxum quodammodo continuata, necnon ab eodem vlteriùs directa in effectum principalem.

§ 3.

Soluuntur obiectiones.

OBIIC. 1. Multa mouent vt mota, quæ non ſunt inſtrumenta, ergo, hoc non eſt proprium inſtrumenti: Ant. patet, quia piper debet conteri, vt calefaciat. Aliunde homo à ſole motus generat, &c. Reſp. non in eo ſolo totam inſtrumenti ſummam eſſe poſitam, ſed in eo, quòd agat aliquid propriâ virtute ſublimius, vtpote motum, & corroboratum à ſublimiori. Ideo motionem ibi eam ſolùm intelligimus, quâ virtus excellentior participetur. Iam piper per contritionem nihil virtutis accipit, ſed ſolùm partes internæ caloris aſſeruatrices, quæ prius in grano integro profundiùs latitabant, per motum euoluuntur, & ſeſe exerunt: ſignum autem, quòd nihil virtutis à mouente accipiat, hoc eſt; quod à quocunque teratur, idem pariter efficiat: ſecus inſtrumentum, putà penicillus, &c. ita homo mouetur quidem à ſole, quia non agit niſi per qualitates elementares, quæ à cælo plurimùm pendent, cæterùm ab illo virtutem non excipit aliquid ſe nobilius generandi.

Obijc. ſecundò, motio cauſæ principalis non videtur eſſe ſufficiens,

vt inſtrumentum eleuet ad effectum nobiliorem : quia ipſa eſt aliquid ipſo inſtrumento ſæpe imperfectius: eo autem quod imperfectius eſt, quomodo aliud euadere poteſt dignius ad producendum effectum præſtantiorem? Reſp. motionem illam in genere entis permanentis eſſe ignobiliorem ſubſtantia inſtrumenti: in genere verò virtutis eſſe nobiliorem, quatenus eſt virtus & velut energia ſubſtantiæ ſuperioris.

Obijc. tertiò, multa ſunt inſtrumenta, quæ moueri non poſſunt. Ergo. Ant. patet: germen palmæ, palmam gignit vt inſtrumentum palmæ, à qua deciſum eſt: ſed ab ipſa moueri non poteſt, quia ſæpe hæc iam aruit, quando germen illud vires fœcunditatis explicat ſuæ. Reſp. ex D. Th. inſtrumentum tandiu moueri ab agente principali, quandiu eius retinet vires: ſic ſagitta tandiu mouetur à proijciente, quandiu eius impulſum ſeruat; idem de grauibus & leuibus, quæ tandiu cenſentur à generante moueri, quandiu grauitatem vel leuitatem, quibus ad centra rapiuntur, habent. Ita ſemen & germen quodlibet ob parem rationem ab ijs cenſentur moueri, à quibus decidunt, quia vim ab illis ſuam mutuantur. Dices, ergo vis illa non eſt fluxa, ſed permanens. Reſp. eſſe fluxam reſpectu formarum permanentium; deinde non opus eſt, vt ſemper ſit fluens etiam ſecundum D. Th. vt patet ex c. 20. §. 2. ſub finem. De pot. q 5. a. 11. ad 5.

Quid verò, ſi dixerimus germina & alia id genus eſſe inſtrumenta naturæ generalis id eſt, artis Dei?

Obijc. quarto, Phantaſma communiter aſſeritur eſſe inſtrumentum intellectus agentis ad producendam ſpeciem intelligibilem : ſed ab illo moueri non poteſt, niſi velis in accidens corporeum (quale eſt phantaſma,) ab intellectu poſſe vim ſpiritualem corriuari, quod non videtur eſſe poſſibile. Reſp. primò, aliud nobis de ſpeciebus intelligibilibus eſſe iudicium, vt dicemus in ll. de anima: intereà ſufficiet dicere, quòd ſi phantaſma concurrit modo prædicto, debet cenſeri animæ inſtrumentum, aliunde non videri mirum D. Thomæ, quod virtus ſpiritualis rei corporeæ, non minùs quam ſubſtantialis accidenti fluenter inſit, vti iam ſuperiùs c. 21. §. 1. pluribus exemplis confirmauimus contra Scotiſtas. In 4. d. 1. q. 1. a. 4.

Alij dicunt phantaſma ſolum materialiter concurrere: ſed de eo aliàs.

Multi argumenta deducunt ex Theologia, lumen gloriæ, ſacramenta, miracula, & cætera multa huiuſmodi circumſonant, ſed tractent fabrilia fabri. Solùmque de potentia obedientiali nonnihil ſubiungemus, qua natura omnis ſuo ſubeſt creatori, ad communes leges effringendas, dum iubet, obſequentiſſima. Inde miracula cuncta penſantur.

§. 4.

De potentia obedientiali, vbi de miraculis pauca.

TRITVM & decantatiſſimum eſt, Deum non ſolùm agere in natura, ſed & ſupra naturam. Facit non ſolùm quodlibet, ſed & per

quodlibet, & non ipſe ſolus duntaxat, ſed ea poteſtate quandoque ſanctos donat: notum eſt enim illud D. Greg. Magni, à ſanctis duobus modis miracula fieri *Aliquando ex poteſtate, & aliquando ex poſtulatione.*

2. dial. c. 13.

Cùm igitur miracula fiunt, Deus in natura ſuper ordinem naturæ operatur, & iubenti Deo natura omnis ad nutum paret: hinc nomen potentiæ obedientialis deſumptum eſt, quo ſignificatur aptitudo illa, quæ rebus ineſt omnibus, ad obediendum Deo, vt de ijs, per eas, & ſuper eas fiat quidquid Deo allubuerit.

Hæc autem creaturæ ad creatorem ſubmiſſio, poteſt duobus modis conſiderari: primò, in actu; ſecundò, in potentia. Certum eſt in actu diuinam quandam motionem interuenire, qua illa ex ſimplici potentia compleatur in actu primo, ad quod probandum induci poſſent argumenta omnia ſuperiùs explicata.

Quoad ſecundum, duplex eſt huiuſmodi potentia obedientialis; actiua ſcilicet & paſſiua. Paſſiua eſt, qua res mutari ſecundùm ſe; actiua, qua mutare cætera poſſunt: illa ſequitur potentiam paſſiuam rerum, quæcumque ipſa ſit: hæc communiter actiuam. Paucis illa eſt aptitudo cuilibet rei per ſe, ac ſemper immanens, ſecundùm quam res poſſunt euadere, quidquid non inuoluit contradictionem.

Iſta eſt ſimilis aptitudo, ſecundùm quam res poſſunt facere, quidquid non implicat ab illis fieri.

Vtrumque ineſſe rebus omnibus in ordine ad Deum, certum eſt: An verò ſit quidpiam ſupperadditum rebus, dubitatur. Sed crediderim, nihil aliud eſſe, quam rem quamlibet, prout relationem perfectæ ſubiectionis & dependentiæ habet ad creatorem, quæ fundatur in eſſentia creaturæ, quatenus creatura eſt.

De pot. q. 6. a. 3 ad 11. D. Aug. l. 3. de Trinit.

QVÆRES primò, an res naturales habeant potentiam quamdam obedientialem reſpectu Angelorum. Reſp. ex D. Th. *Quòd corporalis creatura, naturali ordine obedit ſpirituali ad motum localem, non ad alios motus, præcipuè ſi virtus eius non eſt determinata ad aliquod corpus, ſicut eſt virtus animæ ad corpus ſibi coniunctum.*

Ex quo patet Angelos, & etiam dæmones poſſe naturaliter multa edere, quæ mirabilia quidem nobis videantur: at non miracula propriè dicta. Primum patet primò, quia induſtria illorum ſpirituum multò ſuperat omnem artem humanam. Atqui homines admiranda ſæpe opera vi ſolius artis efficiunt. Ergo à fortiori Angeli: enimuerò virtutes cœlorum, influxus, & concurſus multò diſtinctiùs, certiùs, & penetrantiùs norunt: momenta exactiùs captant: vires occultas tam actiuas, quàm paſſiuas acutiùs peruident, celeriùs applicant, potentiùs à contrariis tutantur: denique modo ſpirituali, hoc eſt, ſpiritibus digno, & humanum ſuperante, præſtant hæc omnia. Quid ergo mirum ſi naturaliter multa facere queant, quæ ſtuporem maximũ creent, eò quòd ea fieri videamus, quæ fortè fieri non poſſe, crediderimus, vel vnde, & quomodo fiant meritò ignoremus? Interim ea omnia ſolùm eatenus faciunt, quatenus per actiones naturales ea patrant, quæ naturaliter inde prodire conſueuerunt.

Secundò, etiam patet: quia cum miraculum propriè dictum defi-

niatur aliquid arduum & inſolitum præter naturæ facultatem, & ſpem admirantis proueniens, certum eſt ſpiritus, præter naturæ facultatem nihil poſſe conficere. Eſto poſſint cætera. Subduntur ipſi artis diuinæ ordini; Eo ſubſiſtunt, eoque poſſunt, quæcumque poſſunt omnia, ergo eum quomodo poſſent tranſgredi?

Adhæc *in miraculis producuntur effectus abſque actionibus naturalibus, à cauſa ſupernaturali*, inquit D. Thom. hoc eſt, ita vt effectus miraculoſi non ſequantur vi actionum naturalium: at ſpiritus nihil poſſunt aliter gerere. 3. de Pot q. 6 a. 3.

QVÆRES ſecundò, an ſaltem diuina virtute poſſint in rebus naturalibus præter & contrà propriam earum virtutem operari? Reſp. De bonis concedi ab omnibus, quòd non modo id poſſint, ſed & ſæpiùs ſoleant. Lege D. Th. cit. a. 4. vbi ex D. Aug. & D. Greg. id probat: & ſubdit, *Videmus, quòd imperium diuinum ad inferiores rationales ſpiritus, ſc. humanos mediantibus ſuperioribus ſc. Angelis, peruenit, vt in legis veteris latione apparet. Et per hunc modum per ſpiritus angelicos vel humanos imperium diuinum ad creaturas corporales peruenire poteſt, vt per eas quodammodo natura præſentetur diuinum præceptum: & ſic agant quodammodo ſpiritus humani vel angelici, vt inſtrumentum diuinæ virtutis, ad miraculi perfectionem.* Deinde roborat id quod ſuprà diximus, hanc virtutem participatam, non eſſe quidem permanentem, (quia ea vti poſſent, cum vellent, quod falſum eſt) ſed fluentem, qualis eſt irradiatio lucis in viſum per aërem, vbi non extat, niſi quamdiu & quatenus à cauſa ſua iugiter emanat.

De malis vero ſpiritibus maior eſt apud authores concertatio. Sunt qui velint vera quandòque, ac propriè dicta miracula etiam à dæmonibus fieri, diuina nihilominus virtute illos corroborante. Certum enim eſt præter, vel contrà naturam non poſſe quicquam effici præter, vel còntra nutum: imo nec ſine iuſſu eius, qui vnicus naturæ Dominus eſt, necnon opifex. Ideo Dæmones ne vel vno momento ſolis curſum ſiſtere: formam, ne è materiæ ſinu educatur quàm primùm vltima diſpoſitio adeſt, remorari poſſunt, &c. At quominus ea vel ampliora peragant virtute diuina: quid prohibet, inquiunt? cur virtus diuina, vt in infirmitate: ita non in improbitate aliena perficietur? operatur enim vt in bonis, ſic & in malis, diuerſimode tamen. Nihilominus cum S. Thoma, & communi Theológorum cœtu affirmare debemus, Dæmones nunquam vera miracula edere: neque à Deo vnquam eos ea poteſtate honorari. Ratio: ob duo potiſſimum Deus ad miracula concurrit: nempe vel ad veritatis confirmationem, vel ad demonſtrationem ſanctitatis, hoc vtroque modo cõcurrit Deus ſæpè cum ſanctis: primo, aliquando cum malis: neutro vnquam cum dæmonibus. Et ſanè veri miraculi perpetratio, ordinis totius naturæ tranſgreſſio quædam eſt. Ideò bonum illud propter quod fit, debet præualere ordini naturæ vniuerſalis: tale autem non poteſt eſſe, niſi & illud ſit ordinis ſupernaturalis, quale eſt quidquid ad ſalutem electorum per ſe conducit, veritatem Chriſtianæ Religionis, vel ſancti-

De Pot. 6. a. 5. 1 p. q. 114. a. 4. 2. 2. q. 178. a. 2.

tatem inſinuans. Vtrumque ſemper dæmones impugnant. Indigni ergo ſunt qui miracula patrent. Nec diuinam certè deceret bonitatem, vt tam diuina ſupremæ poteſtatis argumenta iis committeret, quorum voluntas tota malis perpetrandis mancipatur.

Quamobrem ſi qua vel ex ſacra ſcriptura, vel apud prophanos ſcriptores à dæmonibus miracula facta celebrantur, ea vel illuſione, præſtigiis, & oculi-ſtrigiis edebant, vti ea quæ de ſociis Diomedis in aues; de ſociis Vlyſſis in beſtias: de Arcadibus in lupos conuerſis narrantur à Varrone, ſi non potiùs fabulæ ſunt, & alia id genus infinita: vel occulto naturalium cauſarum interuentu; vt cùm ſanant inuiſibiliter applicando actiua paſſiuis, aut expellendo humores noxios, vel cùm ranas produxere rationibus ſeminalibus vſi, vel ignem de cœlo aliunde in domos Iobi deuexerunt, &c. Vera hæc certè fuerunt, non fucata, vel illuſoria opera: at non vera miracula. Similia multa facturus eſt Antichriſtus, virtute ſcilicet occultâ dæmonum, non Dei. Vnde optimè D. Aug. *Illi* (nempe magi vel dæmones) *hæc faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi priuata commercia vel beneficia: Iſti* (nempe ſancti) *autem publica adminiſtratione, iuſſu eius, cui cuncta creatura ſubiecta eſt:* & mox. *Quapropter aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani. Magi per priuatos contractus* (ſcilicet cum dæmonibus, qui ea operantur, quæ eorum poteſtati in ordine ſuo conceſſa ſunt, vtentes tota qua pollent ſagacitate & virtute ad commiſcendas, extrahendas, tranſuehendas, & componendas vires, ſuccos, halitus, ſemina denique naturalia.) *boni Chriſtiani per publicam iuſtitiam*, (id eſt per veram, legitimam, & plenam auctoritatem ſibi conceſſam ab eo, qui iura omnia præſcribit, & facit:) *mali Chriſtiani, per ſigna publicæ iuſtitiæ.* Dum ſcilicet *per nomen Chriſti, aut verba, aut ſacramenta Chriſtiana exigunt aliquid à poteſtatibus, quibus honori Chriſti cedere, indictum eſt.* Hæc de miraculis ſatis.

Caput XXIII.

DE PLVRALITATE CAVſarum per ordinem ad eumdem effectum.

§. I.

Status quæſtionis, ac ſolutio.

Certvm eſt multis modis poſſe vnum, & eundem effectum à pluribus cauſis exoriri. Primò poteſt à pluribus diuerſorum generum, vt ab efficiente, fine, materia, &c. Secundò à plu-

ribus eiuſdem generis ſubordinatis, vt à ſole, & homine gignitur homo. Tertiò, à pluribus partialibus, vt à pluribus eandem nauem trahentibus.

Difficultas ſolum mouetur, an à pluribus cauſis particularibus eiuſdem ordinis adæquatis, & totalibus poſſit vnus & idem effectus egredi. *Nominales, Suares*, & alij affirmant. Secus *D. Th. Scotus*, eorumque diſcipuli negant. Notandum eſt cauſam adæquatam eam eſſe, quæ ſe ſolâ ſine vllo alio principio eiuſdem ordinis ſufficit ad effectum: & hoc ſenſu, certum eſt naturaliter eundem effectum à duabus cauſis eiuſmodi procreari non poſſe: quia reliquæ pręter vnam forent ſuperfluę: à ſuperfluis autem naturam abhorrere, quis neſciat? 3. d. 1. Met.

Concl. prima: non repugnat, quin duæ cauſæ totales eidem effectui producendo applicentur, in eumque contemperatis actionibus influant: Ita vt earum neutra totâ qua poteſt vi, neque totali actione concurrat. Id lubentiſſimè Nominalibus concedo: neque meâ ſententiâ, negari poteſt. Quidni enim duo baiuli portabunt inſimul pondus, cui ferendo par quiſque eſſet?

Concl. ſecunda, Repugnat, vt duæ cauſæ totales ſimul tota ſua virtute, & actione adæquata, eundem effectum producant. Ita D. Th. *Impoſſibile eſt*, inquit, *quod duæ cauſæ completæ ſint immediatæ vnius, & eiuſdem rei.* Ita Scotus in 3. d. 2. & alij quammulti. Probatur paucis, quia cauſam eſſe actu ſic adæquatam, inuoluit quòd effectus ab ea ita pendeat, vt ſine illa eſſe non poſſit, ac per eius ſolius influxum tota exiſtat. Ergo ſi plures cauſæ particulares hoc ſenſu totales in effectum influunt, is à qualibet earum ſola totum ſuum eſſe ſortitur, quo ſine quacumque alia pleniſſimè ſubſiſtat: à qualibet item eſſentialiter pendet, ita vt ſine ipſa eſſe non poſſit. Ergo, & ſine qualibet eſſe poteſt, & ſine qualibet eſſe non poteſt. Sine qualibet eſſe non poteſt, quando quidem à qualibet vti à cauſa per ſe dependet, *Eſſeque* ſuum ipſi acceptum fert: ſine qualibet eſſe poteſt, quia ſibi ſufficit altera, à qua vtique totum ſuum eſſe independenter à quouis alio ſit mutuatus. Scio Suarez & alios inficiari ex cauſa totali, tam ſtrictum dependentiæ vinculum naſci, vt ſine illa effectus eſſe non valeat. Hoc equidem lego, at non intelligo, tria enim ſunt quæ neceſſario conſecutionis nexu ſecum cohærent: primum, ſi cauſa eſt: ergo ab ea pendet effectus. Secundum ſi pendet, ergo eatenus ſine illâ eſſe non poteſt: pendet enim quatenus eſſe quod ex ſe non habet, à cauſa ſuſcepit: ſi enim haberet, fruſtrà ſuſciperet: ſi ſuſcipit, & aliunde non habet, certè niſi ſuſciperet, non haberet: atque ita non exiſteret: Hinc conſequentias iſtas inficiabitur nemo: ſi vita corporis pendet ab anima, nequit corpus viuere ſine anima: ſi lux pendet à ſole quoad eſſe, nequit eſſe illa ſine hoc, &c. Tertium denique quod neceſſariò infertur, eſt, ſi vna eſt adæquata cauſa: Ergo ea poſita, & ablatis reliquis, erit effectus: alioquin quomodo ex adæquata huiuſmodi cauſa Logici concluſionem infallibilem inferrent? viden' ergo, vt ſi plures ſint cauſæ totales, à ſingulis effectus neceſſariò penderet, & non penderet. 1 p. q. 52. a. 3.

Phyſica.

Confirmatur, quia effectus ille duabus actionibus fieret, & non fieret: ſingulæ ſiquidem cauſæ totales agerent ſecundum virtutes ſuas, æqualiter perfectas, neque vllomodo ſubordinatas. Ergo diuerſas elicerent actiones, præſertim quia ceſſante actione vnius, altera nihilominus totum efficeret: alioquin, ſi vnica foret actio, hæc à pluribus illis cauſis penderet, Quamobrem nulla cauſa eſſet ſufficiens, quia non poſſet ſine altera in actum exeri. Aliunde ſi vnicus ſit effectus duæ non poſſunt eſſe actiones: niſi velis idem bis produci, neque tamen per ſecundam actionem quidquam illi aduenire, quod prius non habuerit: eâ quid igitur agetur? quid fiet? repugnat actiones diſtingui, niſi ſaltem diſtinguantur & termini, at hic vnicus eſt terminus.

§. 2.

Soluuntur obiecta.

OBIICIVNT primò: dum plures ſacerdotes ſimul inaugurantur, iubentur ſimul quoad fieri poteſt, proferre verba conſecrationis cum intentione faciendi corpus Domini noſtri. Si ergo plures in idem temporis momentum concurrant, conſecrabunt vt cauſæ totales: Ergo. Reſpondet D. Th. *Quòd ſi quilibet ſacerdotum operaretur in virtute propria, ſuperfluerent alij celebrantes, vno ſufficienter celebrante: ſed quia ſacerdos non conſecrat, niſi in perſona Chriſti, multi autem ſunt* 3.p.q. 82.a.2.ad 2. *vnum in Chriſto*: ex illis pluribus non efficitur niſi vnica cauſa inſtrumentalis. Dico ergo illos ſacerdotes tunc, ſi concurrant, non concurrere vt cauſas totales, quia Deus qui cauſa principalis eſt, & cuius virtute conſecrant, ſingulas actiones temperaret, omneſque illos in vnam veluti cauſam redigeret.

Obijc. ſecundo, poſſum idem iter ſuſcipere propter duos fines totales, quorum vterque ſufficiat ad me mouendum. Ergo pari ratione quidni à duobus agentibus poterit idem effectus exoriri? Reſp. alterum ex illis finibus eſſe dumtaxat adæquatum in potentia; quia deficiente altero, certè hic ſufficeret ad mouendum, ſed interim alio mouente, hic actu non mouet. Reſp. ſecundò, à duobus his finibus elici poſſe duas intentiones diuerſas, quæ ſunt effectus immediati finium.

Obijc. tertiò, plura accidentia eiuſdem ſpeciei poſſunt idem ſubiectum actuare, plura corpora eundem locum implere. Ergo à ſimili. Reſp. primò, illud quod de accidentibus refertur, negari à Thomiſtis & meritò, ſed de hoc aliàs: Reſp. ſecundò, ſi plura ſimul accidentia, eidem ſubiecto ſic inſiderent, diuerſos effectus formales procul dubio ederent, multiplex albedo multiplex album formaliter faceret. Ita plura corpora in eodem loco concluſa totidem præſentias afferrent; quare neganda eſt conſequentia.

Obijc. quartò, ſit ſtuppa duobus ignibus ex æquo vicina, niſi totaliter ab ambobus accendatur, à quo eorum actio determinabitur? R. ab authore naturæ, cuius eſt per prouidentiam ſingulas ſingularium

agentium

agentium actiones moderari: vel certè ignis emitteret quidem ex ſe calorem igniferum: ſed nihil efficietur in ſtuppa virtute illius: quia quidquid poſſet inducere, illud iam totum ab altero inducatur. Porrò ſi huius argumenti vis vlla ſit, probat id quoque naturaliter eſſe poſſibile.

CAPVT XXIV.

DE EADEM CAVSA COMparata cum diuerſis effectibus.

§. I.

Status quæſtionis & ſolutio.

PRIMO, Certum eſt poſſe ab eadem cauſa multos effectus oriri: quot enim à ſole quotidie prodeunt? quot formas eadem materia ſuſcipit? &c.

Quæſtio eſt an vna cauſa poſſit ſeſe extendere ad quoſlibet effectus alterius eiuſdem rationis, v.g. ſint duo ignes: alter vocetur A, alter B, quæritur vtrum quicumque effectus poſſunt prouenire ab igni A, poſſint etiam ab igni B: & nota quòd duobus modis poteſt aliqua cauſa effectum edere: primo modo per ſe: ſecundo modo per accidens: illa directè, & immediatè, & vi propria producit: iſta indirectè, ac per aliud, & quaſi citra intentionem: quomodo qui leonem vulnerat, cauſa cadaueris eſt, ſed per accidens, quia effuſo ſanguine, anima leonis extinguitur; qua extincta ſubit neceſſariò forma cadaueris. De hac non loquimur, certum enim eſt, quòd à quocumque occidatur leo, idem numero cadauer fiat: ita de cæteris. Solùm ergo de cauſa per ſe ſermo eſt: his poſitis.

a Prima ſententia eſt non poſſe ab vna cauſa effici per ſe, id quod per ſe fieri poteſt ab alia, ne quidem diuinitùs: ita Thomiſtæ. *a* Soncin. ſ. Met. q. 5. Capr. in 2. d. 20. Iauell. ſ. Met. Complut.

b Secunda eſt contrà, poſſe id quidem fieri etiam naturaliter.

Tertia eſſe poteſt quodammodo media, nimirum poſſe id diuina virtute fieri: non poſſe verò naturali: quod duabus ſequentibus concluſionibus poteſt ita decerni.

CONCL. prima: Admodum probabile eſt, quod effectus, qui per ſe ab vna cauſa prodeunt, non potuerint ab alia proficiſci, tametſi ſub iiſdem circumſtantiis loci, temporis, & ſubiecti ſupponatur conſtituta. Hoc ſaltem voluit D. Thom. cùm ait: *Impoſſibile eſt eundem filium naſci, ſiue ſit alius pater, ſiue alia mater; ſicut etiam non eſt idem numero ſigillum, ſiue ſit alia cera, ſiue ſit aliud corpus ſigilli, ex cuius impreſſione cera ſigillatur.* *b* Sc. in 2. d. 2. Suarez diſp. 26. Mend diſp. 10. Quodl. ſ. a 8.

Ratio inde peti poteſt, quòd rationi ſit maximè conſentaneum di-

cere, cuiuſlibet cauſæ potentiam eſſe determinatam ad determinatos effectus: ita vt certa quædam ac definita collectio indiuiduorum cuilibet cauſæ, ſit ab authore naturæ ſecundùm præfinitum artis, & prouidentiæ Mundanæ ordinem adiudicata. Sic planè decuit diuinam ſapientiam eius, qui omnia in numero, pondere, & menſura conſtituit, vt certas in ſingulis certorum numerorum origines inſereret, vt inde tales ac tot numero effectus: illinc tot alij naſcerentur. Quamobrem à D. Aug. rationes ſeminales numeri cauſales dicuntur: & à Platone Deus in condendo mundo Geometricis numeris fuiſſe delectatus aſſeritur: quatenus diſtinctam cuique diſtribuit numeratilis huius multiplicationis partem, ac germen. Alioquin cuiuſlibet indiuidui virtus poſſet in totam & vniuerſam naturam, ſpeciemue effectuum ſeſe extendere, quod tamen excedit terminos virtutis limitatæ in limitato indiuiduo: ad hæc inter notas characteriſticas, & proprietates indiuiduationis, quas antiqui omnes cùm Philoſophi, tum ſacri Doctores admiſerunt, ſemper iidem accenſuerunt relationem effectus ad cauſam, vt quòd ſit Filius Sophroniſci; &c. Ergo ex quo quidpiam fit ab hac cauſa, contrahit quandam differentiam indiuidualem, quam vtique non haberet, ſi fuiſſet ab alia.

3. de Trin. c 7. apud Plut. l. 8. conui.

Adde quòd cum omne agens intendat ſimile, & effectus omnis eſſentialiter ſit participatio quædam illius formæ, cuius efficacitate producitur, hinc omnis effectus eſſentialem contrahit ordinem dependentiæ, & ſimilitudinis ad cauſam; vtrumque enim inuoluit hæc participationis notio, vt per ſe patet. Quòd autem eſſentialem habet ordinem dependentiæ & conuenientiæ ad vnam aliquam cauſam, non poteſt non ab illa prodiiſſe: eoque mutato ordine, mutatur & indiuiduatio rei.

Dices, quælibet cauſa eiuſdem ſpeciei habet eandem virtutem: cur ergo non poteſt quidquid poteſt altera eiuſdem ſpeciei? Reſp. ad anteced. Quod habeat quidem eandem virtutem ſpecificam, ideo poteſt efficere, quidquid eiuſdem rationis poteſt fieri ab alia; ſed eam habet limitatam differentiâ ſuâ indiuiduali; ideo non poteſt niſi limitatam, & definitam talium effectuum multitudinem facere.

Conclvsio ſecunda: quamquam non ſit improbabilis ſententia Thomiſtarum, quòd ne id quidem effici poſſit ſupernaturaliter, cum id quodammodo probare videatur vltimũ argumentum; nihilònus probabilius exiſtimo, quòd poſſit hoc diuinitus fieri: nam diuinæ omnipotentiæ ſemper plus concedendum eſt, quàm poſſimus cogitare: aliunde non apparet vlla contradictio.

Dices; contradictio eſt, quòd vnus effectus indiuiduetur per ordinem ad vnam cauſam; & tamen ſit idem numero effectus ſine ordine ad talem cauſam: item quòd habeat eſſentialem ordinem participationis à tali cauſa, & tamen non ſit per participationem à tali cauſa, eſſet enim tunc, & non eſſet participatio talis cauſæ. Reſp. Si hoc eſſet verum, ſequeretur ne quidem à ſolo Deo poſſe idem numero effici, quod à cauſa ſecundá exigeret fieri: quod audeant alij. Ego non

auſim aſſerere: ſi autem poteſt Deus per ſemetipſum creando Bucephalum producere, quidni per alium equum gignere non potuiſſet?

Reſp. Ergo, relationem effectus ad cauſam, & ordinem dependentiæ & ſimilitudinis, qui ſub notione participationis inuoluitur, non primariò, ſed ſecundariò tantùm, ac ſecundum ordinationem naturæ vniuerſalis, (quam toties Dei artem nuncupauimus,) pertinere ad ipſam rerum indiuiduationem: primaria enim ratio indiuiduationis ex parte ſubiecti eſt materia, vt ſuprà; ex parte verò principij, eſt idea diuina ſecundùm vim peculiarem, quam ex peculiari, determinataq; intentione diuinæ prouidentiæ, Deus in hoc indiuiduo potiùs, quam in illo expreſſit, vt diximus in Logica: ideo iſtud primariò participatione Dei fit: eſtque illius formæ exemplaris imitamen. Quia tamen Deus ſecundum artem illam, qua mundum fabricatus eſt, tales ſui participationes noluit immediatè per ſemetipſum fieri, ſed per intermedias cauſas quas ordinauit: ideo nihil modo in natura efficitur, neq; indiuiduatur, quod non ſecundarium illum ordinem ad ſuas cauſas ſecundas habeat: at non propterea ſequitur, quin ſine huiuſmodi ordine res ipſe poſſit quaſlibet, vel per ſe, vel per quaſlibet alias cauſas edere, modo non aliunde contingat vlla contradictio: quod addo maximè propter actus vitales; nam fortè intellectio, qua nunc intelligo, non potuiſſet per ſolùm lapidem elici, tametſi per quemcumque alium intellectum, Deo volente, potuiſſe id libentiſſimè fateor. Sic de cæteris.

CAPVT XXV.

DE CAVSA COMPARATA cum ſubiecto patiente.

§. I.

Status quæſtionis.

QVÆSTIO quæ hic mouetur hæc eſt, vtrum cauſa quæ agit, debeat ſemper eſſe coniuncta ſubiecto, in quod agit, an verò poſſit agere in diſtans, ita vt non agat priùs in medium.

Duobus autem modis poteſt cauſa coniungi paſſo; vno per ſuam ſubſtantiam, ſicut ignis coniungitur ligno, quod lambit vndique: & tunc dicitur immediata immediatione ſuppoſiti: alio per virtutem quam diffundit per medium vſque ad ſubiectum in quo effectum parit, ſicut ſol per lumen & calorem agit in viſceribus terræ, & tunc dicitur immediata immediatione virtutis.

Aliter explicatur illa immediatio ſuppoſiti ſic: agens illud ſolum dè

citur agere immediatè ſecundùm ſuppoſitum, quando inter illud, & paſſum, nullum aliud agens intercedit, ſicut cum Deus creat, vel immediatè in materia miraculoſi quidpiam facit nullo coagente. Vbi verò agens intermedium fuerit, quale eſt vel inſtrumentum, vel cauſa ſubordinata, ibi ſuperius, aut principalius agens cenſetur agere ſolùm immediatè ſecundum virtutem, non ſecundum ſuppoſitum; vt quando faber mediante malleo tundit ferrum.

Hinc infertur quòd quantò ſuperius eſt agens principale, tantò immediatius agat immediatione virtutis, quia tantò magis agit virtute propria, & tantò minus virtute aliena: & quantò agens eſt inferiùs, tantò immediatius immediatione ſuppoſiti, quia tantò minùs agit per aliud ſibi ſubordinatum: hæc vera ſunt, ſed prior ſenſus magis ad præſentem quæſtionem facit.

Certum eſt autem non ſemper opus eſſe, vt agens immediatè quoad ſuppoſitum omnino cohæreat paſſo: ſatis eſt, ſi virtutis influxu illud attineat. In quo tamen adhuc diſtinctione opus eſt: vel enim agens effectum parit per emanationem, vel per productionem Phyſicam. Si primum, immediatum ſemper eſt, immediatione ſuppoſiti: quia quod eo modo influit, ex ſeipſo immediatè per quandam propriæ formæ velut exuberantiam rem immanentem, ſicut fons riuulum, emittit: ad eum fermè modum, quo anima vitam corpori communicat. In eiuſmodi autem agentibus veriſſimum eſſe reor illud D. Thom. proloquium, quòd vbi agere non diſtinguitur ab eſſe, ibi nec poſſe ab eſſentia differat: & hoc maximoperè notandum eſt: quia hinc diuini numinis immenſitas efficaciſſimè demonſtratur ex eius operatione, qua res omnes ab illo perenni fluxu emanant. Idem quoque intelligendum eſt de operatione, quæ prodit per virtutem inſeparabilem ab agente, qualis eſt actio vitalis, quæ fluit ex potentiis animæ, vt viſio, nutritio, intellectio: quia enim hæ potentiæ nequeunt diffundi extra animam, ideo non agunt in diſtans.

Secundum verò agens, quod productione Phyſica effectum progenerat, quandoque ſuæ contactu ſubſtantiæ; quandoque ſolius virtutis influxu, ſubiectum inuadit, in quo effectum depromit, & exerit: & de hoc quæritur an neceſſe ſit, vt omne agens huiuſcemodi vitutem aliquam per totum medium traiiciat, donec ſubiectum in quod actionem ſuam dirigit, intento formæ ſubſtantialis germine fœcundauerit.

In 1.d 37. *Nominales* negant id eſſe neceſſarium: cenſent enim poſſe agentia immediatè ſuum effectum in diſſito, ac longinquo ſubiecto parturire, quin medium vlla qualitate vel virtute intingatur. Sic apud illos obiecta quæuis, puta colores, odores, ſoni, &c. in organis à quibus diſtant, immediatè actus ſentiendi producunt: ita vt nulla virtus intentionalis per aëra tranſpiretur, &c. certam nihilominus locorum intercapedinem ſingulis cauſis præfixam eſſe, vltra quam agere non poſſint: denique medium tale, aut tantum exigi, non ad tranſuehendam virtutem auxiliarem, ſed veluti conditionem à natura præſcriptam ad hoc vt agant. Fundamenta verò præcipua quibus innituntur, ſunt quòd

illa virtus interuallaris, ſeu intermedia ſit ſuperflua. Secundò, quòd multa ſic deprehendantur in diſtans agere vt magnes in ferrum; lupus in hominem cui raucedinem afflat, &c. inde repudiant vires occultas; velut quoddam ignorantiæ ſubſidium; quod à ſolis ἀφιλοσόφοις requiratur.

Scotiſtæ ſuum ſequuti anteſignanum volũt omne agens naturale priùs quidem in medium coniunctum influere, ac per illud tamen in paſſum diſſitum, vires exercere ſuas: in quo videntur à Nominalibus diſſentire. Item virtutes occultas approbant: ſpecieſque intentionales, &c. cæterum id ita interpretantur, vt tunc ſolùm agens agat in medium, cùm iſtud capax fuerit illius actionis recipiendæ, vt contingit in ſole illuminante, in igne calefaciente, &c. ſi verò agens duplici virtute polleat, & earum altera tantùm repererit medium ſui capax, hæc in eo ſeſe propagabit, ſuæque natiuæ operationis veſtigia imprimet, alterâ, nec ſparſâ per illud, nec in illo ſui ſpargente operationem principij. v. g. ſol habet vim illuminandi, habet & generandi animalcula, plantas, mineralia, &c. vim illuminandi diffundit in cælum, in aëra, & in cætera: vim generandi ſolùm luto, terræque viſceribus, vbi hæc gignit, immediate applicat: nec per alteram huc illam mirabilem fœcunditatem tranſuehit, ſed perinde ac ſi nihil virtutis è ſole ſcaturiret in medium; imò ac ſi medium nullum terram à ſole diſiungeret, ita ſol immediatè vi & efficacitate ſubſtantiæ ſuæ totum in ea, quod inde naſcitur, parturit: actione ſcilicet ſolis ab ipſo ſole immediatè in terram tranſmeante. Denique ſi agens nulla polleat virtute, quæ ſit apta in medio propagari, tunc immediatè ſubiectum, quod proportionatum fuerit, tametſi diſtans excitat, in eoque vim ſuam explet, opuſque perficit, ſic vnus Angelus in alio multum diſtante immediatè nouas vel ſpecies, vel intellectiones exſuſcitat. Hæc eſt ſententia Scotiſtarum.

In I. d. 37. in 7. Phyſ. Aretin. ibid. Camer. hic, &c.

Tertia verò ſententia eſt Ariſtotelis & antiquorum omnium eius interpretum in 7. Phyſ. quem ſequitur D. Tho. eiuſque omnes aſſeclæ; ſcilicet non poſſe agens vllum in diſtans agere, quin virtus, qua ſuum effectum procul molitur, priùs in totam mediam intercapedinem diffundatur.

§. 2.

Solutio quæſtionis.

CONCLVSIO: Hæc tertia ſententia multò videtur probabilior cæteris, Id clarè docet Ariſt. in 7. Phyſ. & inductione omnium motuum probat: ac denique concludit *commune eſſe omni, quòd mouet, vt inter illud, & hoc quod mouetur nihil ſit*; & quidem de actionibus immanentibus, & emanantibus certum eſt, vt ſuprà diximus: de motu locali, & de accretione non dubium, de generatione conſtat eam non fieri, niſi priùs agens contactu quoque ſubſtantiali paſſum fœcundas-

uerit, in eoque vim ſui propagatricem reliquerit. De alteratione de-nique patet, quia in ijs quæ nobis ſunt manifeſta, experimur priùs ſemper alterari medium, quam diſtans, ex manifeſtis autem occulta conijco.

Ratio à priori hæc reddi poteſt, quòd omne perfectibile ſola proprij perfectiui vnione perfici valeat. Hinc quidquid eſt indigens appetit vniri ei, à quo ſuppleri eius poſſit inopia, ſicut hedera parieti, materia formæ, &c. hinc amor coniunctionem operatur, &c. atqui omne paſſum eſt quidpiam perfectibile ab agente. Ergo.

Iſtud iam à poſteriori multipliciter probatur, primò, quia experimento indubitatiſſimo probatur actiones quæ fiunt per potentias inſeparabiles, non poſſe fieri procul ab earum principijs, quare? Dices forte, quia ſunt actiones vitales, contrà: quæro enim cur actio vitalis nequeat produci longe à viuente principio? Item habitus non eſt actio vitalis, cur ergo ego nō poſſim in animo tuo producere habitum? Certe ratio vnica eſt, quòd quæcumque nequeunt foras extra ſe, vim qua operantur, diffundere, nequeant etiam opus vllum ex ea promanans extra ſeſe efficere. Ergo quæcunque in diſtante materia producunt aliquid, eò virtutem prorogant, qua illud producant.

Secundò, fatentur omnes cuilibet agenti ſphæram ſuæ actiuitatis eſſe limitatam, & prætereà in ea illud difformiter vniformiter agere, hoc eſt cum æquali inæqualitate tantò imbecilliùs agere, quantò diſtantiùs. Id verò ſignum eſt euidentiſſimum virtutem aliquam ab agente prodire, quæ ſe viciſſim propaget in aëre, ſicut videmus, dum quis in fluuium lapidem proiecit, inde primo cieri orbicularem agitationem, ex hac aliam, & ita deinceps, ita vt poſteriores ſemper leuiores appareant, quia in his virtus primi mouentis, tantò magis debilitatur, quantò magis ab illo abſcedit. Idem in cæteris agentibus fit.

Aduerſarij reſpondent vt ſit determinata ſphæra efficacitatis agentium, & vt vniformiter difformiter agant, id ex natura eorum agentium procedere: ſed contrà primò, quotiens patet ratio manifeſta, cur ad occultam confugitis? Secundò, item quòd actio debilior fluat, hoc vel ex impedimento prouenit, vel ex diminutione virtutis, ſed in diſtanti neque virtus diminutior eſſet; neque maius impedimentum, quam in proximo. Ergo in diſtanti actio non deberet eſſe debilior, quàm in vicino. Tertiò, qui volunt Angelum poſſe è loco in locum tranſmigrare, non dimetiendo medium, cenſent quoque illi non eſſe difficilius è cælo in terram, quam è ſtella in ſtellam proximam tranſcurrere. Eadem ratione, quia cogitando poſſumus ab vno extremo in aliud traduci, æqua etiam facilitate empyreum immediatè poſt inferos poſſum cogitare, qua laquear poſt pauimentum. Quartò, cur vacuum natura tanto ſtudio deuitat? Quid accuratiùs intendit, quam ſummā, & admirabilem vnionem, necnon vniformem conſpirationem omnium partium vniuerſi? Atque in hoc non ſine ſtupenda ſupremi moderatoris arte videmus omnia mutuò ſibi colligata & cohærentia, ob nihil aliud, quam vt inuicem agant, aut patiantur.

Quintò, denique nihil agit vbi non eſt, & quidem priùs natura debet cauſa paſſo adeſſe, quàm effectus in auram prodeat: effectus item omnis fit participatione ſuæ cauſæ, participatio autem fit per modum ſigillationis, quando virtus agentis, quam poſſis dicere ſubſtantiæ characterem, ſigillarem in materia relinquit imaginem. Hæc omnia virtutis ſaltem, ſi non ſubſtantiæ, diffuſionem arguunt: concludo igitur his verbis comment. in 2. de anima, *Qualibet virtus naturalis diffundit actionem ſuam circa ſpharicè.*

§. 3.

Obiecta diluuntur.

OBIIC. primò, agens naturale intenſiùs agit in diſtans, quam in proximum. Ergo non agit priùs in medium. Antec. probatur primò, ex reflexione luminis incidentis in corpus opacum: inde enim ipſum fit intenſius, adeo vt ignem aliquando gignant reflexi radij, quem directi non potuiſſent.

Secundò, ex eo quòd dum ſol per feneſtram illuminat domum, magis illuſtret loca remotiora ſibi per rectam lineam oppoſita, quàm propinquiora, quæ ad latus hinc inde recedunt.

Tertiò, quia ignis accendit ſtuppam paululùm diſtantem, aëre medio non inflammato.

Quartò, quia ſæpe in olla ſuperpoſita igni, aqua ſuperior ebullit, dum aqua inferior vix tepeſcit.

Quintò, quia ſi charta oleo illita igni ſuperponatur, ebulliet oleum, ita vt oua frigi valeant, chartâ manente incolumi, &c. Ergo datur actio in diſtans.

Reſp. nihil horum efficere, quod intendunt: negandum eſt enim primum Ant. vtque ad probationes efficaciùs reſpondeatur, ſupponendum eſt medium ſæpe non eſſe ita capax ſuſcipiendæ formæ, quæ terminus eſt actionis, quàm ſubiectum remotius: ſic dum ſol lumen per cælum traijcit, nec ranam ibi generat, imo nec calorem ſpargit, (ſi ſententia veterum vera ſit:) quia cælum his formis excipiendis idoneum non eſt, & tamen tota efficacia ſolis radicitus vigens in lumine, in cælo nobiliùs, & actuoſius diffunditur, quàm in aëre, quia propiùs manat à fontali ſuo principio, & è longinquiori loco ſolarem proſpirat influxum. Sic primò, lumen in opaco corpore intenſiùs naturâ producitur, quàm in rariori: vnde ardorem auget, ex quo ſequitur flamma, ſed hoc per accidens eſt, ſicut per accidens eſt quòd minor calor in ferro citiùs manum vrat, quam flamma in aëre. Ita tertiam, & quintam inſtantiam ſolue.

Ad ſecundam, hoc à natura ſingulis agentibus eſt inditum, vt fortiùs, & efficaciùs agant in lineam rectam, quàm in obliquam, imò non agunt propriè in tranſuerſum, niſi quatenus qualitates ab illis exeuntes, alias hinc inde ſicut lux radios eiaculantur: cùm tamen propria &

immediata principalis agentis actio rectâ collinet.

Ad tertiam, ignis non accendit aërem, quia minùs eſt idoneus inflammationi, quàm ſtuppa.

Ad quartam, aqua in ollæ fundo minus incaleſcit, quam in parte ſuperiori, quoniam partes magis terreæ ibi copioſiùs adhærent. Initio tamen fuerat calidior, quia ob circumſtans frigus aquæ ſuperioris cohibebatur, ſicut contingit in puteo, vbi hieme fundum calidius eſt, æſtate verò frigidius.

Ad quintam, charta minùs eſt habilis ad feruorem, quàm oleum: ideo benè poteſt illâ non feruente, hoc efferueſcere.

Obiic. ſecundò, multa ſunt, quæ mirabiles effectus in remoto ſubiecto peragunt, nec tamen aſſignari poteſt virtus vlla, qua id poſſint. v. g. Echineis nauem vento quamquam vehementiſſimo perflante ſiſtit: torpedo piſcatoris manum, reti nequaquam alterato, ſtupefacit: lupus viſo à ſe homini raucedinem immittit: mulierculæ ſolo viſu pueros faſcinant, imo & necant aliquando: magnes ferrum prolicit: denique quid de ijs quæ ſolo ſympathiæ, vel antipathiæ occurſu contingunt, dici vnquam poteſt, aut cogitari mirabilius? Et tamen in hiſce ac ſimilibus, quænam virtus traiectitia fingi poteſt? Pro reſponſione ſit ſeq.

Capvt XXVI.

DE VIRIBVS OCCVLTIS.

§. 1.

Quòd ſint.

QVONIAM ea, quæ modo adducta ſunt, ſtupendam prorſus naturæ induſtriam, atque ineffabilem artis diuinæ profunditatem manifeſtant, è re Philoſophicâ viſum fuit, vt hic paulò diffuſiorem de arcanis huiuſcemodi viribus ſermonē aggrediamur. Vno igitur verbo reſpondeo, effectus omnes illos fieri, ancillantibus quibuſdam virtutibus per medium propagatis, quas quidem conijcere facillimum ſit, at definire difficillimum, ideo vocantur occultæ.

Cap. 1. v. 8. De ijs hoc imprimis ſtatuendum eſt, quod ait Eccleſiaſtes, *Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone*, itemque iſtud quod

C. 16 v. 21. Eccleſiaſticus: *Plurima Dei opera ſunt in abſconſis.* Ideo iure hoc ex Theophraſto cordatiores laudant Philoſophi, *Quòd qui de omnibus rationem quærunt, primam cauſam rationis negant.*

Multa ſunt in natura maieſtate penitus ab- Ergo modeſtos admodum nos eſſe oportet in rebus Phyſicis indagandis, cùm certum ſit omnium virium naturalium cauſas nondum eſſe explicatas: id quod vel ex prophanis Philoſophis quam multi coacti ſunt profiteri, vt Ariſt. in Ethicis qui *non in omnibus*, inquit, *quærenda*

renda cauſa eſt. ſed ſatis in quibuſdam fuerit, ſi demonſtretur, quod ſint, & Plato 7. de leg. *exquiſitè cuncta perquirere nec facile eſt, nec poſſibile.*

dicta Plin. l. 2. c. 96.

Porro concedi oportere vires occultas manifeſtè conuincimur infinitis experimentis. v. g. quis vnquam herbarum, metallorum, & aliarum rerum vires ſanandis morbis perutiles, prauis humoribus expurgandis, ſedandis aut commouendis affectibus, & reliquis huiuſmodi peragendis aptiſſimas habuit vnquam ſatis exploratas? Quis fari queat, cur oculi cancrorum frangant calculum in renibus natum, non verò reliquæ carnes, vel cortices? Cur cranium hominis, frigidum licet, itemque coagulum leporinum cum aceto potum Epilepticis proſit? Cur bugloſſum cordi, ſaluia cerebro, tuſſilago pulmoni, ſcolopendrium reni gratum ſit, ac ſalubre? Cur ſapphirus anthracem peſtilentem, & epiphoras oculorum; ſmaragdus febres, dyſenteriam, fluxus inueteratos, venenaque ſerpentum; amethyſtus ebrietatem curant? Cur praſius viſum confortat: topaſius ſiſtit ſanguinem, &c. Mitto infinita id genus alexipharmaca: ſolùm hic cautionem adhiberi velim quam maximam, ne citiùs credamus ijs quæ occultarum huiuſmodi proprietatum efficacia fieri ſæpe iactitantur, cùm magicæ artes crebrò immiſceantur. Quemadmodum ſine dubio contingit in experimentis plurimis, quæ ſolent à multis in hoc argumentum adnotari, vt apud Goclenium medicum Marpurgenſem, quòd Ophtalmius reddat fures inuiſibiles; Diadothos oſtendat ſpecies dæmonum, & oracula reddat, ananchitide ſpiritus euocentur, & teneantur, &c. huc amuleta, præcantationes, faſcini & ſimilia reuocentur: á quibus omnibus cauendum eſt, vt maximè.

Multa ſunt in rerum natura, quorum ratio reddi nõ poteſt, modum humana mentis excedentia, & Deo duntaxat cognita. Alex. Aphrod.

At ne propterea putemus tales vires ita occultas eſſe, vt nulla illarum ratio reddi queat; multarum enim ſecreta iugi & ſolerti meditationum examine fuiſſe à Phyſicis deprehenſa per ſe ſatis eſt euidens, his præmiſſis

Ad ſingula Reſp. primò illud de Echineide variè ab authoribus expediri. Sunt qui velint nauem non ab illo piſce, ſed à ſcopulo inibi fixo retardari: alij dicunt Echineidem, (aliter remoram,) haud longè à quibuſdam rupibus morari, quibus inſit vis ſiſtendi naues vel concitatiſſimas; at ſi Periandri, Antigoni, & Caligulæ hiſtoriæ fidendum ſit, quæram cur vbi horum naues conſtitere, nullæ aliæ hâc tranſuectæ ſubſiderint? Cur illi ſcopuli faciliùs, quam remora non occurrerunt quærentibus? Alij neſcio quid vacui ſomniant, quod mutuis atomorum effluxibus reparari debuiſſet. Sed heu qualis hæc fuit vis inanium huiuſmodi atomorum ex vno piſciculo exeuntium, vt nauem ſecundis ventis impulſam cohiberet? Eccur ibi vacuum? Cur aliunde impleri non potuiſſet? Rectiùs certè Scaliger, vt quibuſdam inquit, à Deo mouendi poteſtas eſt collata; ſicut magneti: ita & alijs, retinendi, vt remoræ. Vtraque hæc qualitas occulta, effectum tamen prodit manifeſtum, vt inde manifeſtiùs quoque appareat, quàm ſit ineffabilis poteſtas conditoris.

Exercit. 218.

Torpedo, quam Echineidem eſſe hallucinati quidem ſenſere, vim

ſimiliter occultam per rete traducit in manum piſcatoris, quam non immobilem, vt multi dicunt, ſed tremulam reddit. Effectum hunc non parit in reti, quia huius non eſt ſubiectum idoneum.

Quod de lupo narratur, fabula eſt, ſi Scaligero credimus, teſtanti ſe contrarium ſæpius expertum fuiſſe, qui ſiue prior viderit lupum, ſiue priùs à lupo viſus fuerit, ſemper tamen incolumi gutture, ac plenis faucibus inclamauit. Quare ſi qui aliquando rauci euaſerunt, aut nimius clamor hoc, aut timor fecit.

Mulieres faſcinantes quidni per dæmonem virus malitiæ procul effundant? At quidni etiam peſtilenti afflatu, toruoque aſpectu per effluentes ſpiritus viſui ſeruientes aërem inficiant; noxiumque, & toxicum venenum, non aliter quam iaculum infe[illegible] in faſcinando euibrent, ac iaculentur? At è vetulis cur tale virus faciliùs exoritur? Reſp. quoniam hæ fuliginoſis halitibus, & vaporibus (ſuppreſſis menſtruis) magis abundant: atque intenſiùs, & diutiùs rem inſpiciunt.

§ 2.

Sympathiæ & antipathiæ mirabiles effectus.

DIGRESSIO III.

MIRARI ſanè nuſquam ſatis poſſumus ſtupendam illam rerum naturalium conſenſionem, vel auerſionem, qua ſibi mutuò ſe res quam plurimæ conſociare, vel auellere occulto ductu, ſed euidente motu enituntur. συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν vocant, illa Ciceroni eſt continuatio, conuenientiaque naturæ, *in ijs videlicet vigens quæ communem quandam in natura radicem habent, atque cognationem, non quidem ita vt ea ſolum*
Exercit. 34. *συμπαθεία colligentur, quæ genere conueniunt, quemadmodum ſubintellexit Scaliger. Nam heterogenea ſæpe ſympathia ſociantur: & contrà homogenea mirabili laborant antipathia, vt ſtatim videbimus: dicitur ergo continuatio eò quod in communi centro, & radice primordiali motuum ſuorum, (quæ vel ſpiritus communis eſt; vel Deus ipſe, prout natura naturans eſt,) fundantur proportionali quodam & harmonico virium naturalium numero, ſeu correſpondentia, vt dicemus inferiùs. E contrariò antipathia eſt naturæ repugnantia in ijs potiſſimùm ſe prodens, quæ oppoſitam habent virium naturalium rationem.*

Συμπαθείας gradus 6. ſolent à quibuſdam diſtingui, primus inter metalla & gemmas, vt inter aurum & corallium: ſecundus, inter metalla & plantas, vt inter aurum, & ſurculum coryli, eo enim venas auri, vel theſauros ſub terra reconditos explorari aſſerunt qui ſunt experti, virga namque coryli extremis digitis ſuſpenſa, vel in terram proiecta huc ſe inflectit, vbi aureum illud pabulum retinetur. Vires porro coryli augent ſucci minerales, ex quibus in terra nutritur, virgam illam ob id diuinam *appellant. Tertius gradus inter plantas & ſolem vt de heliotropio notum eſt; atque etiam de trifolio flòris colorem ter de die mutante ad ſolem, mane ſc. meridie, &*

522

veſpere. Quartus inter plantam & plantam, vt inter rutam & ficum: ambæ namque ex mutua vicinitate feliciùs ſuccreſcunt, ita lilia & roſa dicuntur mutuò conſpirare, & adhuc flagrantiores odores ſpargere, ſi iuxtà ſit allium. Quintus inter plantas & animalia: vnde quædam ad ficum alligata faciliùs manſueſcunt: ſextus denique inter animalia ipſa, vt inter hominem & lacertam, quæ teſte Porta Neapolitano hominem aduerſus ſerpentem in vicino latentem quaſi præmonitura caput eleuat, & arrepit, vt ſaliuam eius lambat.

Sunt præterea & alij gradus præſertim in medicina notiſſimi. Hucque poteſt reuocari quod dicitur de puluere ſympathiæ, qui ex Chalcanto, ſeu vitriolo calcinato fit, de quo infrà.

E contrario antipathiæ gradus ſunt varij, inter plantas vt inter vitem & braſſicam; inter plantas & animalia, vt inter rutam, & ſerpentem; inter polypodium & cancrum, &c. Inter animalia vt inter hominem & ſerpentem, lupum & ouem, &c. Præterea omnia fere pharmaca, vt plurimùm ſunt antipathetica. Mirabilius eſt, quod quidam tantam cum ouis, roſis, malis, & ſimilibus antipathiam à natura contraxerint, vt clam illis admotis, hi tametſi neſcientes in deliquium prolabantur. Goclenius recitat exempla quorumdam: qui quoties fraga comediſſent, in cutaneum ſubito affectum incidebant, vt tumor, rubor, ac pruritus totius cutis eos infeſtarent; itemque cuiuſdam hominis, qui filium legitimum ita fuit auerſatus, vt eo conſpecto, quamquam diſtante, deliquium pati conſueſceret. Hactenus patentes effectus narrauimus: at cauſæ occultæ ſunt, commune reſponſum eſt, quod hæc à viribus occultis fiant, certiſſimum quidem, at quid illæ ſint, aut certe vnde oriantur, ſcire cupit curioſus. Phyſ. 1. t.

§. 3.

Vnde proueniant.

QVI Epicuream ſectantur atomologiam, vires occultas repudiant, omniaque ſuis atomis conantur explicare, ſed perſape ijs ſunt ſimiles, qui ſomniant ſe theſauros reperiſſe, qui expergefacti ſe nihilo ditiores inueniunt. Ita cum ſibi viſi fuerint veritatis arcana penetraſſe, nihilo feliciùs dubiorum tenebras diſcuſſerunt. Fingunt hi continua è corporibus atomorum effluuia ſcaturire, quibus vncinulos, chordulas, ſtimululos, contulos, & alia id genus organula ciendis ſupradictis motibus idonea tribuunt, quibus vltrò, citròque emiſſis, & in ſe inuicem recurrentibus, atque cohærentibus ſi ſint affines, vel reſilientibus, ſi diſſimiles ſint, ſympathia omnis, vel antipathia explicatur. Gaſſendi de qual occultis.

Fateor equidem effluxum continuum vel corpuſculorum, vel halituum inuiſibilium ſaltem à maxima parte corporum egredi, ſed organis hæc ita conueſtiri, & tanto robore muniri, vt ſeſe vel illaqueare, vel repellere; aut ijs ita illaqueatis, vel repulſis, corpora neceſſariò hinc allici, vel diuerti valeant, certè merum inſomnium eſſe videtur. Primò enim hæ atomi, ſi cohæreant corporibus, cur exeunt? Si non cohærent inſeparabiliter, cur illa co-

pora attrahunt? Secundò, quis credat illas tanta varietate, tantaque vi, vel in reſiſtendo, vel in pelliciendo pollere, præſertim cum ea de illis dicant, quibus ſolertius nihil de animatis organis fingi queat, iiſque vis quaſi toti naturæ inferatur, vt cum ſiſtuntur naues toto maris impetu impacta, & ingentes ferri moles in aëre ſuſpenduntur? &c. tertiò, ſympathia, inquiunt, fit occurſu ſimilium atomorum, atomi autem ſimiles debent ſimiles ſentiendi paſſiones inducere .i. ſimilem colorem, ſimilem ſaporem, &c. exhibere. Ergo ſympathia, conſociatio, attractuſque ſemper fieri deberent inter ea, quæ ſimilis coloris, formæ, ſaporis, &c. eſſe apparerent, cuius tamen contrarium vidimus: quis enim dicat atomos lacertæ einſdem eſſe conformationis cum atomis hominum? Item vel atomi hæc organula habent ex natura, vel contraxerunt in corpore, ex quo profluunt: ſi primum, ergo cum atomi ex vno corpore digreſſæ aliud ſubeant, in eo ſimilem ſympathiam generabunt, Quod eſt falſum: ſi ſecundum, ergo vi cuiuſdam formæ ſubſtantialis, hanc debuiſſent comparare, & tamen hanc negant, & à corpore ſeparata iſthæc perderent: infinita ſunt alia, quæ obyci poſſent, ſufficit dicere tantâ facilitate negari poſſe, quæ dicunt omnia, quanta difficultate hæc illi comminiſcuntur. Ac demum poſt incredibilem torturam animorum, multùm ſe profeciſſe autumant, ſi in ipſis dicere quidpiam liceat, quod veriſimile haberi, aut non omnino remotum poſſit.

P. gaſſendi Phyſ. ep. p. 347.

Aly altiùs ſe ſurrigunt. Cenſent enim antipathiam, vel ſympathiam è cœlo petendam eſſe: ſupponunt inferiora hæc à ſuperioribus regi, formari, & alterari; item nullam eſſe plantam vel herbam, aut quiduis aliud, cui non aliqua ſtella in firmamento prædominetur: *Item mundum hunc eſſe ad exemplar ſuperioris, vnde inferunt primo, quòd quemadmodum aſtra ſingula diuerſos habent, & emittunt circumquaque radios, ita hic res quælibet peculiares quaſdam extra ſe qualitates ſeu radios ſpargat, qui vim quamdam habeant conſentientem virtutibus originalibus, quæ præſunt in aſtris, quibus à natiuitate ſubduntur. Secundò, inferunt quòd quemadmodum aſtrorum alia dicuntur inimica inter ſe, vt mercurius & ſol; alia verò amica, vt Iupiter & Saturnus, &c. (quod etiam intelligi debet de diuerſis eorum poſituris, conſtellationibus, domibus, aſpectibus, oppoſitionibus, & coniunctionibus, ratione quorum aſtra ſingula cum alys comparata conformes habent vires, vel repugnantes.) Ita prout vnumquodque recepit, & quodammodo ſuxit primordialem hanc aſtri ſui virtutem, amicum euadit, vel inimicum rei, quæ amicam vel inimicam vim alterius dominantis ſtellæ ſuſcepit, vt vndequaque mundus iſte inferior, concinat ſuperiori.*

Ptolom. ſerm. 9. centil. t. 1. meteor. Reuel 3. de arte cabal.

Platonici tanquam ad ſacram ancoram refugiunt ad animam mundi, eiuſque naturam vniuerſalem, adeo vt quemadmodum in animali ſi pedem preſſeris, caput illico huc flectit, quaſi auxilio futurum, quòd inde fit, quia ſenſus in eadem anima radicantur, & ſecundùm eam membra ſingula cognationem habent & communem agendi, patiendique radicem. Ita in vniuerſo. verum quia dici poſſet hinc ſequi neceſſarium, vt omnes partes vniuerſi mutuam hanc ſympathiam experirentur, eo quòd ſint omnes eadem anima in eadem naturâ colligatæ, Reſpondent vires naturales primo ex originalibus regulis rerum (quæ ſecundum ideas ſunt in prima mente) animæ mundi, hinc

miniſtris mentibus ſecundum rationes infundi, quæ cum præſint cælo, eiuſque ſtellis omnibus, necnon & elementis, res ſibi creditas virtute ideali conſignant, cælo interim, ac ſtellis, tanquam inſtrumentis, materiam diſponentibus ad formas, vireſque concipiendas, quæ diuinæ conditoris arti congruant.

Nos *verò quid in tanta caligine videre poterimus? ſanè hoc inde vel manifeſtiſſimum eluceſcit, quòd* plurima Dei opera ſint in abſconſis. Secundò *Negari non poteſt, quin ſydera plurimùm in res iſtas inferiores influant, quodue in iſthac corpora vires immenſæ depluant, quarum aliæ ſalubres, aliæ noxiæ, quædam attrahant, nonnulla pellant, &c. vt patet in attractu & quaſi ſuctu vaporum, ventorum impetu, morborum ſanationibus vel procreationibus: quas plurimum pendere è cælo docent communiter medici: vnde eorum anteſignanus Hippocrates tradidit omnia, quæ hic degunt, gignuntur & nata ſunt, principia & originem habere à cælo; & quidquid eſt doloris, & languoris, denique quidquid boni, malive humanis corporibus, quoad naturalem conſtitutionem accidit, de cælo proficiſci.*

Tertiò, *Certum eſt è diuerſis formis diuerſas vires & proprietates effundi: imo aliquando è diuerſo tēperamento varias oriri virtutes: vt quod amygdalæ amaræ cohibeant ebrietatem, hoc non ex forma ſubſtantiali prouenit, alioquin hoc naturale foret omnibus amygdalis. Ergo ex diuerſa temperie.*

Quartò, *Certum quamplurima ſaltem corpora ex ſe continuos quaſi halitus, & vapores tenuiſſimos circumquaque perſpirare; quod vel inde conſtat, quòd nulla ferme res ſit, quæ non aliquem odorem afflet: odores autem cum huiuſmodi ſuffitibus exhalari innumeris experimentis ſentimus. Hi autem halitus poſſunt facillimè vim cuique naturalem, quocumque tranſuehere, vt omittam ſpecies intentionales, quæ perenni effluxu ex vnaquaque ſcaturiunt. Nec mirum quòd exhalationes continuò ex corporibus extrahantur: ætherio enim calore, quo vegetantur omnia, etiam in hos flatûs, halituſque reſolui quid vetat?*

Quintò, *Certum quoque mihi videtur diuinâ conditoris arte, res quæ in mundo ſunt, alias aliis mirabili quadam proportione commenſuratas fuiſſe, ita vt actiuæ vnius virtuti, paſſiuam in alia, æquo proportionis numero prouiderit: & præterea vim quandam generalem toti vniuerſo afflaſſe, quæ interiùs vnamquamque applicet ad motus deſtinatos, prout exteriùs vires actiuæ paſſiuis incurrunt; ſiue vis illa ſit Deus ipſe, ſiue in ſpiritu creato contineatur; quemadmodum diximus c. 14. §. 3. Si tamen admittatur ſpiritus ætherius vbique diffuſus, omnia multò faciliùs explicabuntur, quin immediatè ad Dei operationem recurramus: dicemus enim per illum ſpiritum colligari quodammodo inter ſe omnia, & continuari perenniùs: item virtutes agentium communicari, transfundi, & transfuſas conſeruari, &c. Item ob viuaciſſimæ naturæ ſuæ agilitatem, & vim cæleſtem, omnia virtuali agitatione ſic aggredi, vt accedente vltima diſpoſitione, moueantur, vt oportet.*

His *ita conſtitutis, de quibus certè non multùm ambigo, ita mutuam agentium, & patientium conſpirationem, vel repugnantiam licebit coniicere: res quælibet in momento natiuitatis, vel ſi mauis, conceptionis, prout aſtrologis placuerit, vim ſydeream eius aſtri, vel conſtellationis ſub qua naſcitur, altè impreſſam ſeruat: eamque deinceps per inſenſibiles ſuos halitus, ceu ar-*

cana deuehicula extra ſe tranſpirat. Si occurrant corpora ſubcontraria conſtellatione formata, prodit effectum anthipathiæ: ſin ſub amica, ſympathiæ. Item ea virtus, ſi peruenerit ad corpus quod habeat potentiam ſymmetrico, & harmonico quodam numero proportionatam, inclinationem efficiet, ſin aſymmetrico, & diſcordi, auerſionem. Denique poteſt eadem vis cæleſtis eoſdem effectus in diuerſis, ac diſſitis corporibus operari, dum vel eandem à natiuitate diſpoſitionem è cælo ſuſcepere, vel eorum vnum ab altero eam reſumpſit: primi exemplum occurrit aliquando in Gemellis fratribus, quorum quidquid vnus à cælo patitur, compati & alter quodammodo viſus eſt: ſecundi exemplum eſt in vino, quod ſolito amplius in dolio efferueſcit, dum vitis, è qua profluxit, gemmaſcere rurſus incipit. Exterius itaque vires illæ à cælo pendent, ſuntque inſtrumenta ſyderearum cauſarum. Imo poſſunt etiam miniſterio Angelorum applicari, id quod ſatis eſt conſonum D. Aug. D. Greg. D. Thom. 1. p. &c. Interiùs verò efficaciter ſuam trahunt actualem energiam ex originalibus illis regulis artis diuinæ, de quibus tam multa dicit D. Aug. l. 3. de Trinit. & nos ſuprà c. 15. & c. 16.

Sic in homine operante vim externam ab interna diſtinguimus. Vide Pictorem. Primum & principale principium eſt mens Archetypis fœta, regulas picturæ gerens, ac per eas dirigens: ſecundum eſt ſpiritus animalis, qui quaſi genericum eſt artis inſtrumentum: tertium manus, quæ primarium, & commune inſtrumentum extrinſecum eſt: quartum, penicillus, qui nihil agit niſi virtute manus, & eſt particulare, atque immediatum organum. Sic in operibus naturæ, primum principium eſt mens Dei cum ſuis ideis: ſecundum, ſpiritus mundanus: tertium, cælum; quartum, agens particulare, &c.

Et quemadmodum ſpiritus animalis manat à corde, perficiturque in cerebro, & in qualibet parte corporis omnes habet vires omnium partium, & totius animæ, licet non omnes exerat: Sic ſpiritus ille mundanus à cælo forte deriuatur, atque à ſole potiſſimum: & omnes vbique cæleſtium cauſarum vires, atque adeo totius artis conditoris quaſi habitualiter continet, licet non omnes exerat ſimul: ſed quas, vbi, & quando, rerum, locorum, & temporum occaſiones poſtulant. Hinc Platonici dicunt omnia eſſe in ſingulis: & in omnibus ſingula: nimirum primo ſecundum Deum, qui vbique cùm ſit ſecum in actu formali, & Archetypo gerit omnia. Deinde ſecundùm naturam, quæ ſeminali poteſtate item eſt omnia. Hinc facile poterunt explicari qualibet ſympathiæ, vel antipathiæ experimenta: ſolùm hic particulatim ex. c. tria explicabo.

Primò, *Si fuerint duæ cytharæ, diſtantes licet, & habuerint ambæ chordam aliquam apprimè conſonam, ſi vnam pulſem, altera tremula ſonum conſimilem inchoabit. Quare? Reſp. quia hæc harmonica proportio communem habet radicem & communionem in ſpiritu mundano, qui cùm cauſarum omnium organa, potentiaſque intrinſecus ſecundum diſpoſitionem agentium externorum agitet, tum ſimilem ſonum in diſtanti chorda ciet, cùm huc qualitas ſoni ab altera editi per aëris commotionem appulerit. Ad eum modum ſi quis à Tarantula demorſus fuerit, cantandi, & ſaltitandi libidine perpetua prouocatur, quia ſc. eius auditui vis quædam imprimitur ſonori cantus auida, qualis in ipſis Tarantulis naturaliter ineſſe dicitur, quæ propterea cantu*

ſidicinum mirificè delectantur, vel ad tripudium vſque.

Secundò, *Interfecti hominis cadauer ſanguinem tunc dicitur emittere, cum homicida illi ſiſtitur. Vnde? Reſp. Si verum hoc fuerit, vt verum ſupponunt leges: Ratio peti debet ex diuina prouidentia, quæ in natura voluit principium quoddam ſtabile ac perpetuum firmare, quo nocentes poſſunt deprehendi, ſub certis quibuſdam circumſtantiis adhibendis: ſicut olim in aquis Zelotypiæ, Deus vim (haud tamen naturalem) indiderat, vltra modum inflandi mulieres adulteras; pudicas verò, nequaquam. Ita parem Magneti legimus innatam eſſe vim: ſi enim ſupponatur ceruicali caſtæ vxoris, ea iucundè, ac quietè ſoporari dicitur, ſi verò impudica, proſilire. Quidquid autem ſit de hoc exemplo: Ad illud de ſanguine, credibile eſt tempore occiſionis ob vehementem metum validam quandam impreſſionem fuiſſe factã vniuerſæ maſſæ ſanguinis, cuius quidem impreſſionis vis non penitus euanuerit, ſed hæſerit in occulto, ſuo tamen authori commenſurata, & tunc actum aliqualem prioris commotionis editura, cùm ex præſentia ſui authoris influxu ſimilium ſpirituum, ſiue corpuſculorum, ſiue ſpecierum intentionalium excitata fuerit. Denique diligentiam conditoris admirare, lauda & time.*

Tertiò, *Quid de puluere ſympathetico? Quînam vulnera hominis à 100. milliaribus diſtantis ſanare poteſt, ſi modo ſolum fuerit applicatus gladio, veſti, linteo, aut cuilibet rei ſimili, ſanguine, ſanieve vulnerati tincta? Reſp: id citra diabolicam artem fieri non credi communiter, vel fieri poterit, vt dum vulnus interim vrinâ, ſale, vel aliquo alio extergente purgatiſſimum ſeruatur, naturæ ſolius vi ſanetur. Nam & multa vulnera ſolo ſale ſic exterſa, fuiſſe ſanata experimento didicimus. Neque tamen propterea illius vſum damnandum puto: poteſt enim intra definitam aliquam diſtantiam ſanguinem ſiſtere, cicatricem obducere, ſanare forſan, &c. fit enim Chalcanto, ſeu vitriolo calcinato. Vnde ſpiritus viuaciſſimos habet, ac maximè penetrantes; ideo illos in vulnus facile, raptimque quamquam inuiſibiliter poteſt tranſmittere: ſicut ignis in naptham flammeos ſuffitus tranſpirat. Adde quòd forte dum ſanguis è vulnere transfertur in vnguentum illud Chalcanticum, ſpargitur per medium quidam halitus vnctuoſus; per quem facile ſit vim illius pulueris in vulnus traiici: ſicut ex fugiente lepore relinquitur in via vapor odorifer, quo canes inſequentes eum è veſtigio perſentiſcunt: Si tamen ſine magia ex quolibet interuallo, quod haud facile credam, ſanat vulnera: nihil mihi dicendum reſtat, niſi quod à ſpiritu mundano id proueniat: ita vt actionis communicatio per illum, vt per commune vehiculum, ac mutuum inſtrumentum fiat.*

Capvt XXVII.
DE MAGNETE.

§. I.

Mirabiles eius proprietates.

„ RESTAT vt de Magnete nonnihil edifferamus. Mirabilia „ enim de illo à Platone, Ariſtotele, Plinio, & aliis recenſen„ tur: Herculea ſane vis eſt iſtius lapidis, quòd ferrum non ſo„ lum alliciat; ſed in medio etiam aëre libratum, & non minùs, quam „ terram in medio mundo immobile teneat, vt de ſimulachro Arſinoes „ Reginæ in Ægypto ſeruato, & Democratis arte conſtructo: de ſigno „ ſolis Alexandriæ in templo Serapidis ſuſpenſo, de Mahumetis idolo „ ſiue arca ſepulchrali in aëre penſili narrant hiſtoriæ. Nimirum pro„ digioſa hæc ferri pondera prodigioſior vis Magnetis in ipſa ædificij „ compage hinc inde concluſi ſuſtinebat.

In Ioan.

„ Plato de Magnete hæc ait, *diuina vis eſt qua te mouet, ſicut in lapide,* „ *quem Magnetem Euripides nominauit, nonnulli Heraclium vocant, qui* „ *lapis non ſolùm ferreos annulos trahit, ſed vim etiam annulis ipſis infun*„ *dit, qua hoc idem efficere poſſint, ac perinde vt lapis, alios annulos trahere.* „ *Vnde longa plerumque concatenatio ferri, & annulorum inuicem pendet,* „ *& omnibus his ex illo lapide vis attrahitur: ita ipſa muſa Poëtas diuino in*„ *ſtinctu concitat, Poëtæ conciti alios furore corripiunt,* Ita inſinuat eos qui „ diuino amore rapiuntur, huius quoque vim illecebroſam contrade„ re aliis, vnde ipſi, eorumque ſequaces amaſij ad primum, ſum„ mumque bonum conuertantur.

„ Plurima porro ſunt quaſi miracula, quæ de hoc lapide ſcribi ſolēt. „ Primum eſt quod ſuprà retulimus, ſi tamen aut verum eſt, aut non „ præſtigioſum, nempe quod diſcerniculum ſit pudicitiæ; cui adde „ quòd capitis dolorem leuet.

„ Secundum, quòd ferrum alliciat, cui ſimile miraculum contingit „ in benè multis alijs, nam à ſuccino palea, ab auro hydrargyrum, ab „ ære argentum, aquæ fortis vi exſolutum, attrahuntur.

„ In hoc tamen tractu fieri à magnete, multa contingunt naturæ qua„ ſi prodigia. Primum, non ſolum ferrum attrahit, ſed & à ferro tra„ hitur: hinc ſi pixidi nauticæ ferrum ſuppoſueris, ligula magneti af„ fixa illico ductum ferri ſequitur, ita vt per eburneam laminam, vel „ argenteam vis illa ſic penetret, ac ſi nihil prorſus medij eſſet inter„ ſitum, vnde certè per quam efficax ſumere poſſis aduerſus Epicu„ ræas atomos argumentum, nam, eſto atomi penetrent corpora per „ poros interſitos, at quomodo tam citò, tam rectè, tam denique re„ gulariter?

Secundum,

Secundum, ramenta ferri, ſi magnetem admoueris, ita veluti cohorreſcunt, vt in hiſpidos quaſi villos ſeſe componant, ac ſurrigant.

Tertium, In Magnete duæ ſunt partes quaſi poli. Earum alteri, ſi acus ferreæ extremum vnum admoueris, hoc ab illa trahitur; ſi verò alteri parti viciſſim idem extremum admoueas, hoc ab illa priori refugit, & oppoſitum extremum acus ab hac altera videtur attrahi: alia multa ſunt id genus. Sed dubitatur primò quouſque pertingat vis illa Magnetica, & quanto interuallo diſtare ferrum à lapide oporteat. Reſp. Semipedis ſpatio, aut circiter, licet lapidis bonitas, quæ rubeo colore probatur, aut magnitudo tractum longiorem efficiant.

Secundò, dubitatur vtrum ab vtro attrahatur, ferrum an Magnes. Reſp. Etſi aliqui dubitent, quia minor alterius maſſa trahitur à maiori: tamen Magnes contuſus, aut ſenio tabeſcens vim amittit trahendi ferrum: at neque tum à ferro trahitur. Ergo ſignum eſt Magneti prçcipuè vim ineſſe ferrum trahendi, vel accedendi ad ferrum.

At quod cæteris mirabilius eſt, & quotidiano videmus experimento, non ſe ſolùm, ſed & ferrum ad polos mundi dirigit: acus In 10. l.
enim Magnetis attritu temperata Septentrioni ſeſe obuertit, po- Laertij p.
lumque arcticum velut in æquilibrio fixa, & quieta demonſtrat. 164.
Circiter an. M C C. inuenta traditur pyxis nautica à quodam Guyoto Prouineo, vt narrat Gaſſendi.

Multa vim illam mirabilem conſequuntur. *In primis* enim ea eſt huius lapidis natura & indoles, vt ipſi globo terræ non modo ſimilem ſeſe exhibeat, ſed ad eius exactam librationem ſe conformet: duos enim vt ille polos habet, Boreum ſc. & Auſtralem: ipſis terræ polis, proprietatibus, & conuerſionibus reſpondentes. Habetque ſimiliter Æquatorẽ ſuũ, ſicut terra, parallelos, meridianos, &c. vnde & Syderites à ſyderibus nominatus eſt. Sit namque Magnes in globum efformatus, & ita conſtituatur ſiue in aqua, ſiue in aëre, vt ſpontaneus eius motus impediri à nullo poſſit: ſponte tunc ita ſe vertet, vt ſub meridiano polum vnum in Boream; alterum ad Auſtrum dirigat, atque in eo ſitu fixus requieſcet: ita tamen vt quoad fieri poterit, ſaltem quo propiùs ad Boreum terræ accedit, eò magis ad eum inclinet illam ſui partem, qua verſus Boream obuertitur: naturalis namque ſui ſitus vim retinens eò ſemper vergit, quo ſolebat conuerti antequam exſcinderetur. Hinc polum eius Boreum nominamus latus illud, quod in minera Boream reſpiciebat; & auſtrinum, latus oppoſitum, quod erat ad Auſtrum.

Secundò, Proprietas illa ſeſe globo terræ ita coaptandi ſic toti Magneti conuenit, vt cuilibet eius parti vel fruſtulo competat: in quolibet enim ſunt duo tales poli: ſimiliſque conuerſio: non tamen ſine quodam prodigij genere, quoniam neque Magnetes integri, neque partes eiuſdem poſſunt vnquam ſimul coaleſcere, aut coüniri ſecundum polos eiuſdem poſituræ, ſiue obuerſionis: Boreus enim Boreum retrouertit, fugatque quodammodo; & Auſtrinus Auſtri-

,, num: ſed optimè coüniuntur Boreus vnius cum Auſtrino alterius: vt
,, nimirum ordo naturalis ſitus obſeruetur, & quemadmodum in mi-
,, nera, pars Auſtrina prioris partis continuatur cum Boreali poſte-
,, rioris; ita numerus & proportio talis poſitionis lege inuiolabili vbi-
,, que retineantur.

,, *Tertiò*, Eadem vis communicatur ferro ex affrictu ad Magnetem,
,, imo quod forte magis miraberis ſine tali affrictu, ſi modo diutiùs in
,, pari poſitura iacuerit, polos hinc inde ſub meridiano reſpiciens, &
,, ſuper lineam axi terræ parallelam: eandem prorſus ſeruabit ad po-
,, los conuerſionem, quemadmodum ſi Magnetem tetigiſſet. Hinc vir-
,, ga, vel ligula ferrea vim illam polarem adepta, ſemper partem Bo-
,, ream i. eam quæ polo Boreali Magnetis eſt illita, obuertit ad Au-
,, ſtrinam terræ, & contrà ſuam Auſtrinam ad Boream terræ, & ſi
,, v.g. polum Auſtrinum Magnetis illi virgæ cuſpidi, quæ auſtrum
,, aſpicere ſolet, admoueris; illico ad Boream conuertetur.

,, Hæc & alia multa eiuſcemodi referuntur ab iis, qui ſedulam in
,, perſcrutandis naturæ arcanis operam nauauerunt. Cæterùm quoad
,, vſum communem ferri ex impreſſione Magnetica polum demon-
,, ſtrantis, duo ſubnaſcuntur dubia, hic breuiter expedienda,

,, *Primum* eſt, an acus ferrea Magnete illita ſemper veros cardines
,, Septentrionis, & Auſtri denotet? Reſp. Non planè: declinat enim
,, verſus Orientem vt plurimum: ab Auſtro quidem ad Boream natu-
,, ralis eſt illi conuerſio. Sed hic ad ortum, illic ad occaſum dicitur
,, declinare: alicubi recta ipſum polum reſpicit: in quibuſdam locis
,, ferre vſque ad 50. gradus, à Meridiano dicitur excurrere, ſecundum
,, quoſdam; quamquam nonniſi ad 12. ſecundum alios. Item in eo-
,, dem Meridiano, & in variis gradibus latitudinis, declinatio in-
,, terdum nulla eſt, aliàs vtroque verſum euagatur, Nullaque lex certa
,, eſt. Denique in vno, eodemque loco diuerſis temporibus variat
,, perſæpe declinatio: quorum omnium exempla legi poſſunt apud au-
,, thores.

,, *Secundum* eſt, an eadem vis inſit acui magneſiæ vltrà, ac citrà æ-
,, quatorem? Reſp. Negant quamplurimi. At Hiſpani & Angli, qui
,, aquarum orbem nauigationibus luſtrauerunt, id affirmant, vt citat
,, Bodinus. Confirmat Scaliger, apud quem Ludouicus Vartomanus,
,, in nauigatione maris Æthiopici ſcribitur vſus fuiſſe pyxide noſtrati, (In Theatr. 1. 2. contra Card. exercit. 131.)
,, quemadmodum in Atlantico: cuius ferrum ad noſtrum ſemper po-
,, lum dirigeretur; ſimilemque deprehendiſſe pyxidem, cuius acus
,, Magneti allíſa Boream intenderet; dum verſus Canopum nauiga-
,, ret. Citatque inſuper libros Hiſpanicos, qui Fernandi Magalanis
,, admirabilem nauigationem cōtinent, in quibus legitur in freto ab
,, illo nomen obtinente, quo ab Æthiopico mari, ad mare Sur pene-
,, tratur, cuſpidem nauticæ pyxidis ad Arcticum noſtrum polum ſem-
,, per collineaſſe. Hinc falſum eſſe putatur, quod multi, inter quos eſt
,, ipſe Gaſſendi, ſcribunt in inſula Corui ſub recta circuli Meridiani
,, linea ferrum Magneſium, acumque verſoriam ex nulla parte de-

clinare, ac polum vtrumque æquilibri verticitate denotate.

§. 2.

Cauſa horum omnium motuum indagatur.

QVÆSTIO eſt eaque omnium difficillima, quænam horum omnium motuum cauſa ſit. Reſp. Optimam eſſe, quam Plato ſuprà retulit, nempe diuinam eſſe virtutem, neque hactenus meliorem potui nanciſci. Et quidem cùm duo præcipua retulerimus, ſc. attractum ferri ad Magnetem, & conuerſionem ferri Magneſij ad polum. QVOAD primum Thales Magnetem animatum eſſe idcirco cenſuit. Democritus, Epicurus, & horum ſectarij vim illam mirabilem mirabiliùs atomorum coitione conantur exponere, effluentibus ſcilicet hinc inde corpuſculis, & in vnam veluti catenulam coëuntibus, qua ſeſe inuicem pelliciant, conſtringant, & coaleſcãt. Alij vt Robertus à fluctibus putat eum attractum fieri per retractionem huiuſmodi corpuſculorum intrà Magnetem: ita vt hic cum ſit frigidiſſimus per inſitam vim ſtipticã, ſtationariam, & cõtractiuam, ſuos omnes ſpiritus intrò retrahat, cum halitibus ferri verberatur, & exinde ferrum alliciat, ad eum modum, quo infans ſugit lac. Alij ferrum à Magnete tanquam à fine; nonnulli, vt à loco, centroque naturali pellici contendunt: verùm ea omnia nequaquam rationi planè ſatisfaciunt. Poſterior, quæ poſſet vt probabilior approbari, ſuas habet vix explicandas inſtantias: ea enim quæ in aliquid tanquam in centrum rapiuntur, quò maiora ſunt, eò vehementiùs huc recurrunt: contrà ferrum, quò maius, eò renitentiùs trahitur. Et cur oleum, rubigo, & alia hunc ferri attractum prohiberent?

Fateantur ergo velint, nolint occultam eſſe in natura vim, quæ motus illos ob fines ſoli ſupremo omnium moderatori cognitos, per media ipſi naturæ ſapienter inſerta operetur: ad ſympatheticam proportionem naturalium virium recurrendum profectò eſt. Eſtque aliquid in ferro, quod vel Magnete indigeat, vel ipſo Magnes: ita vt ex natura vnum ad alium ordinetur: ſiue Magnes ſit ferro id quod mas fœminæ, vt voluere Orpheus, Lucretius, &c. ſiue ſit eius velut matrix originalis, cuius virtute formari ſe vlteriùs ferrũ expetat vt Scaliger, & Nic. à Cuſa: ſiue fortè vt Cardano placuit: ferro inſit vis quædam altrix, & nutritia Magnetis, quod inde coniicere licet, quod ferrum ſibi appoſitũ Magnes deuoret, atq; in dies minuat. Quidquid ſit, certa quædã proportio debet ferrum inter & magnetem, tametſi nobis occulta, ſupponi, quæ tranſpiratis hinc inde mutuis radiis, ſeu ſuffitibus, (quidni enim halitus quoſdam ſubtiliſſimos iuxta ac tenaciſſimos, dicamus à magnete intra ferrum abdi per quam profundè, ibique vim magnetis verè ſympatheticam diutiſſimè conſeruare,) in eum gradum, & perfectionem perueniat, vt moueri hoc, mouere illud iuxta definitos naturæ tam particularis, quàm generalis numeros debeat, ac tunc actu ab agitante intus ſpiritu, id quod ars Dei præſcripſit, impleatur: & ſicut in animali diuina prouidentia de-

,, dit corpori vim attrahendi, repellendi, reſtringendi, laxandi, &c·
,, adeo vt eadem pars modo repellat id quod ante auidiùs pertrahe-
,, bat; ſicut ſtomachus, qui vacuus appetit cibos, ſatur faſtidit: ita
,, magneti vim contulit alliciendi, vel repellendi ferrum hoc, vel illo
,, modo, ſuique partes diuiſas iterum ſecum, vel cum aliis reüniendi
,, ſecundum fibrarum naturalium ductum, ordinemque, quo in mine-
,, ra naturaliter continuari aptæ fuiſſent: ſicut vim dedit ſurculo præ-
,, ciſo ſeſe iterum radici alienæ copulandi: ſed ea ſolùm parte qua
,, vnita proprio trunco fuerat. Paucis, vim talem Deus contulit qua-
,, lem ſuæ diuinæ artis proportio exigebat: quam vell. profundiùs diſ-
,, cutere non opis eſt noſtræ. Multa poſſemus proſequi: ſed fortè aſſe-
,, qui nihil.

a Alb Mag. Peregrinus. Ficinns. *b* Cardanus. *c* Lucas Guarticus. *d* Cortefius. *e* Paracelſus *f* Fracaſtorius. *g* Maurolycus. *h* Thaleſ. Hippias. i Gilbertus. Iſa. 40.

,, Qvoad ſecundum multò adhuc maior eſt Philoſophantium
,, diſſentio: *a* Nonnulli cenſent eam ferri magneſij ad polum cõuer-
,, ſionem vi quadam à polo arctico defluente procedere. *b* Aliqui à
,, cauda vrſæ. *c* Alij ab eadem per virtutem Saturni & Martis, atque
,, etiam à conſtellatione virginis. *d* Alij à loco vltrà polos. *e* Alij à cœ-
,, lo abſolutè, ipſiſque ſtellis. *f* Alij à quibuſdam montibus Magneti-
,, cis, ſub polo Boreo ſitis. *g* Alij à quadam inſula Magnetica vltrà
,, polum conſtituta. *h* Alij ab anima, qua Magnes viuat. *i* Alij ab ipſa
,, terra. Ita veriſſimè in his naturæ miraculis idem contingit, quod in
,, ſole attentius intuendo, vbi curioſior attentio tenebras parit. Deus
,, vanos hominum conatus videt, & ridet: *& dat ſecretorum ſcrutato-*
,, *res quaſi non ſint.*

,, Interim in his falſa, certa, probabilia diſtinguamus. *Falſum* videtur,
,, quòd ſint montes illi Magnetici vt multorum nauigationibus com-
,, pertum fuit; item etſi eſſent, eorum virtus quomodo poſſet terræ
,, globum, eiuſque immenſam crepidinem penetrare, vt vltra æ-
,, quatorem longiſſimè tranſferretur? Sunt item alibi Magnetis ingen-
,, tes mineræ, vt in Illuc inſula, & in Magneſia, quæ ab ea lapidicina
,, nomen traxit, adeo vt naues dum eò appellunt, niſi clauos ferreos
,, in ligneos mutent, in magnum periculum pertrahantur: & tamen eò
,, acus verſoria nunquam vergit. Imo quæuis ferri ligula illorum lo-
,, corum Magnetibus prætacta noſtrum nihilominus polum reſpicit.

,, *Certum eſt primò* illud à quo habet ferrum, vt ita fixè polum reſ-
,, piciat, eſſe quoque aliquid fixum. Ergo id neque cauda vrſæ, neque
,, vlla alia pars vltra polum: quæ cùm circumferuntur conuoluerent
,, illam acum.

,, *Certum ſecundò* aliquid aliud præter polum interuenire, quod
,, cauſa declinationum ſit.

,, *Certum eſt tertiò* ferrum magnam cum Magnete, & Magnetem
,, cum toto terræ globo ſympathiam habere, ea patent ex iis quæ
,, ſuperius diximus. Confirmatur ex eo quòd vbicumque Magnes re-
,, peritur, ibi ſint & ferri fodinæ.

,, *Certum videtur quartò*, naturale veluti pondus, ſiue naturalem ſi-
,, tus conſiſtentiam terræ, & Magnetis eſſe, vt iaceant fixè verſus

„ duos polos ſuper axe, qui mundi meditullium traijcit: ſiue vis quæ-
„ dam ſtiptica, coercitiua, & ſtationalis à polis cæli huc vſque pertin-
„ gat, terramque vniuerſam penetret, eam ita retinens, ac firmans;
„ quemadmodum ab æquatore calor immenſus huc deſcendit, quo ha-
„ litus extrahantur, ſurſumque moueantur, &c. Siue illa vis ſtatari[illegible]
„ quæ terram & magnetem ſub illo ſitu naturaliter cohibet, ipſis à
„ Deo ſit indita, perinde ac frigus, vt ex oppoſito virtus aſcendendi,
„ [illegible] titandi, à naturâ igni conuenit non minùs quam calor. Ideo
„ fibra[illegible]e omnes, ac venulæ ferri, & magnetis, in ſuis fodinis, imo
„ & ipſius ter[illegible] communiter à foſſoribus deprehenduntur iacere, qua-
„ ſi per tranſuerſum ſuper axem ductum ab auſtro ad Boream; vt hinc
„ quaſi denotetur, quâ tractus virtutis huius ſtipticæ, & ſtati-
„ uæ permeet, quò, & vndè tendat, &c. ſiue denique vis illa ſimul
„ à ſtellis polaribus, & à terra proueniat, ſicut multi volunt calorem
„ elementarem à ſole ſimul, & ab igni procedere. Quidquid ſit, *Ad-
„ modum probabile eſt*, ferro à Magnete vim illam natiuam communi-
„ cari, vt ad polum obuertatur; & quantò diutiùs ferrum in ea con-
„ uerſione quieuerit, tantò firmiorem in ea ſtatum acquirere, ſicut
„ apparet ferme in rebus omnibus ponderoſis, ſtipticis, vt quem ſta-
„ tum ſemel diutiùs obtinuerint, hinc ſi vi quadam deturbentur, vbi
„ primùm libera fuerint, eum ſtatim repetant ob inde contractam ali-
„ quam determinati ſitus habitudinem; & pondus quaſi ſtationale.

„ Sed vnde acus verſoriæ declinatio? Reſp. forte ex alteratione fer-
„ ri, qua virtutis oppoſitæ nempe ſolaris, vel alterius cuiuſuis aliquid
„ admixtum habet. Vel quia ſicut ſua cuique climati virtus quædam
„ cæleſtis dominatur: ita hæc vim polarem paululùm minuitit, plus
„ vel minùs, quò plus, minuſue affuſum fuerit virtutis inimicæ;
„ nempe vel caloris æquinoctialis, vel alterius.

„ Cæterùm optima omnium ratio. DEI VIRTVS, ARSQVE PRÆ-
„ POTENS CONDITORIS: eâ reguntur, quæcunque inter naturæ or-
„ dinem, rectè aguntur, aut agunt.

CAPVT XXVIII.

DE CAVSA EXEMPLARI rerum naturalium per ordinem ad mundi opificem.

§. 1.

An detur.

EFFICIENTIS cauſę tractationem iure preſens de cauſa exemplari quæſtio excipit, quippe quę communioribus Philoſophorum calculis ad efficientem ſit reuocanda.

Duplex autem eſt rerum ordo: naturæ ſc. & artis: de arte hic non loquimur, ſed de natura: neque etiam quiſquam eſt qui addubitet dari exemplaria rerum artificialium in mentibus opificum. An verò dentur rerum naturalium, negarunt Philoſophi multi: nimirum ij omnes qui mundum vel ſine Deo ab æterno naturaliter, vti & nunc proceſſiſſe, ſenſere; vel à Deo non ſecundùm liberum ſapientiæ præſcriptum, ſed neceſſariò iuxta materiæ exigentiam effectum fuiſſe, aduerſus quos omnes ſit

CONCLVSIO: Veriſſimum eſt, atque certiſſimum dari rerum omnium naturâ conſtantium exemplaria ſiue ideas, nimirum in mente conditoris. Fides orthodoxa id docet, *Qui negat ideas eſſe infidelis eſt, quia negat Filium eſſe*, ait B. Aug. hoc inſinuauit B. Ioan. Apoſtolus dicens, *Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Item ſapientia ipſa apud Salomonem, *Quando præparabat cælos aderam; quandò certa lege, & gyro vallabat abyſſos*, &c. *cum eo eram cuncta componens*, Boëtius 3. de conſ.

11. de Ciuit. Dei. c. 10.

Prouerb. 8.

—— Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans.

Id deſumpſiſſe videtur ex Platone in Timæo de quo infrà §. 2.

Paucis hoc ita probatur: omnium artefactorum datur aliqua cauſa exemplaris, ad cuius ſimilitudinem fiant; ſed res omnes naturales ſunt opera Dei arte confecta, vt cum Platone ſuprà cap. 14. oſtendimus. Ergo, ſanè res naturales non caſu factæ ſunt, ſed optima ratione, neque eadem ratione omnes: ergo diuerſæ ſunt admittendæ rationes rerum diuerſarum, illæ autem vbi erunt, ſi non ſint in mente conditoris? vide D. Thomam 1. *p. q.* 15. Scio equidem haud ita ſentire Ariſtotelem, ab eoque multas rationes induci contrà Platonem, ſed earum præcipuas referemus cap. ſequenti.

Nota interim idearum tria eſſe officia. Primò diuinæ mentis eminen-

tiſſimam perfectionem manifeſtant: ſecundò, diſtinctiſſimam cunctorum cognitionem conferunt. Tertiò, conducunt vt eminentiſſima ratione Deus operetur: Primò enim conſideratur ſupremus naturæ opifex vt principio, & fine carens, ex quo tamen cætera principium, & finem accipiunt. Secundò, conſideratur vt ſingula perſpicaciſſimè dignoſcens: tertiò vt omnia ex ſe valens deriuare, in primo maximè vig[illegible] vnitas primi principij: in ſecundo infinitæ pulchritudinis ſplendor. In tertio ſummæ bonitatis communicatio & fœcunditas: alia multa de his Platonicè dici poſſent, ſed altiorem Theologiam ſapiunt, vide *D. Th. 1. p. q. 5. a. 4. ad 1.*

§. 2.

Quid ſit cauſa exemplaris.

DIGRESSIO PLATONICA. IV.

„ SI licet Phyſico ad primum motorem ſuperuolare, quidni ad pri-
„ mum rerum naturalium exemplar ſeſe ille ſurripiet, an ſit, quid
„ ſit & quomodo concurrat, expoſiturus? Etenim Philoſophi eſt, ex
„ naturalibus ad diuina ſemper aſcendere: quòd cum vix faciat Ari-
„ ſtotelis Phyſica, operæpretium duxi eam Platonicæ ſapientiæ ſubli-
„ mitate paululum exornare.
„ Dubitatio ergo eſt, quid ſit propriè cauſa exemplaris. Quoad de-
„ finitionem conſentiunt quidem cum Philoſophis Theologi; quo-
„ ad rem definitam non item.
„ *Scotus* voluit exemplar eſſe rem ipſam quæ facienda eſt, provt obij- 1. diſt. 35.
„ citur menti artificis: & vocat conceptum obiectiuum. rapinæ nomin.
„ *D. Th.* putat eſſe ipſammet Dei eſſentiam, provt actu cognitionis 1. p q. 15.
„ repræſentatur participanda. Suarez Ru-
„ Notandum eſt exemplar ſic definiri. *Forma, quam aliquid imitatur* uius, &c.
„ *de intentione agentis, qui ſibi determinat finem*: ita cum D. Th. com-
„ muniter omnes. D. Dionyſius de idea loquens ait eam eſſe, *Exem-* Cap 4. de
„ *plar Deo ſemper præſens, ad quod Deus aſpiciens, ea quæ ſunt, moliatur.* diu. nom.
„ Duplex eſt: vna exterior, interior altera, illa eſt res externa quam
„ artifex extra ſe intuetur, eius imitamen effecturus: vt vultus Catonis,
„ quem pictor expingendum ſibi ob oculos ponit. Interior eſt, conce-
„ ptio quædam, quæ interiùs menti opificis obuerſatur, vt cùm pictor
„ ſibi formam aliquam interiùs videtur cernere, nuſquam oculis cor-
„ poreis viſam.
„ Priori Deus non indiget, vt conſtabit ex ijs quæ dicemus. Neque
„ Plato vnquam talem Deo affinxit, affingunt verò id ipſum Platoni
„ Peripatetici: priorem habet, eamque intuetur, vt opifex; de hac
„ igitur hîc eſt quæſtio.
„ CONCLVS. PRIMA, Exemplar quod intuetur Deus naturam con-
„ dens, aut ordinans, eſt Deus ipſe, hoc eſt, ipſiuſmet eſſentia, prout

,, hoc vel illo modo per Dei ſapientiam definito participanda. Ita D.
,, Th. *Idea in Deo nihil eſt aliud, quam Dei eſſentia:* ita etiam Plato:
1. p. q. 15. a. ad 3. ,, nã in Sophiſta hæc ait, *Philoſophus entis ipſius ideæ ratiocinatione ſemper*
,, *intendens, ob regionis illius ſplendorem haud facile cernitur: nam vulga-*
,, *rium animarum oculi* DIVINITATIS RADIOS *ſuſtinere non poſſunt.* Ita
,, diuinitatem vocat regionem ideæ, idque vt oſtendat ab ideis no
,, coæquari diuinitatis amplitudinem, ſicut qui in regione al[illegible]a [illegible]at,
,, eius non implent vaſtitatem: ita non aliud ille voluit d[illegible], quam
,, quòd *Deus totum in ſe ipſo comprehendens habeat i[illegible] [illegible]ſſe, velut pela-*
D. Damaſ. l. 1. de fide cap. 12. D. Th 1. p. q. 13 a. 11. ,, *gus quoddam ſubſtantiæ infinitum, & immenſum.*
,, Idem quoque in Timæo euidentiùs declarat, dicens; *Cùm verò &*
,, *mundus omnium genitorum pulcherrimus ſit, & eius author cauſarum*
,, *omnium optimus, dubium non eſt, quin ſempiternum ſit ſecutus exemplar.*
,, Quòd autem hoc ſit Deus ipſe, ſtatim poſt pauca manifeſtat dicens,
,, *Bonus erat, bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur.*
,, *Ergo cùm liuor ab eo alieniſſimus eſſet, omnia ſibi quantùm fieri poterant,*
,, *ſimillima fieri voluit:* ita vides exemplar illud Deum ipſum eſſe, cui
,, mundus aſſimilatus fuerit: mitto id quod alibi ſæpiùs ipſe teſtatur,
,, omneſque iuxtà Platonici; ſc. ideam eſſe ipſum primum ens, quo
,, cùm nihil perfectius augurentur, ſanè neque mente illud carere, ne-
,, que ſapientia, neque vita, denique neque diuinitate ipſa ſemper
,, contendunt, vt in Soph. dicitur! *Quid verò, dic per Iouem, motum,*
,, *vitam, animam, ſapientiam ab eo quod verè eſt, abeſſe prorſus exiſti-*
,, *mandum: neque viuere ipſum, neque ſapere, neque ſanctam, veneran-*
,, *damque mentem habere?* q. d. nequaquam, vide Plot. En. 5. l. 3.
,, Probatur autem ſic: omnis res creata eſt quædam participatio eſ-
,, ſentiæ diuinæ. Ergo hæc eſt idea omnis rei creatæ: conſequentia pa-
,, tet ex notione ideæ. Antec. negari non poteſt: declaratur verò ſic:
,, omne ens participatum fit participatione alicuius entis omnino im-
,, participati; alioquin daretur proceſſus in infinitum, atqui res om-
,, nis creata eſt ens participatum, aliunde ſolus Deus eſt ens omnino
,, imparticipatum, vt probatum eſt in Logica c. 7. §. 3. Ergo res om-
,, nis creata eſt quædam participatio eſſentiæ diuinæ.
,, Hinc refelluntur qui dicunt ideas eſſe creaturas, provt diuinæ men-
,, ti obijciuntur. Contrà enim primò, hinc ſequeretur ideam, & τὸ
,, [illegible] ſeu eius imitamen eſſe vnam, eandemque rem ſub diuerſo dun-
,, taxat modo exiſtendi; at hoc repugnat eſſe verum, quandoquidem
,, idea ſeſe ad ideatum habet, vt forma principalis ad minùs princi-
,, palem, vt menſura ad menſuratum, vt lux ſtabilis ad vmbram fu-
,, gacem & mobilem, denique vt eſſentia ingenerabilis ad generabi-
,, lem. At quis dicet hæc eadem eſſe?
,, Secundò, ideæ idcirco in Deo ponuntur, vt per eas præcognoſcat
,, Deus creaturas. Ergo diſtingui debent à creaturis: conſeq. patet,
,, quia Dei cognitio nullo vſpiam pacto poteſt à rebus creatis, & na-
,, turalibus pendere: hinc enim magna profectò imperfectio illi obtin-
,, geret; quamobrem eas ipſe omnes per ſeipſum, non per eaſdem in-
telligit.

telligit. *Neque enim*, inquit D. Aug. *extrà ſe quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat:* poſſunt itaque res creatæ obiectum eſſe, non medium diuinæ cognitionis: quia obiectum eſt terminus; medium verò ſe habet vt cauſa. Ergo neceſſe eſt id, quo mediante videt Deus creaturas, eſſe ſimilitudinem creaturæ, nec tamen creaturam: id autem eſt idea; ſimilitudinem, inquam, non vt imaginem, ſed vt exemplar. l. 83. qq. 46.

Qu[illegible]ò res creatæ omnes nos ducunt ad cognitionem Dei, tanquam im[illegible]es ad cognitionem ſuorum exemplarium. Ergo exemplaria creatura[illegible] ſunt Deus ipſe: certè niſi hoc ita eſſet, ex ijs quæ in hoc orbe viſuntur, nihil aliud deprehendere poſſet mens noſtra, niſi eaſdem, neque intelligeremus propterea Deum, à quo videntur, contra D. Paulum; *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur.* En quomodo diuinitatem ipſam creaturæ demonſtrant! ſc. vt imago prototypum, vt participatio formam principalem. 1. Rom.

Conclvs. secvnda: æterna hæc exemplaria per ſpecialem quandam appropriationem dicuntur eſſe in verbo Diuino; hoc totum Platonicum eſt, vt patebit infrà. Interim non nego quin abſolutè conueniant toti ſanctiſſimæ Trinitati, quippe *Quæ in Deo ad eſſentiam pertinent*, quidquid autem ad eſſentiam ſpectat, id toti Trinitati commune eſt. At nihilominus exemplar quemdam reſpectum induit, quo peculiariùs in diuina mente à SS. PP. collocatur. Primò, quia ſpecialem ordinem habet ad intellectum, vtpote formam ſignificans, quam intuetur opifex, vt imitetur: vnde prædefinitionis, & rationis nominibus exprimuntur, quæ per ſe actus mentis indicant: hinc D. Th. *Deus*, inquit, *per intellectum omnia operans; omnia ad ſimilitudinem eſſentiæ ſuæ producit, vnde eſſentia ſua eſt idea rerum, non quidem vt eſſentia, ſed vt eſt intellecta.* D Th q. de ideis. q. de ideis a. 2.

Secundò, quia exemplar diſpoſitionem quandam includit, ſecundum quam Deus res faciendas intellectu ſuo prædefinit, vt ſtatim dicemus. Sed omnis diſpoſitio ab intellectu proficiſcens, & ad ſapientiam Dei pertinens peculiariter attribuitur verbo: *Verbum* enim, inquit D. Th. cit. *non ſolùm eſt id per quod fit diſpoſitio, ſed eſt ipſa patris diſpoſitio de rebus creandis.* Hinc creatio & diſpoſitio rerum communiter in ſacra ſcriptura, & à SS. Patribus verbo, ac Filio æterno adſcribuntur: *Dixit & facta ſunt*, hoc eſt, inquit Aug. *Verbum genuit in quo erat vt fieret: denique quod factum eſt, in ipſo vita erat, in ipſo condita ſunt vniuerſa*, &c.

Ideo D. Hilarius explicans illud *Omnia in ipſo, & per ipſum creata ſunt, in ipſo creata*, inquit, *quia naſcebatur creator Deus* & alibi. *Primogenitus quoque eſt omnis creaturæ, continens in ſe omnis vniuerſitatis exordium.* l. 2. de Trinit. 8.

Clem. Alex. *Nos autem ſumus ante mundi conſtitutionem, qui eo quod eſſe oportebat, in ipſo Deo priùs ſumus geniti:* Dei verbi *ſumus figmenta* Strom. 1.

Enn. 5. l. 8. c. 11. *ratione prædita.* Simile quidpiã habet Plotinus cum de animi contemplatione loquens ait, *Quidnam potiſſimum nunciat? Nempe ſe Deum vidiſſe pulchrum filium, & omnia in filio generantem.*

Ratio eſt quia diuina eſſentia, cùm infinitæ ſit amplitudinis, nequit verè participari vt in ſe eſt; ſed duntaxat per quandam finitam, & determinatam proportionem, id quod eſt non elargiens totum, ſed ex ſo quod, quantùmque proportio creaturæ ad Creatorem permiſerit, cum ordine, numero, & menſura diſtribuens. Proportionem autem hanc, ſiue numerum, ſiue ordinem, ſiue denique menſuram vnicuiq[illegible] ſcribere, proprium opus eſt intelligentiæ: ſola enim m[illegible]s eſt, quæ vnum cum alio, aut multa inter ſe conferre, digegere, coaptare, necnon & dimetiri valeat. Diuina ergo eſſentia quantùm ad ipſam attinet, non magis vno modo participabilis eſt, quàm alio: omnia præhabet vniformiter, multiformiter nihil: fundum eſt infinitum, incircunſcriptum, immenſum, ex quo tamen nihil ſine certo modo, congruaque menſura, aut ſine determinato numero prodire vnquam poteſt: quare ante prædefinitionem modi, quo vnumquodque participetur, eſſentia diuina non eſt participabilis vllo modo determinato, neque vllius rei exemplar prædefinitum. Ideo ex intellectione prouenit omnis idearum diſtinctio: necnon & rerum omnium poſſibilium numerus,

De ideis a. 2. *Res creatæ non perfectè imitantur diuinam eſſentiam: vnde eſſentia non accipitur abſolutè ab intellectu diuino, ſed cum proportione creaturæ fiendæ ad ipſam diuinam eſſentiam..... Ideo ipſa diuina eſſentia cointellectis diuerſis proportionibus rerum, eſt idea vniuſcuiuſque rei. S. Th.*

Hoc totum Platoni mirificè conſonat, ipſe enim in Phædone ſic ait: *Cum audiſſem mentem omnia exornare, omniumque cauſam eſſe, hoc vtique cauſæ genere magnoperè ſum delectatus, exiſtimans quodammodo conſentaneum mentem eſſe omnium cauſam. Putabamque ſi id ita eſſet, vt mens omnia exornaret* (i. efformaret, digereret, ſpeciemque rebus atque ordinem, modumque imponeret) *Singula per hanc ita eſſe diſpoſita, vt optimè diſponi poterat.* Vide quæ ſupra ex Philebo attulimus. §. 1. item quæ c. 3. §. 1. ex Plutarcho, & vbique inuenies diſpoſitionem rerum naturalium diuinæ menti propriè attribui, & Filium æternum appellari proprio quodam titulo δημιουργὸν αἴτιον, κοσμοῦντα, διακοσμοῦντα, &c. fabricatorem, cauſam, ornatorem, & ordinatorem vniuerſi, hæc ſufficiant Philoſopho, præſertim Phyſico.

An verò tam ſublime ſapiat Ariſtoteles iudicet lector ex his verbis

7 Met. c. 8. *Patet ergo, quòd formarum cauſa (quemadmodum quidam dicere ſolent formas) ſi aliqua ſunt præter ſingularia, ad generationes, & ſubſtantias nihil proſint, neque ſint propter hæc ſubſtantiæ ſecundùm ſe.* Item *dicere*

1 Met. c. 32. *exemplaria ideas eſſe, & cætera eis participare, vaniloquia, & metaphoras poeticas dicere eſt, quid enim eſt quod agit, ad ideas inſpiciens? Fieri enim, ac eſſe poteſt quiduis ſimile, tametſi ad illius imaginem non exprimatur.* v. C. 14. §. 1.

§. 3.

Quædam obiecta ſoluuntur.

OPPONITVR primò quòd eſſentiam Dei nulla res valeat imitari ob eius infinitatem. Ergo, illa nequit eſſe huius idea: A... probatur tribus inſtantijs. *Prima* eſt huiuſmodi, inter Deum & rem crea... plus eſt diſſimilitudinis, quàm inter quaſlibet res creatas: ergo cum inter res creatas vna ſæpiùs non poſſit imitari aliam, (quid enim formicæ cum angelo) à fortiori, res omnes Deum multò minùs imitabuntur. *Secunda*, quilibet artifex intuendo exemplar, inſpicit id quod ipſe facturus eſt, ſed Deus intuendo eſſentiam ſuam, non videt quod facturus eſt: ergo eius eſſentia non eſt exemplar.

Tertia; diuina eſſentia non magis repræſentat creaturam, quàm cœlum repræſentet formicam: ſed ſi quis facturus formicam reſpiceret cœlum, non propterea cœlum diceretur idea formicæ: ergo neque diuina eſſentia dici debet exemplar, tametſi eam inſpiceret Deus, creaturam conditurus.

Reſp. nego primum Ant. ad primam inſtantiam dico quoad gradum entis, & naturæ ſpecificæ res omnes plus à Deo diſtare, & minùs cum illo habere ſimilitudinis, quàm cum quibuſlibet alijs rebus: non tamen quoad gradum, aut rationem participationis, & imaginis: alioquin negent, ſi auſint, hominem factum eſſe ad imaginem Dei. Sic chartacea imaguncula hominis plus habet cum eo diſſimilitudinis, quàm lupus quoad gradum entis, & naturæ; licet multò plus habeat proportionis in ratione imaginis: paucis, conuenientia formali & vniuoca plus diſtat creatura quælibet à Deo; non proportionali & analoga. Item plus diſtat ab æqualitate perfectionis, minùs ab imitamine participationis: formica forte cum Angelo conuenit vniuocè in ratione ſubſtantiæ; eſtque in eodem gradu entis creati vt ſic. Denique propriùs etiam accedit ad gradum eius formalis perfectionis: ſed in ratione imitaminis & ideali, plus differt, quia eius participatione nihil eſt.

Ad ſecundam inſtantiam reſp. nego Mi. non quòd eſſentiam ſuam facturus ſit, ſed quia in illa & per illam videt Deus creaturam, quam facturus eſt extra ſe: ſicut in ſpecie, & per ſpeciem, quæ eſt in oculo meo, video ea quæ ſunt extrà me, & architectus per conceptum & in conceptu ſuo videt domum, quam facturus eſt procul à ſe.

Ad tertiam reſp. nego paritatem, cælum nequit dici exemplar formicæ, quia non eſt ratio illius formandæ, nec forma eius principalis: neque hæc participatione illius, neque ad eius imitationem fit.

Dices, opifices apud nos, dum operantur, non reſpiciunt conceptum ſuum formalem. Ergo cauſa exemplaris non conſiſtit in conceptu formali, Ant. patet, quia conceptus formalis eſt ipſa cognitio

„ formæ archetypæ: quam ſola reflexione cognoſcimus: reflexione autem non vtuntur artifices: ergo. Reſp. hæc omnia vltrò concedimus, agnoſcimus conceptum obiectiuum, ſed & formalem non excludimus. Sola cognitio non eſt exemplar, imo eſt cognitio exemplaris: ſed exemplar illud, quod eſt conceptus obiectiuus .i. res cognita ſub ratione formæ participandæ, eſt diuina eſſentia; non res creanda: nec tamen illa eſt exemplar, niſi prout mentis diſcernentis ac p'.defi nientis diſpoſitioni coniungitur.

„ Opifices porro humani à Deo multis titulis differunt: primò, quia imitantur perſæpe obiectum extrinſecum. Secundò, quia cùm intrinſecum formant, id ex ijs quæ extrinſecùs cognouerunt, confingunt. Nihil horum in Deo fingi debet: ſeipſum imitatur, non aliud; ex eſſentiæ ſuæ conſideratione æternos format archetypos, non ex alienæ: quare ille quodammodo ſe habet vt pictor, qui ſe, non alium pingeret.

„ Qværes quomodo per intellectum diſtinguantur ideæ. Reſp. D. Th. quia *ex conſideratione diuinæ eſſentiæ adinuenit diuerſos modos imitationis ipſius, in quibus pluralitas idearum exiſtit*. Eſt itaque eſſentia

q. de ideis a. 2. ad 6. per ſe participabilis eminenter & indiſtinctè: per intellectum verò fit talis diſtinctè, atque adeo exemplariter .i. intellectus diſcernit omnes proportiones, ſub quibus creatura poteſt ſuum participare creatorem. Paucis, poſſibilium participationum modos omnes diſcernit ſolùm: modos verò futurarum decernit, ac prædeterminat.

Capvt XXIX.

DE CAVSÆ EXEMPLARIS efficacitate ac diſtinctione.

§. 1.

Quæ ſit cauſalitas cauſæ exemplaris.

Mvlta ſcribi ſolent à Platonicis ad hoc propoſitum ſpectantia, quorum expoſitione manifeſtior euadet vis idearum.

Primò idea dicitur exemplar, quod mundi opifex imitatur in quolibet opere, quod extra ſe molitur. Ita Plato in Timæo, vt patet in verbis ſuprà cit. c. 27. §. 1. atque hæc eſt præcipua cauſæ exemplaris cauſalitas, nimirùm paſſiua ſui imitatio, & omni exemplari conuenit.

In Phædone. *Secundo*, eſt ipſa prima & immediata ratio formalis, cur quælibet res ſit id quod eſt. *Si quis mihi dixerit*, ait Plato, *quare pulchrum ſit quodlibet, videlicet quia colorem habeat floridum, vel figuram, vel aliud quoduis talium: cætera equidem valere ſino, in cæteris enim omnibus ſolto*

perturbari: id verò vnum ſimpliciter teneo, nihil aliud eſſe quod aliquid faciat pulchrum, quam ipſius pulchri, ſiue præſentia, ſiue communio, ſiue qualicumque ratione, & quocumque modo id proueniat: neque enim id adhuc affirmarem, ſed pulchro pulchra omnia eſſe pulchra, id mihi videtur tutiſſimum reſpondere: v. quæ diximus in Logica, *c.7.§.2.*

Tertiò, Exemplaris hæc forma ſupponitur eſſe vbique, & quidem vnica, ſimplex & indiuiſibilis. Infertur hoc ex verbis citatis & clariùs ex Sophiſta, vbi de perfecto Philoſopho ait, quòd *vnam ideam per multa, vnoquoque ſeorſum poſito, paſſim porrectam acutè perſentit ..... & vnam rurſus per tota illa, quæ multa ſunt.* Item ex Parmen. *Sicut dies vnus vbique ſemel adeſt, nec ipſe tamen à ſeipſo ſecernitur: ita nihil prohibet, quamlibet ſpeciem vnam, & eandem ſimul multis adeſſe: nec tamen à ſeipſa ſecerni.*

Ex his patet falli turpiter eos qui quærunt vbi ſint ideæ Platonis, quaſi eas ipſe in loco ſupramundano, aut in concauo lunæ conſtituiſſet. Legant ipſi quid Plotinus vbique ea de re diſſerat in 5. enim Enn. l.8.c. 12. ſic fatur: *Deus enim delectatus his quæ genuit, ſuique partus amans, penes ſeiſum cuncta continuit; tum ſui ipſius, tum ſuorum ſplendore congratulans*, & in *6. Ennead. l. 4. & 5.* poſtquam mentis diuinæ, & idearum immenſitatem efficaciſſimè demonſtrauit, optimè dicit non ideas in res participatas deſcendere, ſed res in illis fieri: quatenus earum participes euadunt, & ab illis vbique vigentibus fiunt; nec inde ſeparantur. Item *neceſſarium*, inquit, *exiſtimo non ita diſponi naturam, vt ideæ quidem hinc ſeorſum poſitæ ſint: materia verò illinc locata ſeorſum; atque deſuper aliunde illuſtratio quædam veniat in materiam.* Rurſus *materiam, exiſtimandum eſt vndique ideam velut attingere, rurſuſque nequaquam attingere, atque ita ſecundum ſe totam ab idea reportare nonnihil, conferente ad id propinquitate, quatenus accipere poteſt nullo prorſus interueniente medio.* His verbis declarat materiam euadere participem ideæ prout cauſarum naturalium interuentu præparata fuerit, capaxque recipiendæ imaginis, quæ ab illa in ſubiecto idoneo, quaſi color à luce in diaphana nube, promicare aſſueuit: aut quemadmodum vox oratoris tametſi præſens aëri, brutis, & hominibus, non tamen in his omnibus eandem relinquit impreſſionem: ſed in vno quoque prout aptum eſt; in aëre, ſimplicis motionis; in brutis, ſoni; in homine, ſignificati: ita, &c. l.5.c.8.

Secundò, patet ideam non communicari ſeipſa immediaè, quaſi eſſet propria rerum forma informans. Hoc refellit Plato, cum aſſerit ideam *nunquam à ſeipſa ſecerni*, i. manere ſubſtantiâ, etſi non loco ſeparatam. Hoc item paſſim inſinuat cùm de formis naturalibus loquens ait, eas *eſſe ſimulachra miro & inexplicabili modo ab entibus, quæ verè ſunt*, (i. ideis) *figurata*. Hoc idem Plotinus cit. abunde cõprobat. *Neque mirandum eſt*, inquit, *ens ideale ſic in omnibus eſſe, quippe cum in nullo eorum* (ſc. indiuiduorum) *ſic inſit, vt ſit illorum.* Et infrà: *oportet, quæ participant illud, ita illud participare, quaſi non participent: quippe cum ipſum proprium nullius euaſerit; ſic enim manet in ſeipſo totum*, &c.

In Timæo.

En.6.l.5.c.8.

c. 8.

Tertiò, patet ideam immediatè per ſeipſam in materia diſpoſita, & proximè capace imprimere formam participatam per modum ſigillationis, vel formalis expreſſionis. Hoc enim inſinuat Plato, dum noſtrates formas vocat *ſimulachra ab ideis figurata*, q. d. Imagines ſigillo, ſiue vi expreſſiua idearum in materia ſignatas. Cæterùm duplex notabilis occurrit diſtantia inter ideam & ſigillum. *Prima* eſt quòd ſigillum non ſit intimè præſens omnibus, ſed ſuperferri debeat [illegible]is & [illegible]ais ceris: ſecus exemplar diuinum, vbique adeſt totum, & in[illegible]um eſt cuilibet parti materiæ: in quo à noſtratium artificu[illegible]xemplaribus differt: hæc enim ſicut & ars ipſa, rationem habent externi principij; illud verò, interni.

Secunda eſt, quòd figura ex impreſſione ſigilli relicta, permaneat, ablato ſigillo, ab eoque non pendeat vt dicunt, in conſeruari: ſecus formæ, quæ ab ideis emanant, iugiter fluunt, vti imagines quæ in *aquis, ſpeculis & vmbris* emicant, inquit Plotinus.

Orat. 8 cõtra Eunom.

Hoc in tota Platonica Philoſophia demonſtratur: hinc iſtud excepit S. Greg. Nyſſ. *Creatura melioris participatione in pulchro fit, quæ quidem non ſolum eſſe cæpit, ſed etiam ſemper deprehenditur incipere eſſe in pulchro; propter incrementum, quo ſemper tendit in melius.* Vide dicta ſuperiùs c. 20. §. 1. concl. 2.

Quartò, denique patet ideam totam quidem exprimi in ſingulis, ſed non totaliter. Ratio eſt, quia & indiuiſibilis tota eſt. Cùm tamen viribus polleat infinitis, has certè non omnes in vnoquoque exerit, ſed hanc in hoc: illam in illo, vt diximus in Logica c. 13. §. 5. Hinc D. Damaſc. *Particulare*, inquit, *dicitur hypoſtaſis, particulare verò, non quod aliquam partem habeat natura, aliam non habeat; ſed particulare numero, tanquam indiuiduum*, &c. v. P. Dorgeuillæum.

De fide l. 3. cap. 6.
Dial. Plat. p 3. c. 1. prop. 4. & 5.

Quæ hactenus dicta ſunt veritati, ſunt maximè conſentanea. Interim multa de ideis paſſim corrigenda occurrere apud Platonicos interpretes ac diſcipulos, non diffiteor. Sed pretioſum à vili, ſanctumque à prophano diſcernere nos vbique oportet.

§. 2.

Quòd cauſa exemplaris quintum genus cauſæ conſtituat.

Seneca ep. 65.

CONCLVSIO. Veriſimillimum eſt exemplar eſſe quintum genus cauſæ: Ita 4. reliquis cauſis *quintam Plato adiicit exemplar, quam ipſe ideam vocat. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet, numeroſque vniuerſorum, quæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt. Plenus his figuris eſt, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles*, &c.

Ratio, quia diuerſus eſt agendi modus, vt patet ex c. 18. §. 1. Confirmatur ex eo, quòd non minùs diſtingui debeat, quam finis. Finis enim ab efficiente diſtinguitur eo quod ſit *id cuius gratia* quidpiam efficitur: cùm efficiens ſit *id vnde eſt principium motus*. At exemplar ab

vtroque differt, quia eſt *id ad cuius imitationem aliud fit.* Vlteriùs, efficienti conuenit executio; fini propoſitum, ſiue intentio; exemplari denique formalis directio. Hæc autem tria reipſa differunt. Ergo & reliqua.

Rurſus, efficiens operatur propriè per motum, quo effectus effluit ab agente, & paſſum exteriùs tranſmutatur. Finis per amorem, quem interiùs in ſolo agentis appetitu excitat. Exemplar denique per cognitionem, quam ſolus capeſſit intellectus. Hæc autem tria, motus Phyſicus, amor, & cognitio ſunt actus reuera diuerſi. Ergo cauſalitates quæ in illis eſſentialiter ſtabiliuntur, atque ab illis ſpeciem deſumunt, ſunt reuera diſtinctæ, diuerſaque cauſarum genera conſtituunt. Hinc ita tria hæc poſſumus diſcriminare, vt efficienti virtus & fœcunditas vnitatis adueniant (vnitas enim cùm ſit principium omnis multitudinis, eſt etiam initium omnis motus, atque multiplicationis.) Fini per ſe ipſa competit bonitas: cùm non moueat, niſi vt amatus. Exemplari denique ipſa quidni adiudicetur veritas, ſiue pulchritudo? eo enim ipſe diuini vultus ſplendor radiat: pulchrorumque omnium originales, & æternæ ſpecies veris ac genuinis ſuis fulgoribus emicant: hinc *pulchrum propriè pertinet ad rationem cauſæ formalis*, ex D. Thom. 1. p. q. 5. a. 4. ad 1.

Denique ſi exemplar ab efficiente non differt: ergo nullum eſſe poſſet efficiens ſine exemplari, quod tamen falſum eſt. Quamobrem cum multæ cauſæ ſuos verè omnes effectus exerant, quæ nullum tamen exemplar reſpiciant, ſequitur id quod *efficere* propriè dicimus, aliud reuera eſſe ab eo quod *propriè* interpretamur *imitari*.

§. 3.

Soluuntur obiecta.

EX dictis ſolui per ſe poſſent omnia, ſed maioris claritatis gratiâ iſthæc ſubiicimus.

Opponunt primo Peripatetici ex Ariſt. 7. Met. ideam in artifice ſe habere, vt formam in naturalibus, quæ cõſtituit efficiendi principium. Ergo. Reſp. Dictum illud Ariſtotelis partim verum eſſe, partim falſum, verum eſt in eo quòd, vt effectus naturalis fit ad ſimilitudinem formæ, qua informatur corpus agentis; ita effectus artificialis fit ad imitationem formæ, qua informatur mens artificis: falſum eſt in eo, quòd ſimilitudo deſcendat à forma naturali per actionem naturalem, quæ cæco quodam niſu, & ignauo veluti pondere foras emittitur: Imitatio verò à forma exemplari proueniat per cognitionem quæ conſultò, ac ſapienter in animo tota generatur. Adde quòd ſimilitudo, quæ per cauſam efficientem inducitur, ſit plerumque vniuoca, & forma quæ generatur, ſit in eodem gradu participationis cum forma generante. Secus de imitatione ideali dicendum eſt: ea enim ſemper analoga eſt: nec forma operis ita eſt principalis, neque ita imparticipata,

Phyſica.

ſicut forma exemplaris. Vtraque ergo forma efficientem determinat, ſed differenter: illa per limitationem virtutis actiuæ; hæc per determinationem obiecti imitandi: illa per eſſe ſpecificum vim efficiendi largitur agenti; hæc per dictamen rationis eamdem vim dirigit quam & ſupponit: illa phyſicam edit expreſſionem formæ eiuſdem ordinis: iſta intelligibilem expreſſionem formæ diuerſi ordinis à participata facit.

a Scot. D Bonau. Alenſis Heruæus. b Albertus. Ægidius. Henricus. Gandau. c Imputatur D. Th. De Diuin. Nom c. 5.

His rite perſpectis facile tolletur occaſio diſſenſionis, qu[illegible] inte[illegible]thores tandiu efferbuit: quorum a alij exemplar ad efficient[illegible] b alij ad fo[illegible]nam: c nonnulli ad finalem cauſam reuocant. P[illegible] eò perſuadentur quòd quidquid efficientem determinat, eique principium eſt effectum aſſimilandi, ad effectum pertineat. Secundi conſiderant exemplar ab antiquis ſemper ſolere nomine formæ indicari. Tertij attendunt modum influendi, qui totus in apprehenſione conſiſtit: verum inde omnis hæc diſſenſio naſcitur, quòd putent, Exemplar neceſſariò ad aliquam 4. cauſarum eſſe reuocandum. Sed hoc ſublato impedimento, facilior patebit ad veritatem acceſſus. Contrà primos dicimus id ſolum quod determinat agens per modum principij informantis, & naturali ac cæco niſu influentis, ad efficientem reduci: non verò id quod determinat per modum formæ intellectæ, & dirigentis. Adde cætera, quæ ſuprà retulimus. Contra ſecundos dicimus exemplar dici formam non naturaliter informantem; ſed intellectualiter dirigentem: non internam, ſed externam; non denique ectypam, eiuſdemque ordinis cum producta; ſed archetypam & diuerſi ordinis. Contra tertios dicimus finem mouere per deſiderium bonitatis, vnde excitatur amor tam finis, quam mediorum: exemplar verò, per intelligibilem expreſſionem formæ ſinceræ, ac principalis, ſecundum quam veræ imagines per efficientem phyſicè exprimantur. Opponi adhuc poteſt, quod ideæ diuinæ communiter exiſtimentur effectrices: vnde D. Dionyſ. eas appellat *diuinas & bonas voluntates eorum, quæ ſunt, prædeterminatiuas, & effectrices*, &c. Ergo ad cauſam efficientem reuocandæ ſunt. Reſp. Ideas diuinas effectrices eſſe provt actui diuinæ voluntatis coniunctæ ſunt, non provt ſolum ſunt in intellectu: enimverò cum prima radix omnis diuinæ communicabilitatis, ſit ſumma Dei bonitas: & idea omnis ſit communicabilis, vt pote innumerabilium participationum fons ac origo; ſequitur ideas diuinas in diuina bonitate radicari. Diuina autem bonitas nunquam ſine voluntatis amatorio influxu deriuatur; ita nec ideæ: ſic mutuo ſibi cohærent duo hæc, idea, & voluntas: idea præſcribit modum communicationis; voluntas communicationem modo impertitur. Ergo idea ſolum provt modum tantummodo præſcribit, formulamque diuinæ operationis in diuina mente præformat, merè cauſa exemplaris eſt: provt verò executrici voluntatis determinationi coniungitur, effectrix eſt. Alia quammulta his ſuperſtruenda relinquo Theologis: nobis hæc prælibata ſufficiant: ad Phyſicen reuocor.

Quare hoc præcipuè notatum velim, noſtram hic & Phyſicorum omnium

nium diſceptationem eò debuiſſe vltimò collimare, non tam quid ſit cauſa exemplaris apud humanos artifices; aut quodnam cauſæ genus conſtituat, ſed vtrum talem aliquam natura habeat, ad quam ipſa ſit efformata. Talem agnouit Plato, & nos cum illo.

CAPVT XXX.

DE CAVSA FINALI.

§. I.

An ſit, & quis ſit finis rerum naturalium.

SVPPONO finem eſſe: imo propter finem facta eſſe, & agere omnia, vt docet Ariſtoteles *in 2. Phyſ.* verum ibi communiter videtur finem rerum naturalium in ſola earum forma cõſtituere: aut ſi vlteriorem agnoſcit: hunc eſſe hominem aſſerit: *omnia*, inquit, *ſunt gratiâ noſtri*: at nos ipſi noſtraque ad Deum omnia referamus.

Interim quòd natura propter finem operetur, his argumentis probat Ariſtoteles. *Primò*, quidquid fit vel caſu fit, vel *propter quid*. At res naturales non fiunt caſu. Ergo.

Secundò, quæ ordinatè fiunt ita vt priora terminentur ad poſteriora, propter finem, i. propter vltimum fiunt: nam propter hoc artefacta dicuntur fieri propter finem. Atqui res omnes naturales ſic ordinatè fiunt. Ergo. Confirmatur à paritate artis ſic: quæ fiunt arte ſunt propter finem: Ergo à fortiori quæ ſunt à naturâ: nam ſimilis vtrobique ſeruatur modus procedendi.

Tertiò, id demonſtratur præcipuè in operibus animalium, vt formicæ, hirundinis, &c. v. c. 14. §. 2. Hactenus optimè Ariſtoteles. Sed optaſſem vt edixiſſet quid illud ſit quod finem intendat, mediaque illi conſequendo accommoda præſtruxerit: itemque quis ſit ille omnium finis vltimis: ſed hoc vnum duntaxat deprehendo, naturam ſolam dici eſſe id, quod agit propter finem: Naturam, inquam, quæ in vno quoque eſt, ac primum principium internum, & per ſe motus & quietis; quæque ipſa forma informans eſt: eandemque finem eſſe propter quem natura operatur. Ideo negat iis quæ agunt propter finem opus eſſe conſiliô, vt actionem dirigant ſuam: altiùs Plato ſic euolat; *circa omnium Regem cuncta ſunt; ipſius gratia cuncta ſunt: ipſe pulchrorum omnium cauſa.* Epiſt. 2.

Sanè mirabilis ille, perpetuus, ac maximè ordinatus progreſſus operationum naturæ efficaciſſimè demonſtrat, ſupra naturam eſſe numen aliquod ſapientiſſimum, à quo omnia ſic in finem ordinentur; & illud eſt Deus. Hinc D. Thom. *Vnde patet, quòd natura nihil eſt aliud,* In 2. Phyſ. *quàm ratio cuiuſdam artis, ſc. diuina, indita rebus, qua ipſæ res mouentur ad finem determinatum.* l. 14.

§. 2.

Quid ſit finis, & quæ eius cauſalitas.

FINIS ſumitur multipliciter; primò eſt finis priuationis; ſic mors finis vitæ: ſecundò finis termini, ſic limes agri finis eſt: tertiò fir[illegible] conſumptionis; ſic vltima particula rei, eius finis dicitur, vt h[illegible] candelæ: quartò eſt finis intentionis, quem ſcilicet intendit operans: de hoc nunc loquimur.

Definitur communiter *id cuius gratiâ res fit τὸ τίνος ἕνεκα.* Sunt autem qui diſtinguant finem à cauſa finali, & hoc multiformiter: vel enim finis ſumitur pro vſu rei, vt finis pilei eſt tegere caput: & cauſa finalis pro propoſito, ſiue cogitatione de fine; vel finis dicitur reſpectu agentis; cauſa finalis reſpectu mediorum: vnde ſanitas eſſe quidem finis medici dicitur, ſed non cauſa; ſucus cauſa remediorum optimè affirmatur: vel finis dicitur vt terminat actionem, cauſa vt mouet cauſam efficiendem ad agendum. Quidquid ſit, de fine nunc loquimur, quatenus cauſa eſt: & vt clariùs innoteſcat, quænam eius ſit cauſalitas, inquirimus.

Caietanus exiſtimat eam non poſſe internoſci. Conimbricenſes putant eam in eo eſſe conſtitutam, vt finis exhibeat ſe voluntati, eamque ob innatam ſuauitatem ſui amore corripiat: alij opinantur diffundi à bonitate finis in voluntatem quidpiam diſtinctum, quo ad eius amorem illa prolectetur. Nonnulli confugiunt ad actionem agentis prout fit gratiâ finis.

CONCLVSIO. Propria cauſalitas finis ſatis ſufficienter explicatur, cùm dicitur eſſe deſiderium, vel amor finis, ab ipſa finis bonitate prouueniens: Ita D. Thom. *Sicut influere cauſa efficientis eſt agere; ita influere cauſæ finalis eſt, appeti, & deſiderari.*

De verit. q. 21. a. 2.

Probatur breuiter; quia ratio conſtitutiua finis eſt bonitas. Ergo propria efficacitas finis ea eſt, quæ per ſe competit bonitati: atqui ea eſt appeti, & amari. Hoc item patet experientiâ: Ecur enim ægrotus pharmacum ſorbet ob ſanitatem, an non quia ſanitatem deſiderat? Ecquid etiam eſt aliud gratiâ ſanitatis quidpiam agere, quam agere amore ſanitatis? ſubtiliora velle argutiolis perſcrutari, inutile prorſus exiſtimo. Vt tamen lux maior affulgeat iis quæ diximus;

Notandum eſt bonum ſolere communiter pro fine, & finem pro bono ſubſtitui: vnde fluxit hoc axioma finem & bonum conuerti: quo efficitur, vt bonum omne poſſit vt finis expeti; nec finis vllus vnquam ſit, niſi ſub ratione boni: etenim bonum ſolet ſic definiri *quod omnia appetunt*: aliunde finis etiam ſic deſcribitur, *Quod maximè volumus*: hæc autem duo idem ſunt; quapropter bonum vel eſt bonum, i. appetibile propter ſe, vel propter aliud: ſi primum, eſt finis; ſi ſecundum, eſt medium. Finis etiam nullus eſt, qui non ſit bonus; & boni: ideo mala carent fine, vt patet ex D. Thom. Dionyſ. l. de Diuin.

Nomin. & *in malis datur extremum, ſed non finis niſi metaphoricè*: ex 3. Met. t. 21. Denique malum quà malum, appeti non poteſt vt dicetur in Moralibus. Quod enim appetitur, amatur; quod amatur, placet & iucundum eſt; quod placet bonum videtur. Hinc Ariſt. 2. Phyſ. *id cuius gratiâ, optimum.*

[illegible]onici duplicem cauſalitatem agnoſcunt in ipſo bono. Prima eſt [illegible] diffuſiuum: ſecunda, vt ſit attractiuum & illecebroſum: allicit en[illegible] omnium appetitus ſui deſiderio, vt patet ex D. Dion. de Diuin. Nomin. Prima pertinet ad cauſam efficientem, vel ſaltem eius radix eſt: ſecunda finalem conſtituit. Imo prima oritur ex ſecunda. Nam D. Thom. docet bonum eſſe ſui diffuſiuum ex eo quòd ſit appetibile vt finis: quod enim ſic appetibile eſt, mouet Agentem ad agendum. Ideo *in cauſando primum inuenitur bonum & finis, qui mouet efficientem: ſecundo actio efficientis mouens ad formam: tertio aduenit forma. Vnde è conuerſo eſſe oportet in cauſato: quod primum ſit forma, per quam eſt ens: ſecundo conſideratur in ea virtus effectiua, ſecundum quod eſt perfectum in eſſe: quia vnum quodque tunc perfectum eſt, quando poteſt ſibi ſimile facere ex 4. Meteor. tertio conſequitur ratio boni, per quam in ente perfecto fundatur*: Hæc D. Thom. 1 p. q. 5 a. 4. & 1 coi Gent. c 38

Hinc infertur primò finem eſſe verè cauſam, imo primam cauſarum: ſecundò, bonum quodammodo eſſe ipſo ente ſuperius vt volunt Platonici: nam efficiens operatur virtute entis, nimirum quatenus eſt actu ens: finis verò virtute boni. At virtus finis eſt ſuperior virtute efficientis, eamque continet eminenter. Ergo bonum eſt ſuperius ente.

Notandum eſt prætereà duo quædam in fine conſpirare, ad hoc vt completam obtineat finis conſtitutionem. Primum eſt vt moueat appetitum: ſecundum eſt, vt eundem ſatiet, ac vltimò terminet; hinc enim præcipuè finis appellationem ſortitur: primum illi conuenit, quatenus eſt in intentione, ſiue in propoſito, dum nimirum illud cauſa efficiens primò appetit: ſecundum contingit, dum eſt in executione. Sic ægrotus primò intendit ſanitatem: & vltimò aſſequitur. Hinc fluxit hoc axioma, *quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione*: Ergo vt eſt in intentione, antecedit omnem etiam cauſam, dirigit, mouet, ex nullo pendet, ſed ex illo cætera. Vt eſt in executione, explet appetitum agentis, eſt quid optimum, eo præſente nihil vltra producitur. Ita hæc ſolicitè diſtingue, & quæ aliàs maximè pugnarent, videbis in fine conciliari: vt quòd ſit primus, & vltimus: cauſa & effectus: pendens à cæteris, & id à quo pendent cætera, &c. Hæc ſufficere poſſent ad perfectam declarationem finalis cauſalitatis, ſed ad maiorem euidentiam; aliquot dubia ſubiungemus.

§. 3.

Diuerſis difficultatibus ſatisfit.

QVÆRES primò. Quænam ſit illa motio, qua finis mouet? Reſp. eam communiter dici metaphoricam, non quod realis non ſit; ſed quia non eſt motio Phyſica, quæ induceit realem mutationem in ſubiectum, cui accidit: dicitur autem motio realis, quia eſt realis excitatio appetitus ad talem finē: hæc autē fit hoc modo: primò intellectus cogitat de bonitate finis: deinde hæc voluntati proponitur: propoſita placet, placens denique deſideratur. Ineſt enim nobis à natura inclinatio ad bonum, quæ bono non propoſito, quodammodo ſopita manet iners; illo vero propoſito, euigilat, ſeque in actum exerit: idque non ſine influxu primæ ac ſummæ bonitatis. Nam vt in agentibus ſic in finibus; medij non agunt, niſi virtute primi, & prout illi ſubordinantur. *Ideo ſicut Deus propter hoc, quòd eſt primum efficiens, agit in omni agente, ita propter hoc, quod eſt vltimus finis, appetitur in omni fine.* D. Thom. & ſicut demonſtratio cuiuſcumque veri reſoluitur in cognitionem primorum principiorum, quæ fit irradiatione primæ veritatis; ita deſiderium cuiuſlibet boni debet reſolui in amorem vltimi finis, qui fit per illecebras primæ bonitatis.

De verit. q. 22. a. 2.

QVÆRES ſecundò: quid ſit, quo præcipuē mouet finis: vtrum ſcilicet eſſe actuale quod habiturus eſt in executione; an ſola bonitas, quam habet in intentione. Reſp. quod bonitas vt apprehenſa; quia ſic prior eſt. Quare ſecundum illud eſſe in executione futurum, effectus eſt potius, & non cauſa. Interim nota bonitatem apprehenſam, vt moueat, debere concipi vt realem, & poſſibilem. Nam ſi chimerica videatur, perinde creditur ac ſi nulla eſſet: quod autem non eſt, non mouet: quæ verò non putatur poſſibilis, deſiderium quidem poteſt indere, ſed inefficax: quis enim vellet operari propter bonum, quod ſcit comparari non poſſe? at ſufficit, ſi realis, & poſſibilis reputetur, licet talis reuera non ſit, vt conſtat in iis qui malo fine, vel in caſſum operantur.

QVÆRES tertiò. Quomodo ipſa bonitatis apprehenſio concurrat cum fine, vtrum ſit ratio quædam formalis *ſub qua* finis moueat; an ſolùm conditio, quaſi applicatio intellectualis, qua finis appetitui proponi neceſſariò debeat. Reſp. Non multùm referre vtrumuis affirmetur: probabilius tamen eſt eam eſſe tantùm conditionē. Etenim tota cauſalitas finis exercetur in appetitu. Apprehenſio autem eſt in intellectu. Hinc fit vt *diuerſitas apprehenſionum per accidens ſeſe habeat ad appetitiuas vires diſtinguendas*: vt ait D. Thom. & ſi quando legeris *potentias appetitiuas diſtingui ſecundum differentiam apprehenſorum, ſicut ſecundum propria obiecta*, Senſus eſt. obiecta formalia diuerſa appetitûs, diuerſitatem ſpecificam appetituum inducere ſecūdùm conditionem, & ordinem apprehenſionis, qua proponi poſſunt appetitui, adeò vt ſi

De verit. q. 25. a. 1. 1. p. q. 8. a. 2. ad 1.

535

bonum appetibile ſit tale, vt apprehendi poſſit ab intellectu, ad appetitum intellectualem .i. voluntatem pertineat: ſin à ſenſu ſolùm, ad ſenſitiuum.

QVÆRES QVARTÒ, quomodo finis in media influat. Reſp. ſecundum quoſdam, finis duplicem habet cauſalitatem, vnam in efficientem, [illegible]em ſui deſiderio allicit: ſecundam in media, quibus externam qua[illegible] bonitatem affundit: explico, qui amat finem aliquem putà victoriam, eodem amore amat media, quæ idonea reputantur ad illam obtinendam nempe bellum, pugnas, cædes, &c. iſta ſic amantur, non quòd ſecundùm ſe bona ſint, aut grata hominibus, quin potiùs moleſtiſſima ſunt. Sed bonitas finis efficit, vt hæc amentur perinde ac ſi bona eſſent: ita finis communicat amabilitatem ſuam medijs, quatenus ea facit amanda propter ſe; habent quidem media internam quandam aptitudinem ad finem conferendum; vt pharmacum habet vim reſtituendi ſanitatem; ſed hæc vis interna non eſt ratio cur ametur: quia ſemper amaretur, cùm ſemper eam habeat: confert quidem ad rationem medij, quoniam ſine illa medium non eſſet, neque ad finem conduceret: ſed nihilominus amoris cauſa proxima eſt ſola bonitas finis, quæ tali medio hic & nunc, quaſi inſpergitur: eſtque regula & menſura, cur media tantum, & non ampliùs appetantur. Et hinc verum eſt, quod dixit Ariſt. *In fine non eſt modus aut menſura*, media verò menſuram, & modum à fine accipiunt. Ergo vt ad quæſtionem reuocemur, multi exiſtimant illam mediorum amabilitatem eſſe ſecundam cauſalitatem finis: alij vt Vaſquez, hanc eſſe vnicam. Alij aliter: cæterùm omiſſis ſuperfluis; dico per ſe hoc ad cauſalitatem finis pertinere, vt aliquid ametur propter ipſum: id inductione poſſet oſtẽdi, nam quiſquis finis gratiâ operatur, vel ſaltẽ ipſam operationem amat propter finem: & Deus ſibimet dicitur fieri finis, dum creat; quia & ipſam creaturam propter ſemetipſum amat, &c. At non propterea decet amorem ipſius finis ab eius cauſalitate excludere: nam hinc vniuerſa eius efficacitas pendet. Primò in amorem finis rapitur appetitus, inde reflectitur, & deſcendit in media: ergò finalis cauſalitatis terminus eſt amor finis, non præcisè, ſed prout eſt principium amandi media.

[Margin: 1. Politic. cap. 6.]

[Margin: In 1. 2. dé diſp. 3.]

Notandum hic arbitror ſecundum Ariſtotelem non poſſe commodè declarari quomodo in iis quæ agunt propter finem ſemper interueniat apprehenſio boni, ſiquidem arbores, bruta, & cæt. agunt operationes naturales propter finem, bonum autem quodnam apprehendunt? Ad intelligentias verò & ad Deum ipſum recurrunt orthodoxi: at apud Ariſtotelem vt rectè hic notat Pererius, loco deſiderij conſequentis apprehenſionem boni in agentibus intellectiuis, ſola ſufficit in naturalibus virtus actiua, & naturalis inclinatio ad effectus determinatos & ordinate producendos, ideo l. 2. Phyſ. c. 5. ait eorum quæ *fiunt alicuius gratiâ; quædam agere ex electione; quædam ſine electione: illa eſſe à mente; hæc à natura, &c.*

§. 4.

Quotuplex & qualis ſit finis.

DIVISIO finis eſt multiplex. Primò diuiditur in finem cu[illegible] gratiâ, & finem cui: finis cuius gratiâ eſt res propter q[illegible] amat, & appetit media: finis cui eſt perſona vel ſuppoſitum cui appetitur bonum. v. g. ſanitas eſt finis cuius gratia, quia eius amore æger deſiderat pharmaca: finis cui eſt ipſemet æger, ipſe enim ſibi appetit ſanitatem. Ex his duobus completur vnus & integer finis: ſicut ex obiecto *quod* & obiecto *quo* vnum obiectum adæquatum exiſtit: neque enim illi duo fines vnquam ſeparantur; quia nunquam appetimus vnum propter aliud, niſi in ordine ad aliquem.

Secundò, diuiditur in finem *qui* & in finem *quo*. finis *qui* vocatur obiectiuus, & eſt res obtenta in qua ratio boni expetiti reperitur: finis *quo*, qui eſt formalis, eſt operatio per quam finem alium aſſequimur. De hac fiet amplior diſceptatio in moralibus.

Tertiò, diuiditur in finem, qui appetitur, vt efficiatur; & in eum qui ſolùm appetitur, vt poſſideatur. Sic Deus eſt finis hominum & Angelorum, non vt eum efficiant, ſed vt illi coniungantur, aſſimilentur, eoque perfruantur.

Quartò, diuiditur in finem artis, finem artificis, finem operationis, vt in medicina, finis artis eſt reſtitutio valetudinis; finis artificis, eſt mederi, ſæpe ipſum lucrum; finis operationis quandoque ſanitas, quandoque deterior valetudo.

Quintò, diuiditur in finem vltimum, & ſecundarium ſiue intermedium. Vltimus eſt, ad quem omnes alij referuntur; intermedius ad quem alia, & ipſe ad alium: ſicut digreſtio cibi eſt finis ambulationis, & medium ſanitatis. Hæc de diuiſionibus ſatis.

Qualitas fini propriè non competit; ſed tamen poteſt ſubintelligi per diuerſa attributa, quæ fini ſolent adſcribi, quorum præcipua ſunt hæc.

Primò, finis per ſe & ſua natura tantùm eſt bonus, & boni, hoc eſt, quod diximus *finem & bonum conuerti.*

Secundò, finis eſt cauſa & effectus, diuerſo reſpectu. Nam vt productus & exiſtens eſt effectus agentis: vt præconceptus, & cupitus, habet vim cauſæ, hinc oritur quòd *Primus ſit in intentione, & vltimus in executione.*

1. Magn. mor. c. 2. *Tertiò*, finis quâ finis ſemper eſt prior & perfectior medijs, hinc Ar. *In vniuerſum ſemper id melius eſt, cuius gratiâ.* Dixi *quâ finis*, alioquin non eſt à ratione abſonum media quædam ſecundum eſſentiam eſſe multò perfectiora fine, ſicut in ſententia Thomiſtarum, myſterium Incarnationis eſt propter ſalutem hominum, qua tamen multò præſtantius eſt, idque inſinuat apertè Eccleſia canens: *Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis.* Verùm ſalus hominum non habet

rationem finis, niſi quatenus diuinæ voluntati, eiuſque ſummæ gloriæ coniuncta eſt: quomodo poteſt eſſe aliquid prius illo ſacro-ſancto myſterio.

Quartò, fines ſecundarij, ſeu intermedij ex vltimo æſtimantur: item *virtute vltimi mouent*, &c. inde hæc ſequuntur: *qualis fuerit finis, talis eſt actio; ad finem ſupernaturalem media ſupernaturalia requiruntur*, &c.

Quintò, quæcunque habent cauſam efficientem, habent etiam finem: quoniam efficiens ſemper à fine moueri ſupponitur (intellige *mediatè, vel immediatè*, quia ſicut agentia neceſſaria non agunt niſi virtute primi agentis liberi, quod eſt Deus: ita inſtinctu naturali mouentur per illum à fine, quem intendit,) hinc ſequitur *cauſam efficientem fini reſpondere: & vltimum finem & primam cauſam eſſe idem.*

An verò è conuerſo quæcumque finem habent, cauſam efficientem habeant, difficultas mouetur ob Ariſtotelem, qui videtur ſentire Deum eſſe finem mundi, & intelligentiarum, cùm tamen arbitretur mundum eſſe reuera ingenitum & intelligentias æquè improductas, & immortales, ac primam, vt patet ex 12. Metap. t. 30. & 44. ad hoc reſpondet benè, vt opinor, Picolominæus ſic: *Ea quæ non ſunt genita, ſunt deſtituta fine generationis, at non ſine rei genitæ, vel in rerum ſerie conſtitutæ; ſic motores cœlorum inſeruiunt Deo, vt poſtremo fini; Et propter finem operantur, qui finis habet ſedem non in generante eos, ſed in motoribus finem optantibus, & pro eo mouentibus.* Hæc eſt germana opinio Ariſtotelis, at quoad rei veritatem nulla eſt difficultas, quia fides docet omnia eſſe à Deo condita: ita verum eſt quidquid finem habet, propter quem exiſtat, habere quoque cauſam efficientem, per quam factum fuerit. In 2. Phyſ. cont. 38.

CAPVT XXXI.

DE FORTVNA.

§. I.

An ſit & quid ſit.

DARI fortunam & effectus fortuitos communis mortalium opinio & loquela confirmant. Quid ſit, paulò ſubobſcurius eſt: duo autem ſunt, quæ huc ſpectant, primum, quomodo definiri, aut deſcribi debeat, ſecundum, an ſit aliquod principium determinatum quod præſit effectibus fortuitis.

Quoad primum, notandum eſt cauſarum alias eſſe per ſe, alias per accidens: cauſæ per ſe ſunt, quæ producunt effectus naturâ, vel electione determinatos: cauſæ per accidens ſunt, quæ producunt effectus præter naturalem ordinem agentis, aut præter eius intentionem.

Vel aliter ſic, cauſa per ſe, vel eſt naturalis, vel libera: naturalis eſt, quæ ſuapte natura determinatum effectum producit, idque vel ſemper, vel vt plurimùm, ſicut quòd leo gignat leonem: quòd multum pluat hyeme. Cauſa per ſe libera eſt, quæ producit effectum, quem propoſuit efficaciter hic, & nunc producere: vt quòd medicus ſanet.

Cauſa per accidens ſimiliter eſt vel in cauſis naturalibus, vel in liberis. Illa eſt quæ non ſuâ naturâ effectum producit, ſed per aliud, vnà cum alio, quod ei contingenter acceſſit: vt quòd febris temperantiam ingeneret, hoc enim non per ſe operatur, ſed ratione bonæ voluntatis, cui coniuncta eſt non neceſſariò, ſed contingenter. Cauſa per accidens in liberis eſt, quæ præter intentionem, effectum producit ob contingentem acceſſionem alterius cauſæ, vt quòd homo fodiens agrum, theſaurum inueniat.

Cauſa per accidens in liberis vocatur fortuna; cauſa per accidens in naturalibus dicitur caſus. Quamquam aliquando hæc duo confundi ſolent: propriè tamen ſic diſtinguuntur vt fortuna ſit in ijs, quæ fiunt ex electione; caſus verò in ijs quæ ſunt à natura: hinc ſecundùm Platonem & Ariſtotelem fortuna deſcribitur ſic: *Cauſa per accidens euentuum rarò contingentium præter intentionem agentis liberi*: caſus verò, *cauſa per accidens euentuum rarò contingentium præter determinatum ordinem cauſæ naturalis.*

Dices, quòd in ludo vnus lucretur, perdat alter, hoc fortuitum dicitur, tamen id nec rarò, neque præter intentionem euenit.

Reſp. id non eſſe propriè fortuitum, ſed ſolum incertum, ideoque dici poteſt ſecundum quid fortuitum, non ſimpliciter.

Multò minus fortuna dicetur theſauri effoſſio, ſi arte aliqua paretur, quia non præter intentionem tunc eueniret.

Vnum hic maximè notandum eſt, quòd in huiuſcemodi cauſis per accidens ſemper concurſus plurium cauſarum obtingat, vt patet ex definitionibus ſuprà traditis. v.g. cùm homo ſepulchrum fodit; ſi alia nulla cauſa interuenerit, ſola ſepulchri effoſſio, quam per ſe intendit, eueniet, at ſi alius ibi theſaurum abſconderit, tunc inexpectatus is theſaurus occurret. Quamobrem ſi concurſum illum cauſarum conſideres, euentus fortuitus non cadet temerè: ſed per ſe à diuerſis cauſis, hoc aut illo modo ſimul conſpirantibus; vel ab vna illarum, concurſu reliquarum vel impedita, vel aliter affecta, determinatè; imò, niſi libertas interuenerit, neceſſariò eueniet: ſed quia contingit rarò, vt cauſæ ita concurrant; ideo reſpectu cauſæ principalis, cui euentus ille attribuitur, effectus talis rarus, & contingens, & inopinatò, denique præter ratum cùm naturæ, tùm rationis ordinem euenire dicitur. His habes omnem fortunæ, aut caſus rationem planiſſimè, ſi quando aliàs, exploratam.

Patet, inſuper fortunam, & caſum non eſſe propriè cauſas aliquas in natura determinatas, aut à cauſis per ſe diſtinctas; ſed tales dici ob imprævisionem euentus.

Quamobrem præcipua de fortuna quæſtio videtur huc reuocanda,

quidnam

quidnam ſit, quod ita cauſas diuerſas conciliet: id enim vt plurimùm ad fortunæ intelligentiam facit, quoniam multi nullam huiuſce ſimultaneæ conſpirationis cauſam eſſe voluere: vnde caſu, ſiue fortunâ omnia contingere opinati ſunt: alij fato, quod quale ſit, dicetur infrà, congregari cauſas quaſlibet, aut diſiungi, & in ſuas vnamquamque actiones impelli aſſeruere: vnde nullum fortunæ; omnem fato locum cedebant: primum Epicurei: ſecundum, Stoici adſtruebant. Alij naturam & fortunam vt quid vnum contemplabantur, eo quòd per fortunam non aliud intelligerent, quàm concurſum naturalem atomorum, quo ſine cauſa vlla ſuperiori, quæ determinatum finem intenderet, omnia quæ naturâ conſtant, fieri, aut diſſolui contingeret. Ariſtoteles verò rectè fortunam quidem à natura diſcernit: docetque item ſapientiſſimè ea quæ naturâ conſtant, aut fiunt, non eſſe fortuita, ſed propter finem: cæterùm non explicat, an contingens illa cauſarum concurſio, quæ inopinos, & inſperatos exitus habet, (vnde fortuna & caſus emergunt,) cauſam per ſe vnam aliquam habeat, necne; nec de prouidentia Dei videtur eſſe locutus: quæ tamen in hiſce cauſis per accidens, vti & in cæteris omnibus, præcipuum gerit principatum: vnde veriſſimè Boëtius ſcripſit hac de re, *Concurrere verò cauſas facit ordo ille ineffabili connexione procedens, qui de prouidentiæ fonte deſcendens, cuncta ſuis locis temporibuſque diſponit* 5. de conſol. Phil. ideo vt hæc diſputatio ſolidiùs, vtiliùſque ſuccedat, de hac prouidentia paulò copioſius, non vt Theologum, ſed vt Philoſophum decet, ediſſeramus.

§. 2.

Quomodo fortunam cum diuina prouidentia priſci Philoſophi præſertim Ariſtoteles & Plato compoſuerint.

DIGRESSIO PLATONICA V.

VETERES, qui cenſebant temere fluere omnia, cauſaſque omnes in eos euentus deſinere, quos fortuna, vel caſus offerrent, omnem planè Dei prouidentiam è mundo diſturbabant, ab illis non multum abludebant ij qui fato cæleſti, vel naturali, de quo infrà, regi omnia opinabantur. Hinc quidam apud Cic. dicebat atenim minora dij negligunt: neque agellos ſingulorum, nec viticulas proſequuntur, nec ſi vredo, aut grando, quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. Ne in regnis quidem reges omnia minima curant. *Hinc etiam Poëta* 3. De nat. deor.

Quid veſane Deos fruſtra iuuat? Ordine certo
Fert natura vices, labuntur & ordine certo
Sydera, tam varios rerum parientia caſus. Pontan. l. r. de ſtell.

Alij obſcurè Dei prouidentiam per diuinam quandam vim ac poteſtatem occultam, quæ regeret, ordinaret, ac diſtribueret ea munera, quæ fortunæ ſunt, quodammodo innuebant, ſed grauiſſimè prolapſi ſunt cùm inde credulam vulgi multitudinem induxere, vt Fortunam deam, Deumque bonorum ac

malorum authorem inſtabilem, cæcum, & iniquum crederent ac venerarentur; vnde templa illi, ſtatuaſque innumeris in locis populi erexerunt, apud Romanos Fortunæ virili, & fortunæ muliebri, imo & malæ, & deteſtatæ, & prauæ & ſub quibuſcunque huiuſcemodi titulis prout bona, vel mala contingerent, litabatur, &c. quæ apud Plutarchum de Fortun. Roman. & Græc. Pliniumque l. 2. & alios legi poſſunt.

Proclus putauit fortunam eſſe aliquam vim dæmoniacam, quæ cauſas diſgregatas congregaret, aut congregatas diſpergeret, verùm ea omittimus aduerſus quæ ſufficiat iſtud ex D. Aug. 4. de Trinit. c. 18. ſubdere, vt quid colitur, quæ ita cæca eſt, vt in quoſlibet paſſim incurrendo, ſuos plerunque cultores prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat..... nihil enim prodeſt illam colere, ſi fortuna eſt; ſi autem ſuos authores diſcernit, vt proſit, fortuna non eſt.

Venio nunc ad coriphæos: iuuat enim plurimùm noſſe eorum, quos ſequi profitemur, ſinceriores opiniones.

a 1. offic. c 13
b Orat. 33
c 15. de præp. c 7.
d de Græc. aff. l. 5.
l 2. de plac. Phil. c 3.

Principiò teſtes ſunt antiqui SS. Patres Ariſtotelem coercuiſſe diuinam prouidentiam intrà cœlum, elementarem verò globum omnino illius expertem feciſſe. Ita euidenter a *D. Ambr.* b *D. Greg. Naz.* c *Euſebius,* d *Theodoretus, &c. ſed his omiſſis, quamquam illuſtriſſimis teſtibus, duos alios adducam, quibus forte fides amplior adhibebitur. Primus ſit ipſe Laertius, qui Ariſtotelis doctrinæ ſummam referens ait:* Hic Deum, ſicut & Plato incorporalem definiuit, eiuſque prouidentiam ad cæleſtia vſque pertingere, ipſum verò immobilem eſſe. *Alter eſt Plutarchus,* Ariſtoteles, *inquit*, neque animatum totum mundum per omnes partes dicit: neque ſenſu, ratione, aut mente præditum, neque à prouidentia gubernari; ſed cæleſtia his frui, quæ ſphæris animatis, & viuentibus conſtent, terrena verò nequaquã, nã ordinem non niſi ex euentu conſequi.

cap 7.

Confirmantur hæc ex l. de mundo; vbi Deus comparatur Xerxi & Dario Regibus qui Suſis, & Erbatanis procul à conſpectu hominum in marmoreis, ac deauratis palatijs otioſè viuentes, reliquas ſuas prouincias ſolùm per adminiſtros gubernabant: & ſubditur, quapropter ſi è dignitate regis haudquaquam eſſet Xerxem functione propria adminiſtrare omnia; & abſoluere quæcumque facta percuperet, &c. longè id minùs Deo conuenit: *iſta congruunt cum textu 51. l. 12. Met vbi Ariſt. docet à Deo diuiniſſima ſolùm cognoſci oportere, ne eius vileſceret intellectus, & cum 2. c. l. 1. Met. vbi ait* ſapientem maximè omnia, vt poſſibile eſt, ſcire; non habentem ſingulariter eorum ſcientiam. *Id quod ipſe dein ſic explicat, ſi nimirum ea quæ ſunt prima, & maximè vniuerſalia principia nouit, cuiuſmodi ſunt intelligentiæ, & corpora cæleſtia: adde quòd de prouidentia Dei erga res ſingulares nuſquam ſit locutus; quòdque ideas, quibus diſtinctè cognoſci naturalia queant, ſemper impugnauerit.*

l. de mundo c. 44.

Propter hæc & ſimilia Fr. Picolomineus tria de Ariſtotele pronunciat, quæ mihi videntur ſinceriori eius menti congruere: primum, *quòd omnia quæ ſub Deo collocantur, diuina prouidentia gubernentur:* ſecundum, *quòd Deus non omnium primò, & per ſe curam habeat, neq; cognitione diſtincta per proprias rerum ideas:* tertium, *quòd prouidentia Dei ſit ſolùm per-*

minentiam, & modo intelligendi, & volendi in eminentia poſito.

Verùm aliunde ipſemet Ariſtoteles in 7. *Moral. eodem. c.* 18. *egregiam ſanè doctrinam tradit: ibi enim quærit quodnam ſit principium, à quo viri, qui vocantur fortunati, moueantur, dum eligunt ea, quæ proſperè ſuccedunt, ac tum concludit his verbis,* patet autem ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo eſt Deus, & viciſſim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine. Rationis autem non ratio, ſed præſtantius quidpiam eſt principium: quid autem ſcientia præſtantius eſt, niſi Deus? *Hæc ſane pulcherrima ſunt, ſed ea ſubitò ſequentibus obſcurat, dum eos qui ratione ducuntur, ab eodem numine regi negat: & dum etiam fortunatorum, qui citrà ductum rationis bene proſperātur, duo genera diſtinguit; vnum eorum qui aliquid iuxta impetum diuinum faciunt, alterum eorum, qui præter hunc impetum operantur. Auget difficultatem id quod ait c. præcedente, vbi negat à Deo impelli poſſe fortunatos, eo quòd vt plurimùm quo quis nequior eſt, eò auſpicatiùs ei omnia eueniunt, cùm è contrario ſapientibus omnia fere infeliciſſimè cedant.*

Quamobrem ſolutionem petendam puto ex cap. 2. *l.* 2. *Mag. Moral. ibi enim admittit aliquod principium innominatum, à quo impelli ſoleant hi, qui præter ductum rationis agunt, ſimile principio, à quo mouentur lymphatici: & hoc à natura eſſe affirmat: ſic enim ait,* nam animæ ineſt huiuſmodi à naturâ, quo ſine ratione impellamur ad ea, vnde bene habemus, eouſque vt ſi quis roget ita habentem, cur nam id tibi ita libet agere? Neſcio, inquit, ſed libet. Simile propemodum lymphaticis, &c. *Videtur itaque opinari quòd in animis hominum inſit à naturâ vis quædam occulta, qualis putabatur eſſe fatalis illa, quæ è cælorum concurſionibus deſcenderet. Illam autem vim in Moral. Eud. vocat Deum, ſeu potiùs diuinum quid, primò forte vt vulgi de fortuna diuinitate opinioni ſeſe accommodaret: ſecundò, quia quidquid occultum eſt, & humano maius ingenio Deus ſolebat appellari, vnde Piccolom. gradu* 8. *c.* 56.

DE PLATONE *modo paucis quoque videamus, quid ſenſerit. Ipſe reuera de fortuna ſobriè admodum locutus eſt, & præcipuam eius mentionem fecit* 4. *de leg. his verbis,* Deum quidem omnia; & fortunam, oportunitatemque ſimul cum Deo cuncta gubernare. *Sic abſque Deo effici nihil affirmat, ſiue opportunum id, ſiue fortuitum fuerit: aliunde Plutarchus aſſerit fortunam à Platone iiſdem quoque terminis, quibus ab Ariſtotele, fuiſſe definitam. Reliquum eſt, vt ex iis quæ de prouidentia diuina ſtatuit, conijciamus quid ſenſerit de fortuna.* De plac. Philoſ.

Multa in hoc propoſitum dicenda occurrerent, ſed pauca hic noſter exigit ſtylus. Præcipua ex 10. *de legibus excerpam: ſententias, non verba, compendij gratiâ, relaturus; ſeptem autem inuenio.*

Prima, *eſt, quòd à Deo prouidè curentur omnia, ne ſolùm magna, & pauca; ſed vel minima, & qualibet: idque copioſè ac diſertiſſimè hinc probat, quòd ni minima illi curæ forent, ipſe vel inſcitiæ, vel impotentiæ, vel negligentiæ inſimilandus eſſet: præcipuè cùm periti quique artifices nihil in opere, l uiſſimum licet, citrà culpam negligerere ſoleant, negligeret verò omnium optimus & ſapientiſſimus Deus! Adde quòd quemadmodum in ædificio mi-* v. D. Th. 3 contra gent c 75. iiſdem fere rationibus idem probat.

nimi lapilluli quandam ad reliquam molem ſymmetriam habent, atque ordinem: ita in vniuerſo nihil, quantulum illudcumque ſit, ſine apta ad totum diſpoſitione ſubſiſtat. Hinc rectè Ficinus, non negligit Deus minima gubernare, qui facere minima non neglexit: neque difficilis eſt gubernatio, cui eſt procreatio facilis.

Secunda, *Quod præ cæteris res humanæ à Deo curentur: Primo, quod* homo ipſe præ cæteris animalibus Dei cultor diligentiſſimus ſit: *Secundo, quod* cùm Dij prouidentiſſimi, atque optimi ſint, negligenda ſibi ſua poſſeſſio non ſit.

Tertia, *Quod partes ſingulas prout totius perfectioni, ſaluti, ac fœlicitati congruunt, gignat, ordinet, moderetur, non contrà: quia partes ſunt propter totum: (an non ſimile quid dicunt noſtri Theologi, ſc.* propter ſalutem electorum vniuerſa diuinitus adminiſtrari?) *Hinc verè piiſſimas rationes ornit, cur tot mala bonis obuenire permittat, ſed de his iterum.*

Quarta. *Quod ſupremus ille mundi gubernator, ſingulis vniuerſi particulis, i. ſingulis rerum ſpeciebus, & præſertim ſingulis hominibus, cuſtodes ac præſides (genios ſcilicet, quos, ſecutus loquelam vulgi, Deos vocat, noſtri Angelos,) præfecerit, præficiatque in dies, qui minimarum actionum, perpeſſionumque curam habeant, ad vltimum finem omnes dirigendo: non quaſi Deus ipſe ſummus omnium conditor, velut otioſus ſingulorum deſinat per ſe curare actiones: de illo enim ſigillatim ait*, Deus verò qui ſapientiſſimus eſt; & curare poteſt & vult: magnis quidem prouidebit ſolùm; parua autem quæ facilius gubernari poſſunt, propter pigritiam, & ignauiam negliget? nullo modo. *Hoc ergo ſolùm vult, quòd ſicut hi per potentiam illius poſſunt, quidquid poſſunt; ita per prouidentiam eius, vel minimorum procuratricem, minima quæque procurare dicantur.*

Quinta, *Quod hi cuſtodes, & curator ille ſummus in eam vel maximè curam incumbant, vt in vniuerſo ſemper, & vbique à bono malum, & à virtute vitia ſuperentur.*

Sexta, *Quod cum Deus cauſas huius vel illius generandi, voluntatibus noſtris permiſerit, ſciens tamen quantum boni, aut mali noſtris actionibus inſit; facta noſtra tunc ordinet, prout vniuerſo bono congruentius fuerit; ob idque* ſolerter excogitauerit, vbi pars quæque locata maximè, optimè, facillimèque virtuti victoriam, vitio verò ne vincat, impedimentum in vniuerſo præbere poſſit.

Septima *Denique, quod cùm improbos videmus per flagitia mirè proſperari; probos contrà quibuſcumque infortuniis circumueniri, duo ſint nobis cogitanda: primum, conducere quidem illa quapiam ratione, nonnumquam ſatis aperta; ſæpiùs occulta, ad ſalutem & fœlicitatem vniuerſi: ſecundùm, paulo poſt probos ſua gaudia, ſuaque præmia conſecuturos; florentes vero improbos ſuorum ſcelerum pœnas daturos, vel in hac, vel poſt hanc vitam in inferis, prout quiſque hic promeritus fuerit, condemnandos.*

Hoſce floſculos ex Platonicis viridariis, fideli manu excerpſimus, paucula tamen prætermiſimus, quæ lucis Euangelicæ defectum teſtantur, qualem cum in cæteris Ethnicis pauca licet de Deo tractantibus, plurimum; tum in hoc multa de diuinis differente, raro ſe prodere non diffitemur; quippe cuius ſum-

ma laus ſit, paucis mutatis reddi eum poſſe Chriſtianum.

Ex iis nihilominus liquet quo ſenſu dixerit Deum quidem omnia: Fortunam verò & opportunitatem cum Deo cuncta moderari: vult enim omnia, quocumque pacto accidant, ſiue per ſe, vt quæ fiunt conſilio aut natura; ſiue per accidens, vt quæ fortunâ, vel caſu accidunt, ſemper intrà, & ſecundùm ordinem diuinæ prouidentiæ obtingere; ſalua interim & incolumi manente noſtra libertate, à qua vult ita procedere peccata noſtra, eorum vt Deus nullo pacto auctor dici debeat, tametſi eorumdem ſit æquiſſimus ordinator: virtutis vero conſequendæ rationem non planè in noſtra eſſe poteſtate; ſed opem diuinam, vt bene agamus, ſemper eſſe implorandam. Illud in 4. de legibus: *iſtud in* Theage *manifeſtè ediſſerit.*

§. 3.

Quid ſit Fatum.

FORTVNÆ nihil magis opponitur, quam Fatum. Illa indeterminata; inſtabilis, vaga; hoc determinata, cohærens, immobilis cauſa eſt: illa contingenter, hoc neceſſariò ſuos effectus exercet. Fatum quid ſit, rogas? Lex eſt agentibus impoſita, quam vis nulla queat abrumpere. Neceſſitatis nomine ſæpe deſcribitur, de hoc vix duos reperis Philoſophos antiquos, qui vno modo ſentiant: adeo illud inducunt multiplex, & multiplici ratione. Plotinus triplex recenſet, *Diuinum, Cœleſte, Naturale*: Lipſius addit quartum, ſc. *violentum*. l de Fato. c. 2.

Diuinum eſt, quod vel Deus eſt, vel decretum Dei. Auctor libri de mundo: quem Stobæus putat Poſſidonium eſſe, quamquam Ariſtotelis nomine inuulgatus, ait fatum eſſe Deum ipſum, eius inſuper varias etymologias, itémque trium Parcarum nomina & officia ſingula interpretatur. Poëtæ Fati nomine quoddam quaſi omnium Deorum decretum intelligunt, cui vel Dij ipſi teneantur ſine vlla exceptione, aut varietate obedire: & quod mireris ampliùs, plures è Philoſophis hanc inſaniam laudauerunt, & quaſi arreptitij ſecuti ſunt, vnde Seneca. *Quidquid eſt, quod nos ſic viuere iuſſit, ſic non: eadem neceſſitas & Deos alligat: ille ipſe omnium Conditor, ac Rector, ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur: ſemper paret, ſemel iuſſit.* Imo & Plato ipſe nonnihil ſimile dicere viſus eſt: *Neceſſitati ne Deos quidem poſſe obſiſtere*, inquit, ſed de Angelis ſiue dæmonibus Dei adminiſtris loquitur, qui certè neceſſitatem ſiue infallibilem exitum ordinis diuinæ Prouidentiæ immutare, neque non exequi poſſunt. Interim eius opinionem, ita S. Greg. Nyſſ. interpretatur. *Dei ordinationem, & voluntatem Plato Fatum appellat.* Idem Plutarchus. De Prouid. c. 5. In 7 de leg. l. de Fato. c. 4. l. de Fato. & l. de Plac. c 28.

Fatum Cœleſte ſic Plotinus ſupra cit. deſcribit: *alij totius mundi circuitum omnia complectentem, motuque ſuo ſingula facientem, atque configurationibus ſtellarum, tam errantium, quam non errantium mutuis fatum indicant: & prædictionibus per cœleſtia factis, freti, ſingula inde fieri arbitrantur.* De hoc fato loqui videtur Plato in Timæo, & in 10. Phyſica.

de Rep. cùm ait, animas tunc primùm à Deo didiciſſe leges fati, cùm ſunt cóiunctæ vehiculis, i. corporibus: hæc enim ſola cœleſtium virium dominatui ſubeſſe ratus, putauit quoque animas contractâ ſympatheticâ cum illis neceſſitudine, eorũ etiam neceſſitate quodammodo vinciri, atque à cœlo in multis actionibus, quæ per corpora fiunt, pendere: ita tamen vt virtus, & ratio ſuam incolumem ſeruent libertatem.

Fatum naturale eſt ſeries cauſarum merè naturalium, non à Deo conſtituta, ſed iugi ſucceſſione præcedentium ſerierum talis, vel talis neceſſariò ſemper emergens, eoſque neceſſariò euentus parturiens, qui contingunt. Duplex huius fuit aſſertio: quidam fati huius abſolutam, & nulla omnino vi reuocabilem neceſſitatem faciebant, vt *Democritus*, *Heraclitus*, *Empedocles*. His Ariſtotelem addit Cicero: ſed falsò, vt patet *ex l. de interp. c.* 8. Alij Fato huiuſmodi talem neceſſitatem concedebant, quæ poſſet cùm à fortuitis, tum à liberis impediri: ſic *Epicurus* ex *Gaſſendi*, huc reuoca & Ariſtotelem, qui fatum, ſiue fatalem neceſſitatem agnouit nullam, niſi naturam. Nimirum quæuis cauſa naturalis, dum ſuopte proprio pondere in actum proruit, & iuxtà præſcriptum à ſua natura ordinem operatur ſibi ſuum fatum eſt, & εἱμαρμένη.

l de Fato. — *De Moral. Epicurij.*

Fatum denique violentum illud eſt, quod abſoluta & ineuitabili neceſſitate per ſe ligat omnia: quin poſſit quidquam aliter, quam in fato naturæ fuerit, peragi: hoc cum ſuperioribus concurrit.

His omnibus adiicere lubet eam aliquorum ſententiam, qui fatum omne, æque ac prouidentiam tollebant, vt Epicurus apud Alexandrum; & Cicero qui *Anilis plenum ſuperſtitionis ipſum Fati nomen* vocat.

l de Fato.

Hæc pauca ex innumeris ſelegimus, quibus appareat, quanta cæcitas humanas mentes olim, priuſquam fidei iubar mundo illuxerit, occupabat. Nimirum in rebus naturalibus parùm; in diuinis nihil prorſus veritatis intercipiebant. Nos verò diuinis vſi præceptoribus tutò, & certiſſimè ſequentia dogmata pronunciamus.

Primum. Eſt in mundo certiſſima & infallibilis omnium Prouidentia. Hanc adſtruximus ſupra *c.* 10. §. 3.

Secundum: ridiculum eſt & impium tale fatum adſtruere, quod Deum ipſum conſtringat. Fati ipſe conditor, nedum ſeruus. Naturæ imponit leges, quas cùm libuerit reuocat, vel refingit: legem tulit, vt ſol irreuocabili curſu contendat ab ortu in occaſum, vt à mortuis exurgat nemo, &c. Quoties ſolem ſtare, aut retrogradi iuſſit ac fecit? Quoties è mortis imperio fœtentia cadauera in vitam reuocauit?

Tertium: Impium eſt ac præſtigioſum Fato Mathematico, ſeu cœleſti adhærere, quaſi fatalis è ſyderum poſituris vis in hæc ſublunaria deſcendat, quæ neceſſitatis lege etiam humanas liget, atque compellat voluntates: contra hoc plura dicemus in libris de Cœlo.

Quartum denique, Fatum verum, quod à Chriſtianis omnibus adprobatur ſic definitur, *diſpoſitio inhærens rebus mobilibus, ſecundum*

quanto Deus quæque ſuis nectit ordinibus, ſeu *coordinatio omnium cauſarum à Deo pendens, prout omnia ipſe præcognoſcit, ordinat, & permittit*, dicitur diſpoſitio inhærens rebus mobilibus, quia conſideratur potiùs in iis, ad quæ deſcendit; non à quo. Deſcendit à Deo in cauſas ſecundas. In Deo eſt eius ratio æterna rerum prædeſtinatrix: Quæ à Platone definitur, *Ratio diuina, quam tranſgredi nihil queat, ob cauſam omni impedimento fortiorem*. Deſcendit autem primò in cauſas priores, & vniuerſaliores: deinceps in reliquas vſque ad minimos effectus. Nempe diſpoſitio hæc externa diuinæ Prouidentiæ, primò mentibus Angelicis inſcripta eſt, vtpote quibus cùm ad mouendos cœlos, tum ad ſingulos homines cuſtodiendos vtitur Deus. Deinde cœlis ipſis, ſyderibuſque, quatenus vim habet maximè vniuerſalem, atque ampliſſimam ſuper corpora inferiora. Plato exiſtimat à Deo immediatè fatorum leges animæ mundi fuiſſe conſignatas, quatenus in omnibus operibus naturæ maximè vis fati; hoc eſt, diſpoſitio diuinæ Prouidentiæ eluceſcit. Hinc in Timæo Fatum vocat leges, quas de natura Deus ſanxit animis immortalibus, i. intelligentiis cœlorum, ſyderumque motricibus: Illudque etiam vocat *legem naturæ vniuerſi comitem*. Denique diſpoſitio illa nihil eſt aliud, quam ſeries, connexioque cauſarum, per quam, & iuxta quam diuina ſapientia *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter* Sap. 8. Quoniam à fine ad finem attingit fortiter omnia infaillibiliter eò perducit, quò deſtinauit ab æterno. Quia verò diſponit ſuauiter, nulli violentiam facit: nec libertatem opprimit, neque minuit contingentiam: quin vtramque perficit dirigendo, vt mox dicturi ſumus.

Boëtius. D Th &c.

λόγος θεῖος ἀπαράβατος δι' αἰτίαν ἀνεμπόδιστον. ex Plut. de Fato.

νόμοι, οὓς ὁ τῇ τοῦ παντὸς φύσει ὁ θεὸς ἐπὶ ταῖς ἀθανάτοις ψυχαῖς.

νόμος ἀκόλουθος τῇ τοῦ παντὸς φύσει.

§. 4.

De contingentia rerum, quomodo cum ſuperiore doctrina cohæreat.

DAri entia contingentia omnes, exceptis fortè Stoicis, Philoſophi conſentiunt; & inter illa libertatis humanæ in primis actus operáve connumerant, quod vſque adeo verum eſt, vt etiam nonnulli maluerint Prouidentiam Dei, quam humani indifferentiam arbitrij reprobare: vnde vt optimè D. Aug. vt *homines facerent liberos, fecere ſacrilegos*: tales fuere Cicero, Epicurus, &c. Imo neque Stoici auſi ſunt penitus contingentiam præſertim ab actionibus noſtris liberis omnino præcidere. Quandam enim in noſtra voluntate propenſionem, & aptitudinem admittebant, vt fatalibus illecebris prouocata, ipſa blandè poſtmodum, neceſſariò tamen, quocumque fata ducerent ſponte ſequeretur: velut, (inquit Chryſippus apud Cic.) ſi lapis læuus, ac rotundus, cylindrum vocant, in loco plano & decliui fuerit: antequam moueas, poteſt hic quieſcere cum quieſcat, poteſt etiã moueri; at ſemel vbi eum moueris, inſitâ tunc volubilitate deſcendit,

5. de Ciuit.

l. de Fato.

neque ampliùs eum valebis cohibere. Sic antequam moueatur volun-tas, potuit intellectus aſſentiri, vt moueatur, vel non aſſentiri: nempe abſente obiecto excitante potuit non aſſentiri, illo præſente fatale eſt, .i. neceſſarium, vt aſſentiatur, & tunc voluntas ex inſita propenſione ad bonum apprehenſum, ſponte, nec inuita ducitur: ita indifferen-tiam negant voluntati, libertatem non negant. Imo potiùs libertatem in ſola quadam allubeſcentiâ conſtituebant, qualem agnoſcunt com-muniter Theologi in beatis reſpectu ſummi boni clarè cogniti: cui cum allubeſcentia incredibili adhærent, quamquam & cum ſumma neceſſitate. Hoc tamen genus libertatis Stoicæ certum eſt non placuiſ-ſe SS. Patribus, neque etiamnum Theologis.

v D. Th. qq. diſp. de electio-ne.

Platonici, vt rerum contingentiam, adeoque & noſtram liberta-tem arbitrij ſartam tectam conſeruarent, aliam viam inierunt. Plu-tarchus ex Platone duo docet: primò, non omnia fato fieri, aut eſſe fata-lia; concedit tamen omnia fato .i. decreto diuinæ prouidentiæ conti-neri, & ſic explicat. Quemadmodum lex ciuilis multa complectitur, quæ dici non poſſunt legitima, neque à lege proficiſci v. g. quæ per ſe à lege non iubentur, ordinantur tamen ſecundùm iuſtitiam, vt prodi-tio, furtum, &c. ea legitima non ſunt: tamen lex illa coercet & continet. *Ita*, inquit, *illa fatalia cenſebimus, & fato fieri dicemus, quæ conſequuntur cauſas in diuina diſpoſitione antegreſſas. Cætera verò non tam fato fieri, quàm ſolum contineri.*

l. d fato.

τὰ ἀκόλουθα τοῖς ἐν τῇ θείᾳ διατάξει προηγουμένοις.

Secundò, triplicem ordinem diuinæ prouidentiæ ſtabilit ſecundùm tres ordines rerum prouidendarum. Primò enim veniunt Angeli, cæ-li, cauſæque omnes vniuerſales: ſecundò ſpecies, ortus, interitus re-rum corruptibilium, &c. tertiò ſingularia hominum. Circa primum ordinem ponitur *prouidentia prima, quæ eſt primi & ſummi Dei intelli-gentia & benefica voluntas erga res omnes, qua primùm ſingula diuina res planè optimæ, ac pulcherrimæ ordinatæ, diſpoſitaque fuerunt.* Circa ſecun-dum ſecunda eſt prouidentia à *ſecundis dijs cælum ingredientibus admi-niſtrata, qua res corruptibiles ordinatè procreantur, & ſingulorum genera, ſpecieſque inter iuges viciſſitudines perennantur.* Circa tertium eſt tertia, *Quæ dicitur prouidentia geniorum, qui circa terram collocati humanarum ſunt cuſtodes, inſpectoreſque actionum.* Prima dicitur principium fati: ſecunda cum fato genita, & dependens à prima: tertia poſt fatum, & ſub fato genita, dependenter à prima, & ſecunda: per fatum autem intelligit leges diuinæ prouidentiæ mentibus Angelicis primò inſcri-ptas, deinde in natura ſecundùm illarum tenorem operante obſerua-tas. Denique inſinuat ſub tertiam prouidentiam cadere fortunam & liberum: hinc Beſſario Card. ait ſecundum Platonem primæ proui-dentiæ vim immutari, aut impediri nullo modo poſſe. Quoniam ea Dei præſcientiam, & eiuſdem determinatam voluntatem continet, quibus quæ definita ſunt, ea nihilo magis, quam Deus ipſe immuta-ri poſſunt: quæ verò ad ſecundam, & tertiam pertinent, ea diuerti poſſe, aut euitari, quia multæ interueniunt cauſæ, quæ ad vnum ef-fectum determinatæ non ſunt, & inter turbari facile poſſunt.

l. 2. contra Trapez c. 9.

Conclvsio prima: dantur effectus contingentes. Hoc patet ex dictis, & meritò, quid enim eſt contingens? Quod poteſt eſſe & non eſſe: at quot ſunt huiuſmodi? Primo, quæcunque creata ſunt, poſſunt non eſſe per annihilationem: ſecundò, quæcunque poſſunt impediri per cauſam naturalem, vt ardor æſtiuus poteſt non eſſe ſi regnauerit ſydus aliquod frigidum, & ſtipticum. Tertiò, quæcunque habent cauſas per ſe indeterminatas ad agendum, vt actus liberi, & quæ hinc pendent: hæc omnia ſunt contingentia.

Conclvsio secvnda: in his ſublunaribus poſſunt effectus naturales caſu accidere reſpectu cæli: de effectibus liberis certum eſt, ideo naturales prænominaui. Idque explico ſic ex Diuo Thoma: *Quòd aliquod corpus terreſtre ignitum in ſuperiori parte aeris generetur, & deorſum cadat, habet aliquam cauſam virtutem cæleſtem: & ſimiliter etiam quòd in ſuperficie terræ ſit aliqua materia combuſtibilis, poteſt reduci in aliquod cæleſte principium: ſed quòd ignis cadens, huic materiæ occurrat, & comburat eam, non habet aliquam cauſam cæleſtem, ſed eſt per accidens.* 1. p. q. 115. a. 6. item ſydera ſpirant ventos validiſſimos. Hinc in mari tempeſtas incrudeſcit: piſces euomuntur in littus, moriuntur; quam multa hic per accidens etiam reſpectu cæli eueniunt! Primo, quòd ventos excitent, hoc ingentem ſupponit copiam exhalationum in aëre aliunde ſubuectam: ſed eſto, hæc etiam cæleſti virtute collecta ſit, & attracta: ac potuerunt piſces hi vel illi longiùs à littore natare: quid enim illis cum ſyderibus ventos cientibus? At aliorum forte ſyderum influxu ſpermatica piſcium materies hic magna procreata fuerit; eſto, ſaltem quod hi piſces à mari proceloſo expuantur in terram, hoc per accidens eſt reſpectu aſtrorum, à quibus progeniti ſunt: quòdque ab his hic ſint progeniti, hoc etiam per accidens eſt reſpectu eorum, à quibus tempeſtas mota eſt. Verùm ſi cauſas omnes, à quibus hi effectus pendent, ſimul contexueris, tunc reſpectu illarum ita concurrentium effectus per ſe dicendi ſunt, vt tradit Diuus Thom. 1. part. q. 19. ar. 6. *Poteſt enim*, inquit, *aliquid fieri extra ordinem alicuius cauſæ particularis agentis, non autem extra ordinem alicuius cauſæ vniuerſalis, ſub qua continentur omnes cauſæ particulares*, &c. idem de monſtris dicendum eſt. Per accidens enim eſt, quòd ſol monſtrum cum leone produxerit: ſed ſi defectum materiæ, quam leo ſuppeditat, cum virtute ſolis attemperes, per ſe ab his omnibus monſtrum orietur; hoc tamen caſu tale naſci dicitur, quia præter intentionem naturæ eſt, vt à leone, non leo, ſed partus multiformis, & tetricus prodeat.

Conclvsio tertia: reſpectu Dei nihil caſu, vel fortuitò accidit. Ratio per ſe manifeſta eſt: nihil fit præter intentionem & præſcientiam Dei, ergo nec caſu quidquam, nec fortunâ reſpectu eius euenit. Ma. patet ex ijs quæ c. 20. §. 3. & ſuprà §. 2. ex prima ſententia Platonis dicta ſunt. Id porrò D. Thomas familiari exemplo ſic explicat: ſi quis Dominus duos è ſeruis ſuis quâ huc, quâ illuc mitteret, intendens tamen, vt certam ad metam inſcij tandem occurrerent; certè occurſus ille inopinatus, fortuitus, ac inexpectatus cuique ſeruorum vi-

deretur: non ita verò ipſi Domino. Sic Deus quarumlibet cauſarum congreſſionem nedum præuidit, ſed (ſi obſit peccatum) præconcepit, ac præfiniuit, ordinemque ab æterno diſpoſuit, ſecundùm quem hæ vel illæ cauſæ, hoc vel illo modo, tali, & tali tempore congrederentur, ac coirent ad tales effectus producendos, ſeruato tamen iure proprio cuiuſlibet cauſæ, nimirum vt cauſa libera liberè, contingens contingenter, & neceſſaria neceſſariò, ſemper agerent.

Dices, hinc tollitur omnino rerum contingentia: nam diuina prouidentia, qualem admittimus, tria includit: primò, præſcientiam, qua ſingula præuidet futura, vel non futura: ſecundò, voluntatem, qua decreuit ſe ſingula facturum, ſi bona ſint; vel permiſſurum, ſi mala: tertio diſpoſitionem, qua cauſas ſuis quaſque ordinibus adaptat. Atqui Dei præſcientia falli nequit; nec voluntas fruſtrari, nec diſpoſitio impediri. Ergo.

Reſp. his ſolùm confici, effectus hinc prouenturos, infallibiliter ſolùm, aut neceſſariò ex ſuppoſitione, aut neceſſitate conſequentiæ futuros eſſe, non verò neceſſitate abſoluta, aut antecedente, ſaltem quoad actus liberos, vt fuſiùs explicuimus c. 20. §. 4. & 5. Itaque nullum ex tribus enumeratis impedit: nam ſuppoſita rerum contingentia eo modo, quo eam explicuimus, præſcientia Dei non falletur, quia res futuræ ſunt, vt præuidentur; nec fruſtratur voluntas, quia voluit id fore contingenter; nec impeditur diſpoſitio, qua contingentiam præordinauit.

Interim nota Deo nihil eſſe præteritum, nihil eſſe futurum, ſed omnia illi eſſe præſentia. Conſpectui eius nihil ſe ſucceſſiue præſentat; omnia ſimul conſpicit, quia in ſe videt, quidquid videt: in ſe autem ſimul omnia ab æterno, & in æternum complectitur. Ergo res extra Deum variabiles ſunt, & vt variabiles conſpiciuntur: quamquam inuariabilis ſit conſpectus, quo illas videt, & inuariabile medium in quo videt: hinc Proclus optimè, *Deus*, inquit, *res diuiſibiles indiuiſibiliter intelligit; quæ in tempore ſunt, ſine tempore; non neceſſarias, neceſſariò; mutabiles immutabiliter, longè omnia meliùs, quàm ordo ipſorum, & ratio poſtulet, &c.* & mox, *non enim extrinſecùs pro rerum deteriorum natura ſuam cognitionem recipit diuina natura: ex quo fieret, vt qualis res cognita naturâ ſuâ eſt, talis eius cognitio haberetur. Sed hæc deteriora iuxta definitam deorum naturam indefinita ſunt, & iuxta immutabilem, mutationem patiuntur: & impaſſibilem notam paſſibiliter, & intemporalem temporaliter recipiunt:* Ergo ſicut definitè, ac certò ſcio te ambulaſſe liberrimè, ita Deus definitè ac certò præuidit te liberrimè ambulaturum; & ſicut ſcientia hæc mea tuæ neutiquam nocet libertati, & indifferentiæ, ita nec præſcientia.

l. de anima & dæm.

QVÆRES quænam ſit radix contingentiæ? Reſp. diuinam voluntatem eſſe abſque dubio cauſam omnis entis contingentis, eiuſque contingentiæ, quatenus ab illa liberè procedit quidquid fit, & modus omnis, quo fit. Si tamen radicem internam quæras. Reſp. cùm contin-

gens ſit id quod poteſt eſſe & non eſſe, diuerſam eſſe radicem internam, provt diuerſo modo res poſſunt eſſe, & non eſſe. Quòd enim contingat aliquid poſſe fieri, & non aliud, cauſa intrinſeca eſt cuiuſque eſſentia; cauſa externa eſt Deus: quòd vero id omne quod eſt, poſſit ex ſe non eſſe, id inde eſt, quòd ex nihilo ſit. At ſi corporeum ſit, radix huius corruptibilitatis propinquior eſt materia: denique quòd tot accidant præter intentionem hominum, vel præter naturalem cauſarum particularium conſtitutionem, cauſa eſt vel diuina prouidentia, vt cauſa vniuerſalis; vel libertas, aut inſcitia hominum, vel defectus agentium naturalium, vnde oritur impedimentum, &c.

Quæres ſecundò, vtrum veritas futurorum contingentium ſit ab æterno determinata, necne: ſi enim determinata fuerit, quomodo contingens erit? Si indeterminata, quomodo determinatè à Deo præſentitur? Reſp. rem contingentem v. g. perſecutionem Antichriſti conſiderari poſſe in triplici ſtatu. 1. in æterna Dei diſpoſitione. 2. in proprio tempore, quo erit. 3. in cauſis proximis indeterminatis antequam erit: in primo ſtatu abſtrahitur à conditione præteriti & futuri, eſt enim præſens Deo, non per propriam exiſtentiam, ſed per diuinam intelligentiam. In ſecundo, habebit tunc rationem præſentis, quia erit, vel non erit ſecundum ſe. In tertio, ſolùm habet rationem futuri, quia nondum exiſtit. Conſtat autem quòd in primo ſtatu veritas illa iam ab æterno determinatè præfulſerit; item quòd in ſecundo, determinatè tunc erit, vel non erit. At in tertio, nec determinatè futura: neque determinatè non futura, ſed indeterminatè alterutrum: determinatè quidem verum eſt, quòd Antichriſtus ſit perſecuturus, vel non perſecuturus Eccleſiam: at quandiu cauſæ fuerint indeterminatæ, indeterminatè quoque verum erit, quòd hinc exitura ſit illa perſecutio, vel non exitura. Ergo duarum propoſitionum contradictoriarum de futuris ſingularibus citra decretum diuinæ prouidentiæ conſideratis, neutra eſt determinatè vera vel falſa: ſed ambæ ſunt indeterminatè veræ, vel falſæ: qui plura de his volet, legat interpretes Ariſtotelis, & Dialecticos in 1. lib. de interpr. Sed præcipuè Theologos in 1. p.

Capvt XXXII.

DE INFINITO.

§. 1.

An ſit, quid ſit, & quotuplex.

Ariſtoteles vbi l. 2. abſoluit conſiderationem cauſarum, tranſit in 3. l. ad contemplandam præcipuam paſſionem corporis naturalis, quæ eſt motus. Quare de hoc primum in

cipit dicere in 3. l. & deinde plura proſequitur in 5. 6. 7. & 8. vbi ex motu tandem ad primum motorem tranſilit. Aſt occaſione motus multa etiam quæ ad quantitatem ſpectant diſcutit: nimirum primò, an detur aliquid infinitum in natura quoad ſubſtantiam, quoad magnitudinem, quoad multitudinem, &c. & quid ſit, ac quotuplex: deinde in 4. l. mouet quæſtiones de loco, ac de vacuo; item de tempore. Et in 6. plura de compoſitione continui edifferit: de quibus omnibus nos ea quæ ſcitu digniora videbuntur, more noſtro perſtringemus: ab infinito exordimur, vt quæſtiones omnes de motu vno continuo, nec intercalato tractatu complectamur.

Notandum ergo eſt primùm infinitum id appellari, quod nullo fine .i. nullo termino limitatur. Variæ dantur eius definitiones, ſed hæ præcipuè infinitum de genere quantitatis attinent, de quo loquemur inferiùs. Interim citat hic Ariſtoteles multas veterum de infinito ſententias, quæ non de quantitate, ſed de primo omnium, ac ſummo principio rectè, veraciterque debent intelligi. *Omnes*, inquit, *qui videntur pro dignitate tetigiſſe talem Philoſophiam, de infinito differuerunt, idque omnes, vt principium quoddam entium, ponunt: alij quidem vt Pythagorei, atque Plato per ſe, non quaſi hoc infinitum alicui accedat, ſed quaſi ſit ſubſtantia.* Huius poſtea conditiones enumerans, ait tres aſſignari ab his authoribus conſueuiſſe: quarum prima eſt, vt ſit principium omnium: ſecunda, vt principio careat, tertia, vt omnia contineat: hos nihilominus refutat, perinde ac ſi per illud infinitum principium ſubſtantiam quandam corpoream intellexiſſent; aut quaſi cum materia illud confudiſſent, propterea quòd aliquando ijdem Philoſophi materiam nomine infiniti deſignauerint: verùm ijdem ſe ſatis euidenter explicuere. Duplicem notionem infiniti conceperunt: vnam perfectionis, alteram imperfectionis indicem: primam vſurpabant, cum de ipſo VNO, quod rerum omnium principium eſt, loquebantur: hoc enim actu infinitum dicebant eo ſenſu, quo ſuprà vidimus, nempe ita vt omnia præhabeat, ipſum verò comprehendi poſſit à nullo; ſitque ſuprà, & ante omnia, &c. ſecundam notionem vſurparunt, cùm de materia prima differuerunt, quam ſæpe, non *Infinitum* in ſingulari, ſed *Infinita* in plurali circumloquebantur, ob multitudinis indefinitam originem. Vide quæ diximus c. 3. §. 2. vbi ſic ſenſiſſe Platonem oſtendimus: inſuper hic magnum, & paruum dixit infinita, quatenus in ijs definitum ſit nihil: infinities enim in multis magnis, & paruis progredi poſſumus, quare per hæc, continui ſine fine diuiſibilis vmbram deſcribebat, ſub qua ipſa materiæ indefinita capacitas deſignabatur vlteriùs.

CONCLVSIO PRIMA, datur verè vnum ens infinitum, quod primum eſt omnium, ſummumque principium: perfectione ſua superambiens, & ſuperexcedens omnia. Hoc quiſquis non admiſerit næ atheus ille quidem, atque inſipientiſſimus eſt: demonſtrabitur autem in Metaphyſica, interim legi poterit D. Th. 1. p. q. 7. vbi efficaciſſimè comprobat primum principium, cuius eſſe à nullo eſt, & in nullo

receptum, neceſſariò eſſe infinitum: quandoquidem quidquid finitum eſt, id ab aliquo limitationem habere, neceſſum ſit; ſiue vt à principio formali, ſiue vt à materiali, à quo pendeat: principium autem primum, cum ſit omnium primum, ſine vllo principio, per ſeipſum eſt, quidquid eſt: imo in ſe, per ſe, & à ſe omnia, & ſuper omnia eſt, ſi quidem principium eſt omnium: vnde optimè Plotinus En. l. 9. c. 6. *Deum*, inquit, *infinitum nominare debemus, non quaſi ſit magnitudo quadam, vel multitudo, quam non liceat pertranſire, ſed quia ſit poteſtas, quam comprehendere nequeas.*

CONCLVSIO SECVNDA. Præter & infrà Deum, nullum datur actu infinitum. Sic Ariſtoteles contra Democritum, alioſque qui atomorum infinitudinem admittebant, &c. Ratio eſt, quia nulla res eſt infra Deum, quę non ſub aliquo genere contineatur, & aliquo gradu entis, certaque ac determinata differentia limitetur: quæque certas & commenſuratas vires, proprietates, & gradus perfectionum non exigat: denique nihil eſt quod non à Deo proceſſerit *cum numero, pondere & menſura.* Sap. 11. Sed quidquid eſt huiuſmodi; finitum eſt. Ergo. Iſtud ex ſequentibus corroborabitur.

Interim cum Ariſtotele notemus, hic præcipuè ſermonem inſtitui oportere de infinito, quod ad res quantas pertineat: de illo enim is præcipuè agit: definitur autem multifariam. Primò ſic: *quod cum ſit de genere quantitatis, caret extremo, quò peruenire quis poſſit.* Vel ſic: *quod perpetuam adiectionem capit:* vel *id à quo in infinitum ſemper aliquid detrahi poteſt,* vt ſi tanta eſſet multitudo, vt quantumcumque diuiſeris, ſemper ſuperſit, quod diuidas. Hoc ita expreſſit Ariſtoteles, *cuius ſemper eſt aliquid extrà.* Ex his igitur patet infinitum per plenitudinem quandam exprimi, cuius nullus ſit terminus. Ideo non defectum perfectionis ſonat, ſed exceſſum. Eſt quippe infinitas ipſa omnimoda, ſuperplena, & immenſurabilis rei perfectio. Denique ipſe proprius eſt, genuinus & incommunicabilis character Deitatis: è contrario cùm *finitum eſſe* de aliquo dictum audis, perfectionis alicuius excluſionem intellige: eò enim finitur vnumquodque, quò ipſius eſſe reſtringitur, ac ne ad plura ſeſe extendat, cohibetur.

Verùm notare præterea oportet infinitum variè diuidi: primò diuiditur in categorematicum, & ſyncategorematicum: primum dicitur infinitum actu; eſtque id, quod actu perfectionem includit, nullo fine terminatam; ſecundum dicitur infinitum in potentia: & hoc ſecundùm ea quæ actu poſſidet, finitum quidem eſt, ſed tamen poteſt ſine fine aliunde perfici. Illud propriè primo rei cuiuſque principio formali conuenit, nempe ipſi pulchritudini, ipſi iuſtitiæ, & ita reliquis idealibꝰ formis, per ſe in infinita diuinitatis abyſſo, ſine vlla limitatione ſubſiſtentibus. Vnde quælibet idea infinita in ſe eſt: perinde ac ipſamet albedo ſi per ſeſe ſubſiſteret infinita eſſet, quia quidquid albedinis ab infinitis albis participari poſſet, illimitatè contineret. Infinitum verò potentia principio materiali adſcribitur: quia interminabilem gerit informitatem; ita vt finitè ſemper, atque à finitis formis actuata, ſem-

per remaneat in potentia, vt ab aliis, aliiſque efformetur. Ita infinitum actu fundatur in infinita entis plenitudine: infinitum in potentia in infinita entis vacuitate.

Prætereà infinitum actu vel poteſt intelligi ſimpliciter, in omni genere entis, vt Deus: vel ſecundùm quid, in aliquo genere entis, vt linea infinita. Hoc diuiditur ſecundùm diuerſa genera entis; vnde quæri ſolet, vtrum detur ſubſtantia infinita, vtrum magnitudo; vtrum potentia: item vtrum extenſiuè; an intenſiue, &c. Certùm eſt in his generibus nullum actu dari: an verò diuinitus effici poſſit, maior difficultas eſt, nunc paucis enucleanda.

§. 2.

An poſsit à Deo infinitum aliquod actu effici.

QVÆSTIONES eiuſmodi, quæ diuinam ad omnipotentiam ſpectant, haud lubens euentilo: ſi quidem quis introibit in potentias Domini? quis abyſſum hanc ingenioli humani perpendiculo metiri audeat? Hoc vnum certè de illa ſcio, infinitè plura & maiora, poſſe à Deo effici, quam à nobis cogitari: aliunde quæſtiones hæ Theologos potiùs attinent, & reuera in primam p. S. Thom. ſolent communiter exponi: verùm ne quod cæteri copioſiùs proſequuntur, omnino prætermittamus,

Notandum eſt in primis in eo communiter omnes conuenire, quod nequeat præter Deum dari ens ex omni parte infinitum, quandoquidem hoc deberet eſſe independens, & imparticipatum, atque ita ens à ſe. Ergo Deus: at poſſe in aliquo genere dari v. g. ſubſtantiam certæ cuiuſdam ſpeciei, quæ ſit infinitæ perfectionis, item infinitam quandam magnitudinem, multitudinem, potentiam, &c. affirmant *Nominales, cum Gregorio, Vaſq. Hurtado*, &c. Negant verò *Thomiſtæ ac Scotiſtæ*, itemque *S. Bonauentura, Durandus*, & alij.

CONCLVSIO. Nullum poteſt dari actu infinitum. Probatur. Infinitum quà infinitum, eſt imparticipatum, incontractum, irreceptum & illimitatum: ſed repugnat dari quidpiam extra Deum, quod ſit ſecundum ſe totum imparticipatum, incontractum, &c. Ergo. Ma. probatur: Infinitum qua infinitum continet totam plenitudinem perfectionis, quæ poteſt cadere in rationem abſtractam totius ſuæ ſpeciei: v.g. ſi eſſet pulchritudo infinita, hæc haberet omnem plenitudinem decoris, quæ pulchritudini vt ſic conuenit: nam hoc ſi neges, fateri cogêris vel inuitus, eam fore limitatam & contractam, quippe quæ totam non habeat plenitudinem, quam habet pulchritudo vt ſic vndequaq; incircumſcripta: ſic de cæteris; multitudo infinita debet continere quidquid ad abſtractam & idealem rationem multitudinis pertinet: quidquid minus eſt, contractum eſt. Ergo finitum. Quidquid verò minus non eſt, ipſa huius vniuerſalis ſpecies eſt & idea: Idcirco non minùs, quam ratio abſtracta, erit imparticipatum, incontractum, irre-

544

ceptum, illimitatum, &c.

Iam Mi. æquè facilè demonſtratur, quia creatura participatione eſt id totum quod eſt, niſi velis in creatura eſſe aliquid perfectionis, non participatum à Deo, & non dependens, quod horrent Chriſtiani. Ergo *eſſe* cuiuſcumque perfectionis, quæ ineſt cuilibet enti creato, eſt intrinſecè participatum: ſeu vt loquitur S. Thom. receptum, & conſequenter contractum, atque limitatum: quoniam omne participatum ad rationem participabilem ſe habet, ſicut contractum ad rationem abſtractam: item repugnat participatum gaudere tota ipſa eſſentiali prerogatiua formæ participabilis, vt ſic: alioquin participatum eſſet forma participabilis, ipſaque ratio abſtracta: ſed tota eſſentialis prerogatiua formæ participabilis eſt, vt ſit incontracta, & illimitata vt patet. Ergo, &c.

Confirmatur: repugnat aliquid eſſe creatum, quod non ſub aliquo genere quadam differentiâ ſpecificâ contrahatur; quodque ſub aliqua ſpecie differentiam indiuidualem non habeat, qua multo magis limitetur: at quidquid differentiam habet, vere contractum eſt, ac limitatum: quid enim eſt differentia, niſi finis quidam naturæ, vel genericæ, ſi ſpecifica illa fuerit; vel ſpecificæ, ſi indiuidualis? adeo vt per differentiam quamlibet, tantum de amplitudine generis, vel ſpeciei ab vnoquoque detrahatur, quantum per reliquas differentias adiungitur cæteris, v.g. per differentiam rationalis ab homine demitur, quidquid reliquæ omnes differentiæ animalis, viuentis, & ſubſtantię ſigillatim reliquis, ceu proprium & eſſentiale bonum adiudicant. Similiter quælibet differentia indiuidualis quædam eſt ſpeciei contractio, ſpecies namque infinitis propemodum indiuiduis communicabilis eſt: at nulli totaliter: vni ſecundum vnam virtutem, alteri ſecundùm alteram: differentiæ indiuiduales talem partitionem efficiunt: Ergo ipſam infinitatem tollunt, quia determinatas, & diminutas participationes conſtituunt: hinc rurſus efficitur nullum per ſe numerum confici; qui non ſit ſub certa quadam differentia numeri; nec vllam magnitudinem, quæ non ſit ſub certa dimenſione, & ſub certa figura, i. ſub certis terminis.

Confirmatur: repugnat à Deo quidquam fieri: quod non certà & determinata intentione fiat, vt optimè D. Thom. 1. *p.q.7.* hæc autem intentio in eo ſita eſt, vt Deus ſub certo numero, ſub certa menſura, & ſub certo pondere omnia conficiat: Quare eſto tanta poſſit eſſe multitudo, vt nulli creato intellectui ſit numerabilis, at certè quis auſit dicere à Deo eam numerari non poſſe? idem de magnitudine, de intenſione, ac quauis alia perfectione dicendum eſt.

Quidquid autem numero, vel menſura determinatis conſtat, id certè finitum eſt. Imo numerari repugnat infinito; quid enim eſt numerare? vnum poſt alterum recenſere, ſeu ſingulas vnitates percurrere, & à paucioribus gradatim ad multiplicatiores progredi: ita ſi Deus nouerit omnem vim numerorum, quibus infinitum conſtaret, poſſe ab vnitate ad binarium, à binario ad ternarium, & ita deinceps à finitis nu-

meris minoribus ad finitos omnes maiores decurrere; vel ergo ſemper ad finitos aſcenderet, vel tandem poſt certum computum finitorum, conſcenderet ad numerum infinitum, ita vt vnius vnitatis adiectione immediatè infinitus numerus finito ſuccederet, quòd certè claram contradictionem inuoluit: dicere autem non poſſe Deum ita ſingulas vnitates recenſere, iniurium Deo eſt, & inſulſæ pertinaciæ refugium.

Confirmatur ex abſurdis. Sit magnitudo infinita: an non infinitos cubitos contineret? at in ſingulis cubitis ſaltem quatuor pedes, in ſingulis pedibus quatuor palmi ſunt, &c. Ita ſemel infiniti cubiti, quater infinitos pedes, & decies ſexies infinitos palmos continerent, &c. Ergo vnum infinitum aliis innumeris infinitis conſtaret; & inſuper pars eſſet æqualis toti: nam quod ex infinitis palmis conſtaret, eſſet æquè infinitum, & immenſum, ac illud quod infinitis cubitis; æquale item ſpatium occuparet; nam ſi minus, eoipſo illud eſſet finitum.

Tum quæram ſi poſſit Deus infinitum efficere, an poſſit magnitudinem conflare, quæ ſemel infinitis palmis conſtet? Si affirmes; contra pauciores erunt cubiti: ergo non erunt infiniti, alioquin non ſemel infiniti palmi eſſent, ſed decies ſexies: at quod finitis cubitis conſtat finitum eſt. Si neges, contra primo, quænam contradictio? ſecundo ſequitur, non poſſe quidquam infinitum eſſe actu quin ſit infinities infinitum, quo nihil maius dici poteſt de diuinis attributis. Abſurda autem hæc traduci poſſunt ad cætera. Nam ſubſtantia infinita infinitos numeros perfectionum virtute concluderet: infinita qualitas infinitos gradus intenſionis, &c. Hæc ergo omnia infinitos binarios, infinitos denarios, infinitos centenarios & millenarios, & ſic ſine fine, continerent: vnde eò ſemper neceſſario veniendum erit, vt de quolibet infinito dici profectò, ac explicari debeat quidquid de idea diuina, vel de ratione abſtracta, & vniuerſali huic reſpondente, poteſt cogitari, vt nimirum ſit infinities infinitum, in infinitum, & ab infinitis ſine fine ſemper participabile, &c. multa poſſent addi; ſed hæc pro captu ingenioli humani de infinito alioquin humanitus incomprehenſibili, ſine præiudicio tamen diuinæ omnipotentiæ, cuius nullus eſt terminus, dicta ſufficiant.

Ex his itaque patet, nec ſubſtantiam infinitè perfectam, nec magnitudinem infinitè extenſam, nec qualitatem infinitè intenſam, nec multitudinem infinitè multiplicem dari poſſe.

Conclvsio Secvnda: Infinitum potentiâ, ſeu ſyncategorematicè poteſt fieri, i. quauis data perfectione poteſt Deus ſemper aliam & aliam maiorem efficere: certè in hoc præcipuè elucet vis ipſa diuinæ omnipotentiæ, atque infinitæ Dei bonitatis, vt in infinitum ſemper nobiliùs & nobiliùs poſſit participari: poteſt quidem finita quædam potentia ſemper plures & plures effectus producere, vt ſi ſol in omne æuum ſit duraturus, ſemper plures ſucceſſiuè radios eiaculabitur: ſed nec plures ſemper, ac plures ſimul, neque perfectiores poteſt edere. Solius infinitæ Dei virtutis hæc eſt prærogatiua. Quolibet inſtanti non tot eſſe poſſunt, aut tam perfecti effectus, quin poſſit plu-

res

res & perfectiores è theſauris ſuæ omnipotentię depromere, de quibus ait Iſaias, *& non eſt finis theſaurorum eius.*

§. 3.

Soluuntur obiecta.

MVLTA in contrarium proponuntur, quæ ſubtilitates intricatiſſimas continent.

OBIICITVR enim primò aſſignandum eſſe neceſſariò effectum, qui potentiæ infinitæ reſpondeat: cum non poſſe alium eſſe, quam actu infinitum. Ergo. Reſp. ſufficere effectum ſyncategorematicè infinitum, vti mediatè priùs explicuimus: potentia enim cuius nullus eſt finis, abunde ſaluatur ſi effectùs ſine fine perfectiores poſſit quouis momento efficere: quin eſto, effectus perfectio infinitatem non arguat, certè modus operandi pluſquam ſatis eam manifeſtat: nam vt eſſe independenter à quouis alio, infinitam eſſentiam; ſic poſſe independenter à quocumque alio principio ſiue efficiente, ſiue materiali, infinitam certè potentiam euincit.

OB. 2. An non poteſt Deus facere totum quod poteſt? quidni enim? an poteſt dici aliquid poſſibile, ſi fieri non poſſet? poteſt ergo quidquid poteſt: poteſt facere maximum, quod poteſt: poteſt quidquid ab eo fieri poſſibile eſt, & ſimilia; illud verò, an finitum quid erit ſolummodò? Reſp. poſſe quidem à Deo fieri totum quod poteſt, ſed eo modo quo poteſt: totum quod poteſt ab eius omnipotentia prodire, eſt infinitum ſyncategorematicè, quod non poteſt ſimul totum educi. Reſpondent alij poſſe à Deo effici quidquid poteſt, diſtributiuè, non collectiuè: i. non poteſt Deus ſimul totam collectionem effectuum poſſibilium edere, quamquam in hac collectione nullus ſit, quem Deus non poſſit agere.

Sed obiectio magis vrget ſi quis dixerit, fingamus à Deo ſimul etiam collectiuè fieri totum quod poteſt ſimul etiã collectiuè efficere. Illud eritne finitum tantùm? Reſp. Semper & quolibet momento poſſe Deũ ex parte ſua infinitò plura efficere, quam poſſit effici ex parte effectus. Ideo repugnat ex parte effectus, vt Deus quouis momento totum efficiat, quod quouis momento poteſt. *Explico*, potentia Dei tota ſimul & ſemper Deo ineſt perfectiſſima. Omneſque poſſibiles effectus ſimul ſemper in inexhauſtis ſuæ fœcunditatis interminabilis abyſſis concludit, ac præhabet. Quamobrem ipſa per ſe quidẽ poteſt effectus ſine fine & interminatè plures, & ampliores efficere: hoc eſt, habet in ſe, vnde ſine fine nouos ſemper depromat rerum apparatus: at hoc ipſo quod ſine fine nouos poſſit, repugnat eos ſimul totos actu exeri.

Aliunde omnipotentia Dei non poteſt hic & nunc agere, niſi quantùm, & quomodo determinatur per voluntatem: voluntas vero à ſapientia dirigitur. Quamobrem actu non poteſt Deus efficere, niſi quod rationabili liberæ ſuæ voluntatis conſilio actu prædefiniuit, quod au-

tem prædefinit, ſemper minus eſt, quam quod poteſt: nec poteſt totum prædefinire, quod poteſt ſimpliciter agere: quia ſic prædefinire, eſt finem præſcribere: ad quem conſiſtat efficacia eius potentiæ, quæ alioquin poteſt ſine fine operari. Ergo poteſt Dei potentia quolibet inſtanti efficere totum, & maximum quod poteſt vt determinata per ſapientiam: & hoc erit ſemper finitum: non poteſt verò pro quolibet inſtanti efficere, quidquid poteſt vt indeterminata. Id ſane debent omnes Peripatetici concedere: volunt enim continuo ineſſe partes infinitas, quæ non poſſint vnquam exolui: tum quæram, exoluat Deus omnes partes, quas poteſt; an exoluet infinitas? Hoc ipſi negant: an finitas? hoc quî concedent, cum dicant non tot exolui poſſe, quin plures ſemper Deus exoluere valeat? Ergo, inquam, non poteſt Deus tunc efficere in reſolutione continui, quidquid tunc poteſt.

Dices, quid ſi Deus ageret neceſſitate naturæ, vt forte voluit Ariſtoteles? Reſp. Ex hoc impoſſibili ſecuturum profectò iſtud aliud impoſſibile, quod ſcilicet neque actu finitum ageret, quia ſecundum totam vim ſuæ potentiæ non aliunde determinatam ageret: neque actu infinitum, quia impoſsibile hoc eſt. Ideo argumentum hoc nihil vrget: quemadmodum nec iſtud aliud: poteſt Deus quidquid poſſent cauſæ actu infinitæ, ſed cauſæ actu infinitæ, infinitum actu efficerent. Ergo. Reſp. Nego Ma, quia innititur ſuppoſitione impoſsibili, ex qua ſequitur impoſſibile.

Dices, poteſt Deus quantouis numero ampliorem efficere, ergo poteſt facere numerum, qui ſit quantouis numero amplior. Reſp. Sophiſticè concludi, perinde ac ſi quis dicat: cuiuſuis patris eſt filius. Ergo aliquis filius eſt cuiuſuis patris. Negatur conſeq. quia terminus *cuiuſuis* in antecedente ſupponitur diſiunctiuè; & in conſeq. diſiunctim. Idem accidit in noſtro caſu: vel ſic clariùs Reſp. Poteſt Deus ex parte ſuæ omnipotentiæ, & ſecundum ſtatum poſſibilitatis numerum efficere, qui poſſibiliter ſit maior quantouis áctualiter edito: & in eo ſenſu verum eſt conſeq. ſed repugnat vt faciat Deus actu numerum actu maiorem quantouis actualiter edito, quia is eſſet ſeipſo amplior. Ita purum ſophiſma eſt, quod obiicitur.

Ob. 3. Omnes effectus quos videt Deus poſſibiles, ſunt actu poſſibiles: ſed videt actu infinitos. Ergo ſunt actu infiniti poſſibiles. Ma. patet quia niſi actu poſſibiles eſſent, quotquot videt Deus poſſibiles, falleretur haud dubiè illius cognitio: Mi. explicatur. Negari nequit primò, quin videat Deus diſtinctiſſimè, ac ſimul omnes omnino effectus, quotquot poſſibile eſt à Deo effici. Secundò, certum eſt omnes illos ſimul ſumptos non eſſe finitos categorematicè, vt conſtat ex dictis; tertiò certum eſt eos non poſſe dici ſyncategorematicè infinitos; quia quod eſt infinitum eiuſmodi, eſt reuera finitum quid ſecundum ſe connotans vlteriorem adiectionem, qua careat: vnde ſic explicatur, vt non ſit tantum, quin poſsit eſſe amplius. At tota collectio effectuum poſsibilium, qualem videt Deus, non poteſt dici finita, neque connotare alios effectus, qui ſint extra collectionem illam, neque dici poteſt, quod in collectione omnium omnino effectuum poſſibilium, quos-

videt Deus. non ſint tot, quin plures eſſe queant: nam illi plures vel à Deo non viderentur: vel ſi viderentur, in collectione eorum qui videntur, debent neceſſariò præhaberi. Ergo ſupereſt, vt effectus omnes poſſibiles, quos videt Deus ſint actu, & categorematicè infiniti.

Reſponſio multiplex eſt: verum optima profectò erit, ſi noſtræ tenuitatis memores dicamus incircumſcriptam diuinæ intelligentiæ lucem ſub inacceſsis fidei tenebris adorandam eſſe potiùs, quam curioſa præſumptione temerandam: vix intelligere poſſumus, quomodo cœlum videamus, & audemus diſcutere, quomodo Deus infinita comprehendat?

2. Reſpon. ſit eiuſmodi: omnes effectus quos in ſe videt Deus poſsibiles ſunt poſſibiles actu extrà Deū: Nego Ma. omnes verò, quos videt poſsibiles extrà ſe, ſunt actu poſsibiles extra illum: Concedo Maior. Quemobrem ad ſolutionem ſuperiùs adductam recurrere nos iuuat. Nempe effectus dicuntur poſsibiles duplici reſpectu. Primo connotando principium, hoc eſt, diuinam omnipotentiam, in qua præhabentur, vt in cauſa; ſecundò, connotando terminum, id eſt, exiſtentiam quam poſſunt habere extra cauſam. 1. modo ſunt actu infiniti effectus poſſibiles, quia diuina omnipotentia eſt fundum ſimpliciter infinitum, ex quo infiniti effectus poſſunt extrahi: ſecundo modo non ſunt actu infiniti poſsibiles, quia non poſſunt ex illius ſinu effundi; niſi ſub certa & determinata intentione. Quouſque autem intentio Dei derminata progredi valeat, ipſe ſolus nouit.

Hinc duo certa concludo, tertium attonitus non diſcutio. Primò certiſsimum reor, effectus verè cathegorematicè infinitos in diuina omnipotentia præhaberi vtique eminenter, & anticipatè; & conſequenter à Deo in eadem ſic percipi: Secundò certiſsimū quoque mihi eſt, effectus omnes, quos certa & determinata intētione poteſt Deus efficere, finitos eſſe, & vt tales à Deo præconcipi. Tertium quod non diſcutio, eſt, quid, quantùm, & quouſque poſsit Deus certò, & determinatè intendere. Hoc vnum ſuſpicor, ac mihi perſuadeo, quòd norit Deus, non poſſe ſeſe tot actu determinato intendere, quin plures valeant è ſua omnipotentia ſcaturire, Sic tota collectio omnium effectuum, qui poſſunt à Deo ſub certa intētione promicare, (quos licet terminatiuè poſsibiles dicere,) eſt verè infinita ſyncategorematicè, quia non tot continet, quin plures ſuperſint in fundo, ac velut in abyſſo diuinæ protuberantiæ, vbi ſunt poſsibiles virtualiter, & originaliter: & hos videt quidem Deus in ſua omnipotentia, non verò in collectione poſsibilium terminatiuè. Ita pluſquā abunde poteſt his argutiis intricatiorib⁹ reſpōderi.

Tertio Reſp. Conceſſa Ma. Negari Mi. Et cum dicitur, tota collectio effectuum omnium poſsibilium, quos videt Deus, non poteſt connotare alios, &c. Reſp. Non in hoc conſiſtere rationem infiniti ſyncategorematici, vt poſsint eſſe adhuc plures effectus vltrà collectionem hanc: ſed in hoc, vt in illa tota collectione non tot, aut tanti effectus determinatæ intentionis, vel menſuræ ſint, ac videantur, quin ſine termino plures, vel perfectiores non determinati videantur. Idem por-

ro in diuiſione continui dicere coguntur, quotquot in infinitum diuidi poſſe id contendunt.

q. 7. a. 11. Ob. 4. Ex D. Thom. 3. p. Gratia Chriſti Domini fuit infinita, vt ibidem legi poteſt. Ergo. Reſp. Ex D. Thom. ibid. Gratiam habitualem Chriſti, de qua hic eſt ſermo, conſiderari dupliciter, 1. ſecundum eſſe reale, quo eſt ens, & tale ens, in tali ſubiecto, &c. Et hoc modo ipſemet fatetur eſſe quid finitum; quia *eſt in anima* Chriſti, ſicut *in ſubiecto: anima autem Chriſti eſt creatura quadam habens capacitatem finitam*: 2. Secundùm propriam rationem gratiæ; i. ſecundùm id omne quod ad ipſam per ſe naturam ſpecificam gratiæ attinet, & hoc modo vult eſſe infinitam; quatenus ea omnia, quæ ad naturam gratiæ pertinent, ſine limitatione poſſedit, vt cauſa vniuerſalis, de cuius plenitudine omnes ſancti acciperent, ſicut ſol omnem lucis plenitudinem, vt cauſa vniuerſalis à Deo præaccepit. Cùm enim, inquit ille

de Verit. q. 26 a 3. alibi, *infinitis modis poſſit conſiderari perfectio alicuius quantum ad gratiam, nullus eorum defuit Chriſto, ſed habuit in ſe gratiam ſecundùm*

Ioan. 3. *omnem plenitudinem, & perfectionem* (virtualem ſc. non intenſiuam) *ad quam ratio huius ſpeciei, quæ eſt gratia, poteſt ſe extendere.* Hinc di-

ad Dardanum. ctum vult *non ad menſuram ſpiritum datum eſſe filio*, quia iuxta Gloſſam, eum ipſi *dedit non particulariter, nec per ſubdiuiſionem, ſed vniuerſaliter & generaliter.* Et D. Auguſt. *Chriſtus*, inquit, *eſt caput in quo ſunt omnes ſenſus, ſed in ſanctis quaſi ſolus tactus eſt.* Itaque duplex notanda eſt perfectio gratiæ: vna intenſiua; extenſiua altera: prior ſpectatur in acceſſu ad perfectionem diuinæ ſanctitatis, & radicatur in eſſe, quo participatur à ſubiecto: poſterior attenditur penes diuerſos effectus, ſeu varios participationum modos, quibus poteſt participari. Chriſtus Dominus gratiam habuit ſub eſſe finito & participato, à quo pendet intentionis perfectio, nec tam perfectam habuit, vt ſanctitatem increatam, cuius fuit participatio, adæquaret: ideo *hæc ſimpliciter loquendo finita erat*, inquit D. Thom. cit. *ſed erat quodammodo infinita*, i. ſecundùm quid, & comparatiuè ad cæteros ſanctos, à quibus ſiue ſingulis, ſiue omnibus ſimul ſumptis adæquari poteſt nunquam. Quamobrem quoad perfectionem extenſiuam infinita fuit, quia totam plenitudinem eſſentialem & ſpecificam, quæ ſecundùm definitam diuinæ ſapientiæ rationem communicari vniuerſim poterat, ſolus ipſe obtinuit: ſic iuxta D. Thom. quilibet Angelus totam perfectionem ſuæ ſpeciei; & ſol totam perfectionem ſpecificam lucis ſortiuntur: in quibus tamen nihil actu ſimpliciter infinitum vſpiam intellexit. Sic à ſingulis ſanctis diſtinguitur, qui ſub particulari quâdam, atque admodum reſtricta proprietate gratiam accipiunt, &c. Lege D. Thomam cit. præſertim *q. de verit. 29. a. 3. ad 3. 4. 5. & 6.* cætera viderint Theologi.

Contr Henric qudl. 8. q 8. Dur in 1. d. 44. Ex dictis patet qualibet creatura data poſſe adhuc ſemper perfectiorem aut numeroſiorem effici: adeoque in collectione omnium poſſibilium non dari ſummè perfectam. Enimuerò quemadmodum ſi Deus viciſſitudinem dierum, ac noctium ſine fine perennaret; totam hanc

dierum collectionem præuideret: & in hac diem non cerneret vltimũ, quia ſi foret vltimus, is finis eſſet cæterorũ. Ita ſi in collectione omniũ poſſibilium effectuum Deus videret ſupremum, reliqui eo finirentur, &c. Ergo videt Deus infinitum ſyncategorematicè, vt explicuimus ſuprà in Reſp. 3. ad 3. obiect. vnde in tota collectione poſſibilium creaturarum non datur vna, à qua cæteræ omnes aut contineantur, aut excedantur: non quòd putem ſpecies imperfectiores à perfectioribus non excedi gradu quodã perfectionis certo ac determinato (exiſtimo enim omnes ad ſe inuicem proportione quadam exceſſus vel defectus comparari, quæ ſecundùm ineffabilem Dei omnia numeratò fabricantis calculum ſit determinata, vt contingit in numeris; nec tamen proptereà ſpecies ſuperior inferiorum omnes formales perfectiones complectitur, (hoc enim ſolius Dei priuilegium eſt,) ſed ſatis eſt ſi aliqualem earum ſimilitudinem, vel genericam gerat, vt optimè S. Th. prædocuit: cur ergo non datur vna ſumma creatura, à qua excedantur reliquæ? Reſp. quia ſi diuinæ omnipotentiæ iuxtà ac infinitæ fœcunditatis eſſentiæ ipſius incomprehenſibiles abyſſos cogites, creaturarum poſſibilium finis eſt nullus; quoniam ſine fine hinc poſſunt ſoboleſcere, ac ſine numero perfectiores ſemper participari: nec vlla eſt, quæ proximè ad fontem ſuæ participationis accedat, nam infinitum ſemper ſupereſt participabilitatis interuallum. 1. p. q. 84. a. 2. ad 3.

CAPVT XXXIII.

DE LOCO.

§. I.

An ſit, & quid ſit.

SEQVITVR, vt de loco agamus. De illo tractat Ariſtot. l. 4. Phyſ. & primùm oſtendit ad Phyſicum pertinere, vt de illo diſſerat, tum an detur, inquirit: quaſi veteres dari locum fuerint inficiati, ſed non reor potuiſſe à quoquam ambigi, an reuera locus ſit: ſed ſolùm an reale quidpiam ſit, à rebus locatis diſtinctum, quidue illud dici oporteat. Ideo de hoc ſolùm hic diſcuſſionem aggrediemur.

Quatuor antiquas opiniones reperio, prima eſt *Procli*. Is exiſtimauit locum eſſe præclarum aliquid, & inſigni facultate præditum; & huiuſmodi voluit eſſe ſpiritum ab anima mundi ſpiratum, ceu lumen in orbem vnâ cum vniuerſo effuſum: & hunc putauit eſſe corpus ætherium, puriſſimum, expers materiæ, immobile, & indiuiſibile; quod ſine alijs corporibus eſſe queat: non alia ſine illo, quibus videtur velle innuere ſpiritum illum intramundanum, de quo ſcripſimus ſuprà c. 14. §. 2. & iure vocari poteſt corpus immateriale ob ſingularem ſubtilitatem, vimque penetrandi omnia, quo ſenſu ſæpe inuenies

ignem vocari immaterialem, itemque aërem.

Secunda ſententia cenſuit locum eſſe ſpatium quoddam in ſolis dimenſionibus quantitatiuis ſubſtantia vacuis conſtitutum: ea fuit *Chryſippi, & Academicorum*, teſtibus *Themiſtis, & Alb. Mag.*

Tertia, locum item eſſe aſſeruit ſpatium reale, quod neque ſubſtantia eſſet, neque accidens, ſed mera diſtantia, vel capedo quædam realis, quæ impleri poſſit corporibus quantis: eam memorat Auic. 2. *lib. ſuffic. c. 6.*

Quarta ſententia eſt Ariſtotelis, qui locum facit ſuperficiem nudam, non quidem corporis locati, ſed eius in quo circumſcribitur, de qua mox plura. Interim quoniam ipſe Platonem laudat, & deprimit; paucis, quid ipſe de loco ſenſerit, videamus: inprimis eum laudat, quòd cum cæteri de loci natura dixerint nihil, ipſe ſc. Plato de loco, quid ſit, primus ediſſerere cæperit: deprimit verò dum crude verba illius contra ſinceram ipſius intelligentiam interpretatur. Dixerat nempe ille in Timæo, materiam eſſe locum, & receptaculum formarum: hoc ita refutat Ariſtoteles, perinde ac ſi locum ille materiam eſſe cenſuiſſet: at ab ea calumnia Platonem liberat Plutarchus, dicens eum vſum fuiſſe Metaphorâ, qua ſignificatu loci, materiæ capacitatem exprimeret. Addit Simplicius hic, duplicem à Platone loci ſignificationem vſurpari, vnam pro materia ipſa, quæ quatenus in ſe formas excipit, ſimilitudine quadam locus appellatur: alteram pro loco ipſo corporum capaci, qui ſimilitudine materiæ ita nuncupatur. Quamobrem mihi videtur Plato fuiſſe perſuaſus locum eſſe ſpatium informe, inactuatum, & inane, quod realis capacitas ſit recipiendorum corporum, cætera nihil. Quamobrem huic competit primò, vt ſit non ens actu: ſecundò, vt ingenerabile & immutabile, tertiò, vt nunquam ſit vacuum corporibus in eo contentis: quartò, vt par ſit ijs omnibus continendis: quintò, vt ijſdem configuretur: ſextò, vt ab illis eatenus ſeparabile ſit, quatenus ab vllo nuſquam deſtituatur, &c. hæc autem ſunt, quæ maximoperé materiæ in ordine ad formas conueniunt: ipſa enim eſt non ens actu, ingenerabilis, nuſquam ſine formis, illarum par receptaculum, ipſarum terminis definita, ſeparabilis, &c. vide c. 3. §. 3. attamen quòd Plato propriè locum à materia diſtinxerit, hinc patet, quòd in Timæo aſſerat materiam eſſe partem elementorum, & in Philebo, mixtum ex materia & forma eſſe compoſitum, at nemo vnquam cenſuit, res ſuis locis tanquam partibus compaginari.

1. de plac.

Interim notes velim ex Ariſt. hic c. 4. Platonem non omnia ſua dogmata ſcriptis inuulgaſſe, ſed multa ſolo viuæ vocis oraculo audientium animis inſculpere conſueuiſſe, non reuelanda quibuſlibet, ſed in ſapientiorum cordibus veluti ſacra veritatis depoſita conſeruanda. Hinc multa ipſe excerpſit Ariſtoteles, plura ſuppreſſit: ſed hæc de Platone ſufficiant: ad citatas opiniones reuertamur.

Inprimis omiſſa ſententia Procli, de qua iam aliàs: illa Chryſippi iure ab omnibus debet explodi, quia repugnat naturaliter ſolas quan-

citatis dimenſiones abſque ſubſtantia ſubſiſtere. Reſtant tertia, & quarta, has explicemus.

§. 2.

Quomodo locus dici queat ſpatium.

MVLTI ſunt, ijque locupletiſſimi doctores, qui hanc ſententiam admodum probabilem habuerunt: vt *Philoponus* hic, *Plotinus Enn. 4. l. 3. Toletus hic, Maſius, Valleſius, Gaſſendi, &c.*

Vt explicetur, fingamus totum illud interſtitium, quod infrà cælum lunæ intercipitur; & vbi nunc eſt vniuerſus globus elementaris, omnibus omnino corporibus vacuari: atque in eamdem omnino inanitatem redigi, quam ante mundanæ molis creationem habuiſſe cenſendus eſt, ſane adhuc tantùm maneret interuallum vacuum, quantum eſt modo plenum. Neque pars cœli lunæ occidua minùs ab eiuſdem parte orientali diſtaret, quam modò: quis enim ſanæ mentis homo negare queat diſtantiam vtriuſque poli lunaris, etſi daretur vacua, eſſe realem? Quis inficiari poſſit in toto illo meditullio reuera eſſe interuallum, quod terra, oceano, aëre, igneque impleri, & occupari valeat? Tale autem interuallum accipimus: & hoc locum appellant, ac de illo ſequentia ſtatuunt.

Primò illud eſſe reale, non poſitiuè, ſed priuatiuè: explico, licet hoc nomen *reale* à *re* veniat, & ſignificet aliquid, quod ſit ens certa, & peculiari natura præditum, cui eſſe quoddam determinatum, propriumque verè conueniat, tamen ſignificare aliquãdo poteſt nonnihil, quod his careat, ſi tamen poſſit eſſe fundamentum realium quarundam denominationum, vt contingit in hocce interuallo: eſt enim fundamentum realis, & non fictæ diſtantiæ: realis capacitas eſt ſuſcipiendorum corporum, &c. ita rectè à chimæricis figmentis diſtinguitur, quia de his nulla realis denominatio poteſt enunciari, quæ videlicet exprimat aliquid realiter, verèque certum nemine cogitante. Si quæras ſubſtantiáne ſit, an accidens? Reſp. neutrum eſſe: quia duo hæc ſolum de eo quod reale poſitiuè ſit, dici queunt: quod verò reale priuatiuè diximus, id diſtinctã claſſem habet, nec in prædicamenta diuiditur, nec illis ſubeſt, neque præeſt. Paucis, reale ſpatium, reale interuallum; realis capacitas: capacitas verè interuallaris, interuallum verè dimenſiuum, &c. denominari poteſt, at nõ reale ens, nec res aliqua actualis: denique ipsũ eſt reale non ens, vel reale aliquid ſine eſſentia, ſine eſſe, ſine actu, ſine genere, ſine differentia. Ergo neque ens à ſe: neque ab alio, neque per ſe, neque in alio eſt: & conſequenter neque Deus, neque creatura, neque ſubſtantia, neque accidens. Hæc certè, nec diffiteor, difficile capi poſſunt ab ijs qui doctrinâ Ariſtotelis præoccupati ſunt: neque enim ij poſſunt ſibi fingere eſſe quidquam reale, quod ſubſtantiã non ſit, vel accidens, ſed corrigenda hæc anticipatio eſſet, & concipiendum vltra hæc aliquid reale non actuale, nec in certo gradu entis con-

ſtitutum, vt diximus: quale eſt reale interſtitium, quod intér extrema vacui certe interiacet: nec mirum, inquiunt, quòd ſit hoc modo aliquid reale, quod à Deo neque creatum ſit, neque dependens, cùm tam multi Philoſophi hoc idem de eſſentijs rerum, quæ verè ſunt entia poſitiua, ſoleant aſſerere, dum eas ab æterno reales ſtatuunt: eas enim ab æterno ſic coguntur aſſerere non eſſe à Deo dependentes, vt mutari quoad realitatem eſſentiæ, vel deſtrui minimè valeant. Addunt prætereà doctrinam hanc confirmari authoritate omnium qui extra cœlos ſpatia imaginaria tuentur. His poſitis faciliùs inferunt cætera: nam

Secundò dicunt illud interuallum eſſe incorporeum & immobile. Dicitur incorporeum ſimiliter priuatiuè, quod careat quantitate, non quod ſit ſubſtantia ſpiritualis ſicut Deus, aut Angelus, ideo non eſt impenetrabile: dicitur etiam immobile, quia quidquid mouetur è potentia progreditur in actum, conſtatque materia, hoc autem ſpatium omni actu caret, omnique materia. Ideo in illo, & per illud transmigrant corpora: ipſum autem manet immotum, ab appellentibus acquiritur, deſtituitur à recedentibus; idem tamen ſemper eſt in ſeipſo: nec transfertur hinc inde, ſed immobilem ſedem præbet venientibus, abeuntibus negat.

Denique dicunt illud eſſe immenſum, & in illo dimenſiones eſſe priuatiuè quoque reales, ſc. ſine actuali quantitate. At non ſine reali capacite illius, eſt enim realiter longum, latum & profundum: & realiter poteſt in eo quantitas cum his actualibus dimenſionibus produci, ac recipi. Simili modo in illo ſunt omnes poſitiones loci priuatiuè reales. ſc. ſurſum, deorſum, ante, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ita quidquid ad loci eſſentiam ſpectat, abunde in illo ſpatium inuenitur.

Hanc autem ſententiam inde probabilem faciunt. Primò, quod omnes antiqui excepto Ariſtotele ita ſenſerint. Secundò, quod noua Ariſtotelis ſententia plures, eaſque grauiſſimas difficultates patiatur: vt quomodo locus ſit immobilis, quomodo item cælum ſit in loco. Tertiò, quòd omnia quæ de loco efferuntur, facile per illud ſpatium explicentur.

Sex enim loco attribuit Ariſtoteles; primum, vt locus contineat locatum; ſecundum, vt nihil ſit rei locatæ; tertium, vt ei æquetur; quartum, vt non ſeiungatur à quolibet corpore indefinitè ſumpto, benè tamen ſeiungi valeat à quolibet definito. Quintum, vt habeat differentias poſitionum. Sextum, vt in illum corpora moueantur, & in eo quieſcant, horum itaque nihil non conuenit interuallo ſupradicto.

§ 3.

Explicatur ſententia Ariſtotelis.

ARISTOTELI locus eſt *vltima ſuperficies concaua corporis continentis locatum, immobilis primò.* Sic ſuperficies concaua, & capacitas aëris hominem ambientis eſt locus hominis; & homo eſt corpus

in

in eo locatum; dicitur *immobilis primò*: quia communis ea eſt loci notio, vt non cum corpore mobili transferatur, ſed eo vagante iſte fixus atque immobilis maneat, quoniam eſt terminus omnis mutationis localis: terminus autem ſtatus eſſe debet, ac fixus. Verùm ingentes rixas gignit hæc immobilitas inter Peripateticos, qui vt eam explicent, Andebatarum more certant, quid quis dicat, aut refellat, ſummè ancipites.

Difficultas in eo viget, quòd cùm locus dicatur ſuperficies corporis ambientis, hanc ſanè cum eo corpore, cuius eſt extremum, moueri neceſſe ſit. Finge turrim in monte conſtructam, aër eam ambiens, quam crebrò, & quàm longè à ventis continuò reflantibus diſpellitur? An non etiam cum ſua ſuperficie turrim circumdante? Quomodo ergo locus ille immobilis dicetur? Aut ſi non ſit immobilis, quomodo turris illa ſemper in eodem loco manere dicenda eſt?

Aretinus in Phyſicam Scoti hic 9. ſententias enumerat, quarum tres primas antiquis attribuit, reliquas modernis. Prima non de quolibet loco hanc immobilitatem interpretatur, ſed de loco primi mobilis. Secunda, de ſolo centro rerum. Tertia, de loco Mathematicè ſumpto, prout eſt ſuperficies à corpore mobili abſtracta. Quarta, omnem locum facit immobilem, ſed eo quòd ſeruetur idem ſitus. Quinta, eundem immobilem aſſerit ob reſpectum eiuſdem diſtantiæ ad primam intelligentiam omnino immobilem. Sexta, ob reſpectum eiuſdem diſtantiæ ad centrum mundi. Septima, ob reſpectum eiuſdem diſtantiæ ad polos mundi. Octaua, ob reſpectum eiuſdem diſtantiæ ad puncta quædam imaginaria fixa, quæ toti cœlo vltimo affinguntur. Nona, ob æquiualentiam, quia licet ſuperficie recedente, pereat idem numero reſpectus, qui eidem inhærebat, tamen in ſuccedente naturaliter reſultat alius priori æquiualens. Decima his addi poteſt, quæ fuit Auerrois, dicentis ſuperficiem illam, quæ locus dicitur, eſſe quidem mobilem per accidens, immobilem verò per ſe, quia hoc ineſt omnibus accidentibus, vt non moueantur per ſe ipſa, & ſecundùm ſeipſa, ſed duntaxat ratione ſubiecti. Alij dixerunt locum eſſe immobilem ea ſolùm ratione, quòd non moueatur ad motum corporis, quod in eo collocatur. Duodecimam addunt alij dicentes ſolam hanc eſſe Ariſtotelis mentem, vt locus, quo res innituntur, cuique inſiſtunt, vt moueantur, ſit immobilis; iuxta illud, *Oportet extra animal quippiam eſſe immobile, ad quod innixtum quod motum eſt, mouetur.* lib. de animal. motione c. 2. Vides mirabilem labyrinthum! Adhuc multa ſuboriuntur dubia, quæ mirum, quantum in hac palæſtra ingenioſiores pugiles exercent: vti an in definitione loci ſuperficies ponatur, vt genus, an vt materia; an locus ſimpliciter quid abſolutum, an reſpectum pro ſuo formali ſignificet? &c. inſuper quot & quantæ ſubtilitates debuerunt excogitari, vt ſupremum cœlum in loco eſſe defendatur? his omnibus inuolucris expediuntur ij qui ſpatium, de quo ſuprà, cum antiquis conſtituunt.

Cæterùm ne à primarijs noſtris anteſignanis longiùs abſcedamus:

probabiliorem Ariſtotelis ſententiæ interpretationem ex eruditioribus S. Thomæ commentarijs eruemus. Diſtinguit itaque ipſe cum Ariſtotele locum communem & proprium. Ille eſt vniuerſus cœli ambitus: iſte, ſuperficies locatum immediatè circumuallans: vterque exemplo nauis in fluuio deuectæ illuſtratur; totus fluuius .i. alueus ipſe vniuerſus, per quem decurrit aqua, eſt velut locus communis, pars verò aquæ ſinu ſuo concauo nauem complexa, eſt velut locus proprius, quæ quidem aquæ pars, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, fluens eſt, ac perpetuo mobilis: ſed ſi ordo eius ad totum fluuium conſideretur, certè nequaquam mutari cenſebitur. Ita quælibet ſuperficies, vt ſuperficies, huius vel illius corporis mobilis, certè & ipſa mobilis eſt: ſed eadem (ſiue ſit terminus indiuiſibilis, ſiue negatio vlterioris extenſionis, haud multum refert) provt habet *Reſpectum ad totum Corpus ſphæricum cœli, quod habet fixionem, & immobilitatem propter immobilitatem centri, & polorum*, cenſetur immobilis: *ex quo patet*, inquit ille, *quòd tota ratio loci in omnibus continentibus eſt ex primo continente, & locante, ſcilicet cœlo.*

S. Th. in 4. l. 6.

Ita in loco duo ſunt: *materiale & formale*: materiale eſt ſuperficies: formale eſt ordo ille, vel ſitus, quem hæc habet in mundo. Rurſus, ſuperficies illa duplicem habet ordinem, vnum continentiæ ad corpus locatum; alterum diſtantiæ talis, vel talis ad totum cœli circuitum, provt hic fixus cogitatur in centro immobili ſuper immobilem axem, & verſus polos immobiles, conſtitutus: neque ſufficit ordo diſtantiæ ad ſolos polos, quia omnes partes æquatoris æqualem ab illis diſtantiam ſeruant, & tamen diuerſa loca ſunt, vel habent. Non item ordo ad centrum, quia qui ad circumferentiam cœli circuiret, eadem ſemper à centro diſtantiâ moueretur; at non eodem in loco: ad totam igitur cœli circunferentiam locus quilibet comparatur, & inde ſuam ſortitur ſtabilitatem, & permanentiam.

Hinc tres primæ ſententiæ refelluntur, cum decima, & vndecima, & duodecima: quia locus omnis debet etiam Phyſicè, necnon & per accidens eſſe immobilis. Refelluntur item quarta, quinta, ſexta, & ſeptima: quia principium adæquatum immobilitatis non ſatis enucleant, octaua minùs ſolida videretur, niſi explicetur vt ſuprà: nona denique ex ſequenti obiectione clareſcet magis.

Obiicitvr primò, ſaltem hinc ſequitur, mutata ſuperficie, non manere eundem numero locum proprium: quia etiam ille met ordo diſtantiæ, qui erat in ſuperficie recedente, non manet idem numero in ſuccedente, alioquin accidens è ſubiecto in ſubiectum demigraret. Reſpondent Complutenſes materiale loci, quod eſt ſuperficies, conſiderari & materialiter, & formaliter: materiale materialiter, inquiunt, eſt ſuperficies, vt accidens corporis ambientis: & hoc mutatur; materiale formaliter eſt eadem ſuperficies, vt habens illum ordinem diſtantiæ, & ſic manet idem numero. Contra eâdem argutiâ poſſemus dicere ſpeciem lunæ intermicantem in aquis labentibus manere ſemper eandem numero: idemque in exemplis alijs innumeris.

Certè ſubiectum ordinis eſt ipſamet ſuperficies vt accidens: ideo eâ mutatâ, mutetur etiam ordo, neceſſe eſt: ideo præſtabit dicere locum cenſeri, ac reuera eſſe numero eundem, quia poſitionem æquiualenter eandem habet ad locum communem numero eundem .i. ad cœlum. Ita manet nona ſententia explicata.

OBIIC. SECVNDÒ, ex ſuperficie, & duplici ordine ſupradicto fit aggregatum per accidens, vtpote ex rebus diuerſorum generum coaleſcens. Ergo locus non bene per huncce ordinem exponitur: Reſp. nego c. 10. §. 3. conſeq. quia vt diximus in Logica, poteſt bene vnum ens per ſe ex re- c. 28 §. 5. bus diuerſi ordinis confici, vt album, ſimus, 6. vltima prædicamenta, &c. quidni & locus? Ordo enim ſe habet vt actus, ſuperficies vt potentia, vnde habet rationem materiæ, itemque generis, vt in concretis accidentalibus, in quibus ſubiectum pro genere vſurpatur. Nec de his puto diutiùs diſceptandum.

OBIIC. 3. fieri poſſunt ſuppoſitiones veræ, quæ dictam ſententiam labefactent. Poteſt Deus mundum mouere motu recto extra centrum: tunc ipſa terra mutaret locum, eadem ſeruata in mundo poſitione: item poſſet lapidem Deus immotum ſeruare, vbi fuiſſet priùs, mutata poſitione ad mundum. Ergo immobilitas loci non pendet ab illa poſitione. Reſpondent Complutenſes eo caſu cælum non fore primum continens ob amiſſam immobilitatem: ideo fore tunc, vt ab illo ratio proprij loci non petatur: at malim ego dicere tunc profectò euenturum, vt terra ſeruaret locum, quem priùs habuiſſet in mundo; lapis verò deſereret, ſed quandoquidem mundus mutaret locum, vel ſaltem imaginarium, quem priùs habuiſſet; ideo terra locum pariter imaginarium, quem cum mundo, & vt pars mundi habuiſſet, commutaret, ſimiliter lapis locum imaginarium, quem habuiſſet anteà, non deſereret.

§. 4.

Quòd ſecundum quoſdam ipſa loci ratio à Deo petenda ſit & quomodo.

DIGRESSIO PLATONICA VI.

DVOBVS modis intelligi poteſt rationem loci à Deo petendam eſſe, primò, ſi dixerimus dari ſpiritum illum vniuerſi, de quo iam toties, & in illo contineri omnia vt in primo continente, & primo ſuſtentante, qua videbatur eſſe Procli ſententia, vix ſatis adhuc intellecta: ſecundo, ſi dicamus Deum ipſum eſſe locum ob ſuam immenſitatem, enimuerò iam ſuprà obiter diximus à nonnullis loci notionem, & ſtabilitatem per ordinem ad primam intelligentiam immobilem declarari. Nunc id ipſum declaremus apertiùs: Triſmegiſtus in pœm. ait locum eſſe quid incorporeum, tunc illud exponens quid ſit, ait eſſe mentem in ſeſe omnia complectentem, *& Philo l. de ſomnijs*, locus, *inquit*, tripliciter intelligitur, primò ſpatium,

quod impletur corpore: ſecundò, ſermo ille Dei, quem Deus ipſe totum expleuit in corporeis potentijs, tertiò: Deus ipſe vocatur locus, quia omnia continet, & à nullo continetur, & omnibus ad eum refugium patet. *Hæc autem non ſuo ipſe marte confinxit, ſed ex Hebræorum traditione deriuauit: vocant enim hi Deum* מקום *Makom, id eſt*, locum; *quod diuina maieſtas, & eſſentia mundum vniuerſum complectatur. Ita* Bodinus theatr. natur. l. 1. *Item Plotinus*, enn. 3. l. 7. c. 10. *ait*, neque eſt alter vniuerſi locus, quam anima, *id eſt, vt SS. Patres interpretantur, Deus ipſe.*

Notandum primò locum diuidi ſolere in internum, & externum: hic proprietas eſt corporum naturalium; ille verò huius eſt primigenium, & originale fundamentum. Quod ita explico, rerum omnium quæ ſunt, primitiuam quandam rationem reddi oportet, ac veluti radicalem, & originalem regulam, cur vnumquodque ſit tale, & hæc dici poteſt prima, & radicalis ratio formalis rei huiuſmodi: ſic omnium pulchrorum prima ratio formalis eſt ipſa prima Dei pulchritudo, nam quærenti, cur facies hæc pulchra ſit, ſi reſpondeas, quia proportio debita partium ſub affuſo lumine radiat, hæc aliqualis ratio eſt, at non prima, neque principalis, quia multa ſunt alia pulchra, quibus nec compoſitio partium vlla, nec lumen ineſt, vt optimè hoc proſequitur Plato in Hippia, quare veniendum eſt tandem ad primum pulchrum, cuius participatione pulchra ſunt omnia. Ita quod res hæc exiſtat in hoc loco potiùs quam in alio, id primitus, & originariè pendet à Deo, non quidem abſolutè, ſed quatenus eſt hic operans, & conſeruans hanc rem: Quod ab eius immenſitate procedit: nam vt per eam vbique eſt, ita per eandem omnibus locis, ac eorum ſingulis interuallis, inuariabiliter æquipollet, imo ea continet, priùs quidem in ſe virtualiter indiſtinctè vt in principio primo formali, dein verò etiam extrà ſe diſtinctè, diſtanterque velut euoluta, & ordine ſituali diſcriminata in ſeipſis: Prout ergo huic interuallo reſpondet, in eo cenſetur operari potiùs, quam in alio: vnde, quemadmodum actio creatura ab actione creatoris; & ſimiliter vita noſtra, & duratio ab eius vita, & æternitate, primordialiter ſcaturiunt: quidni etiam ſic vbi *noſtrum ab ipſius immenſitate, tanquam ab originali regula, deriuabitur? Hinc D. Dio-*
De diui. no *nyſius*, Deus itaque magnus appellatur iuxta propriam ipſius magni-
min. c. 9. tudinem, quæ magnis omnibus participationem ſui tribuit, & extrinſecùs ſuper omnem magnitudinem ſe diffundit, atque protendit, locum omnem complectitur, omnem numerum ſuperat, omnem tranſ-
Act. 17. cendit infinitatem. *Et S. Paulus* in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.

Notandum *ſecundò diuinam immenſitatem eſſe quidem ſimpliciſſimam, indiuiſibilemque Dei præſentiam, qua totus vbique eſt: habet tamen partes virtuales infinitas, quibus infinitas locorum differentias circumambit, ſicut ipſa Dei æternitas, quæ cùm ſit tota ſimul, & indiuiſibilis, velut inſtans: ab inſtanti tamen diſtinguitur, quod omnium temporum differentias cùm actuales, tum poſſibiles indiuiſibili ſua infinitate complectatur.*

Pauci, ſicut concipere poſſumus in eſſentia diuina partes virtuales, quæ ſint diuerſæ eius participabilitates, numerique ideales, & archetypi, de quibus egimus alibi; Ita partes virtuales in immenſitate tot licet cogitare, quos eſſe

poſſunt locorum ſitus, & termini; quorum cuilibet, qualibet vna reſpondeat: à loco quidem hoc independens: ſed tamen in ordine ad hunc locum à nobis cognoſcenda, diſcernendaque: atque hæ partes ſunt numeri primarij, & primordiales, ſecundùm quos Deus omnes locorum differentias, interualla, poſitiones, ac partes definit, metitur, diſtinguit, denique ſuſtentat, & continet. Quidni ergo ab hac Dei immenſitate internallares omnes numeros ſic præhabente, tanquam à primo continente, & locante, *potiùs quam à cælo* tota ratio loci in omnibus continentibus *primitus, & originariè deſumatur?*

Aliunde huic primò, & per ſe, nec non maximè propriè competunt omnes loci proprietates poſthac explicandæ. Demum forte id ſubindicauit Iob cum hominem Deo mortuum deſcribens inquit, neque cognoſcet eum ampliùs LOCVS eius. *Quis eſt ille locus? ſanè* locus hominis Deus eſt, *inquit gloſſa, itemque Rupertus Abbas Tuitienſis, &c.* c.7.v.10.

§. 5.

Quotuplex ſit locus.

PRIMA diuiſio loci eſt in locum internum, & externum. Locus internus variè ſolet exponi. Primò à recentioribus explicatur per modum, quem vocant *vbi*: & aiunt eum reipſa diſtingui à loco exterius circunſtante, & à re quæ illo circundatur. Præcipuum eorum fundamentum eſt, quòd res corporeæ ex ſe alioquin ſint indifferentes, vt ſint hic potiùs, quàm illic. Ergo aliquo debent determinari. Aliunde dum moueor, acquiro nonnihil, quo priùs deſtituebar: illud autem quid eſt aliud, quam modus *vbi*? verùm huiuſmodi modos iam refellimus in Logica: & nunc ex Ariſtotele idem corroboramus, qui 8. *Phyſ.* ait motum localem eſſe omnium præſtantiſſimum; quia nihil mutationis infert rei, quæ illo mouetur: inferret autem, ſi modum quendam internum, quo priùs caruiſſet, adiungeret: Quamobrem per motum localem ſolum acquiro locum, i. loco actu coniungor, à quo diſtabam. Quid eſt *loco coniungor*? nimirum inter locum illum, & me non eſt vlla diſtantia, nullumve interuallum, nec poteſt eſſe: vnde reſultat relatio indiſtantiæ: ad hāc verò coniunctionem determinor effectiuè per actum potentiæ motricis, qui eſt qualitas; & explicatur per applicationem effectiuam: formaliter verò determinor, vel per illam relationem indiſtantiæ, quæ non poteſt non reſultare, cùm primùm incipio coniungi; vel ſi mauis, per ipſam negationem diſtantiæ; vel denique forte meliùs per operationem Dei me hic continentis iuxta doctrinam expoſitam §. 4. c. 28. §. 1. & 5.

Aliis locus internus eſt ſpatium illud de quo egimus §. 2. Ita *Toletus in 4. Phyſ.* huc videtur accedere Mag. Sent. l. 1. d. 37. dum ait: *dupliciter res dicitur localis, & circumſcriptibilis; vel quia dimenſionem recipit, & diſtantiam facit: vel quia externo loci termino definitur.* c.5.q.8.

Aliis verò eſt ipſa circumſcriptio naturalis partium corporis, proueniens ab internis terminis propriæ cuiuſque quantitatis: nam quemadmodum inquiunt, ſpiritus ſpirituali ſua eſſentia terminantur, vt non ſint vbique ſicut Deus: à fortiori corpora debent proprios habere terminos, quibus vndequaque claudantur. Verùm contra loci rationem penitus eſſe videtur, vt ſit res eadem cum locato, neque quiſpiam eſt, qui ſe non putaret irrideri, ſi ſciſcitanti ſibi in quo loco ſit lapis; reſponderetur in ſeipſo.

Aliis denique videtur locum internum eſſe illam virtualem partem diuinæ immenſitatis, quam quidque occupat, & in qua ſuſtentatur, ac continetur. Vt autem, quid ſentio, paucis aperiam, reor equidem ſpatium illud eſſe locum internum ſecundarium, & quaſi accidentalem: immenſitatem verò Dei eſſe locum internum primitiuum atque eſſentialem. *

Externus locus eſt ille quem §. 3. explicuimus: & adhuc diuiditur in communem & proprium. Communis eſt Cœlum reſpectu noſtri.

Proprius diuiditur in ambientem & ſuſtentantem. Ambiens eſt quem hactenus ex Ariſtotele declarauimus. Suſtentans eſt ſicut terra reſpectu animalium: quòd enim hæc propriè dici poſſit locus, patet ex verbis Angeli dicentis *videte locum, vbi poſuerunt eum.* At non monſtrabat aërem ambientem, &c. Talis etiam eſt locus, qui naturalis dicitur: vbi res naturaliter gignuntur, aut conſeruantur; vt aqua reſpectu animalium, vno verbo centra omnia. Quin imo non deſunt Philoſophi, qui ſibi perſuadent locum non dici propriè, niſi qua parte ſubſtentans eſt, eo quòd ea ſolùm ratione ſit immobilis, & ad motum localem conducat. Fingunt enim, in toto loco, quo vndique circumſepti ſumus eam ſolum partem terræ, quæ velut baſis immobilis totam noſtri corporis molem ſuſtinet, dici primò & propriè locum, reliquam verò reſidui aëris ambientis ſuperficiem, locum ſecundariò, necnon ſecundùm quid appellari: tum omnem motum localem terminari, non ad locum ambientem, vtpote mobilem, fugacem, ac vagum; ſed ad ſolum ſuſtentantem; quo ſolo ſiſtitur motus, & à quò ſolo pendet vt inchoetur: vt patet in animalibus, quæ progreſſionem ex aliquo ſemper inceptant, quod vel omnino immobile ſit, vel vtcumque quieſcēs. vnde eſt illud Ariſt. *Motus fit ſuper immobili*, de progr. anim. c. 1. Hinc Cœli motum ſuper immobilitatem polorum volunt ſtabiliri, &c. verùm id repugnat Ariſtoteli, qui locum primum & proprium appellat ſemper totam ſuperficiem ambientem, ad diſtinctionem loci communis: tum ſequeretur ſolos polos eſſe proprium locum cœlorum omnium, &c.

Marci 16.

§. 6.

Qualis ſit locus, ceu quas habeat proprietates.

NOVEM ſolent recenſeri. *Prima* eſt vt locus locatum contineat, ipſumque omni ex parte circundet: hæc certè ſoli loco ſuſtentanti non conuenit.

Secunda, vt locus locato ſit æqualis. Hæc vt vera ſit de ambiente, debet intelligi, non de æqualitate magnitudinis, quia cùm locatum contineat, ea ratione quadantenus maior eſt; ſed de æqualitate configurationis, quia vndique partibus corporis locati conformatur. Hæc loco communi non poteſt accommodari: ſed optimè vtrique loco interno.

Tertia; vt locus ſit locato contiguus, non verò continuus: hæc ſoli communi non quadrat.

Quarta: vt à locato diſtinguatur, ſeu ab illo ſeparari queat. Quamobrem cum legeris apud Ariſtotelem 4. *Ph.t.* 30. locum non deſeri, ſeu deſtitui ab vnoquoq; *μήτε ἀπολείπεσθαι ἑκάστου*, & eſſe ſeparabilem, ſuſpicare vocem *μήτε non*, eſſe ſuppoſititiam, vel ſenſus eſto, quòd locus nunquam ſit ſine aliquo indefinitè. Hanc ſibi omnis locus vindicat.

Quinta, vt habeat differentias poſitionum ſurſum, deorſum, &c. hæc omni loco communis eſt & conueniens; quamquam videtur interno accommodatior.

Sexta, vt det vnitatem & differentiam ſpecificam motui locali: quia omnes motus ſpecificantur à termino; terminus autem motus localis eſt locus. Hæc de proprio tam interno, quam externo debet intelligi.

Septima, vt vim quandam habeat conſeruandi, & perficiendi rem locatam: vnde ſinus terræ ſolet proprius locus mineralium dici, quia in illo mineralia generantur, conſeruantur, & perficiuntur. Hæc ſine dubio loco naturali per ſe optimè conuenit; non loco aliunde ſecundum ſe abſolutè ſumpto, vel mathematicè ſolùm: iſtud enim euidenter Ariſtoteles docet in 4. Ph. c. 1. vbi D. Th. apertiùs. *Motus*, inquit, *naturalis corporum naturalium oſtendit, quod locus habet quandam potentiam, & virtutem: videmus enim, quòd vnumquodque fertur in ſuum locum, quando non impeditur: graue quidem deorſum, leue ſurſum: ex quo patet, quòd locus habet quandam virtutem conſeruandi locata, & propter hoc locatum tendit in ſuum locum deſiderio ſuæ conſeruationis.* Quæritur vnde? Reſpondet S. Thom. è Cœlo. Nimirum omnia Deus numero, pondere & menſura ſic edidit, vt nihil in toto vniuerſò conſpici poſſit, quod non cum reliquis eius partibus definitum ordinem ſeruet, ſituque illis ſuo conſentiat: vnde iuuare ſe inuicem omnia, vel iuuari commodè poſſint, ob mirabilem & perpetuam ſingulorum ad cætera ſymmetriam, qua ſummis infima per continuatam mediorum corporum concatenationem colligantur, & ab illis benignos, prout condecet, influxus commodiſſimè ſugant. Ita Cœlum primis rerum inferiorum originibus à Deo, ceu cauſa vniuerſali, fœcundatum, cuique infe- Opuſc 51.

riorum provt vniuerſi conſeruationi expedit, influxus inſpergit, ac depluit ſalutares. Verùm facilius profectò fuerit ad diuinæ immenſitatis virtutem recurrere: præſertim iuxta ea quæ diximus c.14.§.2. Ita tamen vt ſpiritus ille vitæ immenſus, *qui dat omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia*, vim iſtam conſeruatricem locis naturalibus indat interiùs, mediante Cœli concurſu extrinſeco.

Octaua, vt locus locatum ad ſeſe attrahat, non vtique per attractionem Phyſicam, aut per qualitatem occultam: ſed tanquam finis, & perfectio naturalis, cuius appetitu teneantur res inde pendentes; qui appetitus non video quid ſit aliud, quàm inſtinctus quidam ſiue pondus, aut inclinatio naturis ſingulis, ab omnium conditore ſimul cum eſſe naturali congenita.

Nona denique eſt vt ſit immobilis. Sed de hac ſat multa ſuperiùs.

CAPVT XXXIV.

DE IIS QVÆ SVNT in loco.

§. 1.

Quid potiſsimum de ſupremo Cœlo ſentiatur.

SVPPONO inprimis cum Ariſtotele, *omne quod eſt, id alicubi eſſe*, quod à Platone deſumpſit dicente in Timæo, *locum quendam omne quod eſt occupare debet, & quod neque in Cœlo, neque in Terra eſt, nihil eſt.* Hæc autem intelligi debent de ſubſtantiis quantis, quia hæ ſolæ per ſe à loco ambiri poſſunt, & menſurari: accidentia verò ſolùm per accidens, ac nonniſi per ſubiectum, & cum ſubiecto in loco ſunt. Ergo *terra in aqua, hæc in aëre, is in igne, is in Cœlo*. Hoc autem in quo? pergat Ariſtoteles: *non amplius, inquit, in alio eſt.* At itane ſubſiſtit quod dixerat, *quæ ſunt, omnes exiſtimant alicubi eſſe*? Itane illud etiam, quod paulò pòſt ſubiecit, *non quæreretur vtique locus, ſi non motus aliquis ſecundum locum eſſet. Propter hoc enim & cœlum maximè in loco putamus eſſe, quia ſemper eſt in motu.* Mirum certè quàm anceps, & dubius animi hæſitauerit hic Ariſtoteles: nam allatis oppoſitis textibus tertiò opponit hunc alium t. 45. *Animam & Cœlum eſſe in loco ex accidenti.* Hinc inter eius Interpretes non leuis oborta diſſenſio eſt.

Auerroes enim *cum Simplicio* ſenſit cœlum eſſe in loco ratione centri. *Themiſtius*, ratione proximi orbis, quem ſuperficie concaua tangit, & ambit. *Gilbert. Porretanus* vult locum ſupremi cœli eſſe ſuperficiem eiuſdem extimam. *S. Thomas* docet illud non per ſe, ſed ratione partium in loco eſſe, quatenus pars quælibet hinc inde aliis partibus ſtipatur,

ſtipatur, & cingitur. *Alexander Aphrod.* quem ſequuntur *Zabarella*, & *Franc. Piccolomineus in Phyſ.* Pronunciauit cœlum in loco non eſſe: idque ob eximiam ſuam nobilitatem, quia cùm ſit primus locus cæterorum, & prima menſura, ipſum à nullo locari debet, ſicut nec menſurari vlteriùs. *Eſt*, inquit *Piccol*, ſupremus orbis primus faber, & prima origo locorum, & menſura eorumdem; & ſolùm dicitur eſſe in loco ex accidentì, vt iunctus cum locatis, terminatus ad locata, & ſeruans relationem ad ea, circa quæ mouetur. *Iulius Pacius*, has omnes opiniones vt abſurdas explodit, neque quidquam aliud addit, niſi lamentum quòd Ariſtoteles ſuam de loco cœli ſententiam occultauerit. En Syrtes in quas omnes ſuperficiarij deuehuntur vel inuiti. Facilius certè hinc enauigant, qui ſpatium locale defendunt: quod & Ariſtoteles ipſe videtur *in 2. de cœlo t. 27.* quodammodo admittere: nam ibi probat cœlum eſſe ſphæricum; quia, ni eſſet eiuſmodi, vel daretur corpus ſine loco; vel locus ſine corpore. Ergo ſupponit omne corpus eſſe in loco; & conſequenter præter corpus dari interuallum quod ſit locus: alioquin vitari non poſſet proceſſus in infinitum, quia corpus in corpore, & hoc in alio, & ſic ſemper. At [a] *qui facit terram in fortitudine ſua: qui præparat orbem in ſapientia ſua & prudentia ſua extendit cœlos.* [b] *Qui cœlos palmo ponderauit*: Denique [c] *cuius manus fundauit, & dextera menſa eſt cœlos*, is certè nonne primus eſt Faber, primaque menſura, & origo extenſionis, conſtitutionis, denique collocationis cœli? Ipſe immenſitate ſua cœlum, & terram implet; an non & continet? Quæris itaque vbinam cœlum ſit. Reſpondebunt Theologi, in empyreo; at empyreum, vbi? Certè in Deo, vt in primo continente, vt in primo conſeruante, vt in primo ſuſtentante: denique vt in loco primordiali analogico. Quidquid aliud dixeris, refelli facile poteſt, probari nunquam. Si cœlum loco contineri neges, obſtat, ac perurget *textus 32. Ariſtotelis in hoc 4. Ph.* ſuprà citatus, quo probatur cœlum in loco eſſe maximè: ſi affirmes id eſſe in loco per accidens ratione partium, contradicet tertia proprietas ſuperius annotata: itemque quarta, partes enim eiuſdem continui neque contiguæ ſunt propinquioribus: neque ab iis ſeparabiles. Dices, non ſunt eiuſmodi actu quidem, at ſunt potentiâ. Reſp. Ergo ſolùm habent rationem loci in potentia, & non actu. Item locus eſt, qui motu locali acquiritur, cum ante ob diſtantiam non teneretur: at pars à comparte ſemper tenetur, nunquam alio modo acquiritur. Quî ergo loci notio illi conueniet? hactenus ſcirpum in nodo aperui: ſoluat, qui acutiori pollet ingenio: at caueat ne niſu forte nimio retundatur.

[a] Hierem. 10
[b] Iſa. 40.
[c] 48.

§. 2.

An plura corpora poſſint eundem locum occupare.

CONCLVSIO PRIMA. Certum eſt apud omnes Philoſophos non poſſe naturaliter duo, vel plura corpora ſimul in eodem loco

proprio, & adæquato conſtitui. Probatur breuiter: omnes effectus formales quantitatis, quos experimento deprehendimus, ſunt tres. Primus eſt, vt ſint partes, & quidem ſic inter ſe digeſtæ, & cohærentes, vt aliæ ſint extra alias. Secundus, vt vna quantitas à ſuo loco aliam velut à propria poſſeſſione per ſuimet ſolam introductioné expellat. Tertius, vt per ſitum corpora diſtinguantur. De his ambigere poteſt nemo. Quare vt nequit lux ſine ſplendore: aut ignis ſine calefactione; vel homo ſine riſibilitate exiſtere: ita non poteſt naturaliter quantitas ſine ſupradictis effectibus vſquam reperiri: ex ipſis autem ſequitur, vt corpus vnum è loco; quem ſubierit, expellat alterum: hoc à natura ius ſemper obtinuit, vt ſolùm ſolo ſuo contentum loco ſit, nec alienum ſuo retento inuadat; nec ſecum quidquam compatiatur in ſuo. Item naturæ perpetua lex eſt, vt quæ ſitu eodem afficiuntur, in corpus vnum coaleſcant, &c.

Conclvsio Secvnda: Duo vel plura corpora ſimul, diuina poteſtate in eodem loco ambiente adæquato colligi poſſunt. Certum hoc quidem ex Theologia: fideſque hoc perſuadet. Quî enim Chriſtus Dominus ex aluo virginali ſine puerperij nocumentis prodire potuiſſet, aut ſine apertione vlla penetrare in cænaculum clauſum, vel ex obſignato monumento exurgere, aut denique cœlum permeare, niſi corporum penetrationem admiſeris?

Ratio hæc reddi poteſt. Poteſt à Deo effici, quidquid contradictionem intrinſecam non implicat: ſed nullam talem contradictionem corporum penetratio implicat. Ergo effici poteſt. Mi. probatur: vt eiuſmodi penetratio contingat, ſufficit ſi effectus formales ſecundarij quantitatis impediantur: at hoc quid habet contradictionis? quid, quod diuinæ omnipotentiæ obſiſtat? Ipſa olim ignem, ne combureret; ſolem ne luceret; & infinita generis eiuſdem præſtitit; cur non etiam poſſet efficere, vt quantitas vna non expellat aliam, neue ab illa repellatur; ſed ſitus ſimul colligant ſuos, nec tamen perdant, aut confundant? Ita enim fiet vt duo corpora, diuerſa maneant, tametſi non diſtracta, coünita, eodemque ambientis corporis termino comprehenſa.

At qui ſecus ſenſerit, an is hæreticus erit? Reſpondeo, nolim equidem ei talé notam inurere. ſecus enim ſenſit Durãdus cum paucis aliis, quos propterea hæreſi Eccleſia hondum infamauit. Ipſi ſupradicta miracula concedunt, credunt, prædicant, quod fidei ſufficit, alio tamen, quam penetrationis modo ea conantur explicare: ſed tantam in hoc interpretando torturam animis incutiunt, vt vel explicationis labor ſufficiens ſit erroris argumentum. Quare ne furfuribus paſcam auida veritatis ingenia; aut pro gemmis Philoſophicis quiſquilias vendam; omiſſis illorum interpretamentis, ſolùm quæ illis fuerit tantæ hallucinationis occaſio, paucis aperiam.

Nimirum, vt noui quidpiam crepare viderentur, increpatis communibus aliorum de quantitate ſententiis, ſingularem ipſi finxere, ſc. quòd ipſa quantitatis ratio in impenetrabilitate conſiſtat: ſed id iam à nobis in Logica diſcuſſum eſt, ac præter refutationes cæterorum,

nullam ipſi afferunt rationem, quæ directè id probet. Nos verò illis opponimus authoritatem, quæ multis demonſtrationibus debeat apud virum piè orthodoxum præponderare, nimirum communem aſſertionem Theologorum, dicentium Corpus Chriſti Domini totum cum tota ſua quantitate in venerabili Altaris ſacramento contineri.

Inſtant negari non poſſe, quin corpus quantum ſuapte naturâ impenetrabile ſit: at quod naturâ ſuâ tale eſt, quomodo, ni eam mutet, poteſt non eſſe tale? propterea Angeli mori non poſſunt, quia ſuapte natura ſunt immortales, &c. Reſp. duobus modis intelligi poſſe, quòd quidpiam naturâ ſuâ ſit tale: primò vt ſit tale per eſſentiam, ſicut homo eſt rationalis: ſecundò, vt ſit tale per naturalem exigentiam, ſicut lapis eſt grauis. Primum nequit, niſi cum natura ipſa deſinere: at hoc modo corpus quantum non eſt impenetrabile. Secundùm poteſt ab ipſa natura tolli diuinitus, non naturaliter: Quidni enim poſſit Deus lapidem omni grauitate deſtituere? hoc modo corpus eſt impenetrabile, i. naturaliter exigit non penetrari. Vel concedam quidem corpus non poſſe non eſſe impenetrabile, hoc eſt, carere natura exigente impenetrationem, licet ſine hac impenetratione optimè eſſe valeat: ſicut homo non poteſt non eſſe riſibilis, qui tamen poteſt non ridere. Ad Angelos quod attinet, Reſp. eos mori non poſſe, ſi mors ſumatur pro ſolutione corporis ab anima: quia per eſſentiã tali compoſitione carent: at ſi deſtructionem ſolùm ſignificet, mori poſſunt, i. à Deo deſtrui.

Vrgent: corpora diſtinguuntur per ſitus: quæ autem in eodem loco, ſunt, eundem habent ſitum: ergo quæcumq; corpora ſunt in eodẽ loco, in vnicum corpus coëunt. Reſp. duplicem eſſe ſitum, vnum externũ, loco coextenſum: alterum internum, qui diuiſibilitatem ipſam determinat. De hoc vera Ma. at Mi. falſa eſt: recole quæ in Logica de quantitate dicta ſunt:

At ex aduerſo fuere nonnulli, qui quod Durandus negauit Deo, ſoli naturæ conceſſerint, vt *Fernelius 2. l. Phyſicor. c. vltimo*, & alij, qui penetrari poſſe corpora ſine miraculo, adſtruunt. Potiſſima ratio ab aliquot experientiis ducitur. Primò, ignis ſimul cum ferro eundem ſolum locum occupat: Secundò, aqua infuſa in panem, aut ſpongiam pariter in eorum loco tota concluditur. Tertiò, cyathus aqua plenus cum ea tantumdem cinerum capit.

Reſp. Ignem in ferri, & aquam in panis vel ſpongiæ poris, excluſo aëre recondi, non verò penetrari. Ad illud de cineribus, Reſpondet Ariſtoteles tãtumdem aquæ abſorberi, quia cinis aquam in vapores, & halitus ſoluit, cum quibus tenuiores partes cinerum exhalantur. Paucis, in his, & ſimilibus agnoſcenda eſt magna ſemper copia meatuum, qui illabentem ſubſtantiam, fugato priùs aëre, quo implebantur, admittunt. Aliunde fieri poteſt exhalatio puriorum partium, denique contingere poteſt maior conſtipatio reliquarum.

Sed quid dicemus de ſpiritu, qui ſecundum Ariſtotelem l. de Mundo c. 4. omnia permeat? Reſp. vel intelligi Deum ipſum, vel quendam vigorem viuificum, & immaterialem, vt diximus c. 14. §. 2. vel

ſi ſit ſubſtantia corporea, ea vt pote ſummè tenuis, & aliunde viuaciſſima, & multò quam puriſſimus ignis ſubtilior, non ſolùm quoſcumq; poros ſubire, ſed cuiuſcumque adhuc aëris partes findere, intróque demeare poteſt, &c.

§. 3.

An poßit idem corpus pluribus in locis diſtantibus, & adæquatis collocari.

CONCLVSIO PRIMA: Naturaliter id nequit fieri. Ita conſtanter omnes Philoſophi: quia vt multitudo, & diuerſitas corporum requirit neceſſariò multitudinem, & diuerſitatem locorum, ita vnitas, identitaſque corporis, vnitatem & identitatem loci poſtulat.

CONCL. 2. Supernaturaliter poteſt idem corpus ſimul in diuerſis locis totalibus, & diſtantibus poni. Ita omnes Orthodoxi: idque conuincit fides Sacramenti Corporis Chriſti Domini. Neque obganniant hæretici, heic contradictionem inuolui. Quaſi verò non poſſit Deus efficere quidquam, quod naturæ leges, atque ipſorum ingeniola tranſcendat. Veritas diuinorum myſteriorum ex verbis Chriſti ſinceriſſimè intellectis, non verborum eius interpretatio ex ratiunculis noſtris ſemper educenda eſt. Dixit ille clariſſimè, Corpus ſuum verè ſub ſpecie panis conſecrati eſſe, ac manducari. Ergo vbicumque conſecratur panis, adeſt Corpus Chriſti. At in multis locis conſecratur. Ergo in multis locis eſt Corpus Chriſti.

Cæterùm longa heic quæſtionum, & difficultatum catena texitur, ob curioſitatem mentis humanæ, qua Philoſophi θεολογοῦντες nimis pruriunt noſſe multa, quæ Deo libuit nobis occultare, vt *an poſſit idem Corpus circumſcriptiuè in pluribus locis conſtitui; an viuere in vno & mori in alio: an ſubſtantia corporea poſſit alicubi collocari ſine influxu quantitatis*, & ſexcenta eiuſmodi: quæ nos alijs pleniùs tractanda relinquimus, ea ſolùm breuiter quæ ſciru digniora videantur expenſuri.

Notandum eſt ergo id quod ſcitu per neceſſarium erit, triplicem eſſe modum, quo quidpiam poteſt eſſe in loco, nempe circumſcriptiuè, definitiuè, ſacramentaliter. Circumſcriptiuè in loco eſt id, quod ſic totum toto loco clauditur, vt eius ſingulæ partes ſingulis loci partibus correſpondeant, & hoc modo corpora diuiſibila ſunt in loco diuiſibiliter: definitiuè in loco eſt, quod ſic totum eſt in toto loco, vt etiam totum in ſingulis loci partibus ſubſit, ita tamen vt non ſit extra, & hoc ad Spiritus pertinet; qui quod ſint indiuiſibiles, indiuiſibiliter ſunt in loco: ad eum modum dicimus animam noſtram eſſe totam in toto corpore, & totam in ſingulis eius partibus. Denique ſacramentaliter in loco eſſe propriè dicitur Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus conſecratis.

Is modus à cæteris differt, eò quòd per illum corpus diuiſibile indiuiſibiliter ac per modum ſpiritus, ſit totum ſub qualibet particulâ: nec ita vno locò clauditur, quin alibi ſit: alios autem modos exiſtendi in

loco, quis negabit Deo eſſe poſſibiles?

Dubium ergo hinc excitatur, an vnum corpus poſſit diuina virtute circumſcriptiuè ſimul in pluribus locis diſtantibus conſtitui. Graues hinc inde diſſenſiones feruent inter Doctores, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Partem affirmantem ſequuntur *Scotus in 4. Aureolus, Maior, Ocham, Biel, Richardus, Suarez, &c.* præcipua fundamenta ſunt hæc: primum, qui poteſt plura corpora intra vnius, eiuſdemque loci cancellos coercere, quidni poterit idem corpus intrà plurium locorum terminos concludere? Primum enim videtur ſecundo eſſe facilius: nam facilius eſt multiplicare effectus formales in eadem forma, quàm formas ſub eodem effectu formali; ſicut facilius eſt plures inflammationes ab eadem flamma prodire, quam vnam inflammationem eſſe à duabus flammis. At per penetrationem multiplicantur formæ ſub vno effectu formali, ſc. plures quantitates ſub vnica extenſione, per collocationem verò eiuſdẽ corporis in diuerſis locis ſolùm multiplicantur effectus formales in eadem forma, nempe diuerſæ poſitiones in eadem quantitate: ita difficilius videtur admittere duas animas ſub eodem intellectu, quam duos intellectus in eadem anima, & nemo eſt, qui, ſi conceſſerit primum fieri poſſe, non concedat illico ſecundum eſſe poſſibile.

Secundum: qui poteſt corpus Chriſti Domini cum ſupernaturali penetratione ſuarum omnium partium diuerſis locis applicare, cur idem non poterit cum naturali earum extenſione? At tunc eſſet circumſcriptiuè in pluribus. Ergo.

Tertium, ſi in quantitatem panis conuerteretur quantitas corporis Chriſti, hoc in altari eſſet quoque circumſcriptiuè: at quidni quantitatem Deus poſſet tam bene conuertere, quam ſubſtantiam?

Quartum, nulla contradictio ſublucet: etenim quid aliud eſt poſitio corporis in loco, quam relatio eiuſdem ad locum? At cur non poſſit Deus multiplicare relationes ad plura loca in eodem corpore, ſicut multiplicantur paternitates in eodem homine, ad varios filios? Item poſitio hæc poſterior eſt corpore diuiſibili: Cur ergo ſine illo multiplicari non poterit, ſicut reuera illo immutato, multiplicatur poſitio ſucceſſiuè?

Quintum ducitur ab hiſtoria. Chriſtus Dominus Petro Romà fugienti extenſus, ac naturali ſua præſentia circumſcriptus apparuit. D. Ambroſius eodem momento Sacris Mediolani adſtitit, & exequijs Sancti Martini Turone, vt teſtatur D. Antoninus, &c.

Denique quod omnium efficaciſſimum eſt: Poteſt Deus infinito plura, & maiora efficere, quam poſſint ab humana mente cogitari. Ideo periculoſiſſima res eſt, diuinæ omnipotentiæ velle terminos in limitatiſſima ingenioli noſtri officina confictos adſcribere.

Partem nihilominus negantem doctiſſimi iuxtà, ac pientiſſimi viri defenſitant. Nempe *a S. Thomas, b S. Bonauentura, Ægidius*, & innumeri alij: *c* his fauere videtur *S. Auguſtinus*, qui diſputans contra *d* Fauſtum, docet corpus Chriſti non poſſe in cœlo degere modo extenſo, & ſimul Cruci affigi.

a in 4. d 10. 3. p. q 76.
b in 4 d 44.
c quodl. 1 q. 1.
d l. 20. c. 12.

Rationes præcipuæ ſunt hæ: prima, quòd collocatio circumſcriptiua ex ſe ac neceſſariò exigat, vt corpus quod ita ſitum eſt, non ſit extra locum, quo circumſcribitur.

Secunda, quòd multa ſequantur contradictoria: nam granum millij, ſi poteſt eſſe in duobus locis, poteſt in mille, imo poteſt in omnibus. Ergo reddi poteſt immenſum, tum vel eſſet diuiſibiliter in toto mundo, vel indiuiſibiliter: ſi primum, ſequitur fore vt res quæ in mundo eſt minima, ſine additione quantitatis, tantumdem ſit habitura partium, quantum mundus vniuerſus: ſi ſecundum, ergo indiuiſibiliter eſſet in locis illis omnibus, & non circumſcriptiuè. Item ſi Petrus eſſet Romæ ſimul ac Pariſijs, eſſet ſecundùm ſe diſtans Româ, & non diſtans: imo foret diſtans à ſeipſo. Romæ item mori poſſet, & viuere Pariſijs, & poſſet inſuper in Cœlo beatorum delectatione perfundi, & ſimul in Tartaro torqueri cum dæmonibus, &c.

Tertia, quæ cæterarum fundamentum eſt, in huncce modum formari poteſt, effectus formalis qui principium ſuum formale totum adæquat, ac velut exhaurit, non poteſt multiplicari, ſine ſui multiplicatione principij: ſed quantitas eſt principium formale omnis extenſionis, & præſentiæ circumſcriptiuæ & ab ea totum adæquatur. Ergo non poteſt multiplicari hæc præſentia niſi multiplicetur & quantitas: multiplex autem quantitas multiplicem quoque inducit indiuidui rationem. Ita vnum corpus manens numero idem, nequit circumſcriptiuè multis in locis coextendi. Mai. patet à pari. Primò, quia ideo Pater æternus nequit plures filios generare, quia vnicus totam illius fœcunditatem exhaurit. Secundò, quia ideo etiam anima vna nequit plures vitas diſtinctas contradere. Mi. patet, quia per quantitatem corpus totaliter locatur quantum id locari poſſibile eſt.

Reſponderi communiter ſolet quantitatem eſſe quidem adæquatam rationem locandi corpus circumſcriptiuè naturaliter. Poſſe tamen per vim obedientialem Deo abundantius ſui obſequium præſtare, vt videlicet vltra vim naturalem, qua corpus ſiſtit in vno loco, idem ſiſtat, extendatque in pluribus: ſicut licet albedo ſit adæquata ratio diſgregandi viſum; tamen eadem Albedo poteſt plures viſus ſimul diſgregare. Non ergo multiplicari debet ratio adæquata ſuis multiplicatis effectibus.

Reſponſio hæc nequaquam adhuc ſatis facit, nam ſic refellitur: principium formale quod in vnico effectu formali, totalem, & adæquatam vim actu exerit, qua in effectum huiuſmodi tam ſupernaturaliter, quam naturaliter influere poteſt, non poteſt plures tales effectus elicere, vt conſtat in exemplis ſuperiùs adductis; & quia ſi plures poſſet, certè in vno totam ſuam vim non exhauſiſſet. Atqui quantitas ſe habet huiuſmodi: ipſa enim eſt tota, & vnica ratio, qua corpus etiam ſupernaturaliter poteſt circumſcribi, hoc eſt, qua partes corporis, in partibus loci extendi poſſunt, & coaptari formaliter, aliunde corpus per eam tantùm collocatur, quantum collocari poſſibile eſt: quia per omnes omnino ſuas partes extenditur, locatur, ac circumſcribitur. Ergo

in vnica præſentia circumſcriptiua totalem ſuam vim collocatiuam exerit: neque valet paritas Albedinis; ea enim in diſgregando vno viſu non exerit omnem vim, qua pollet; ideo per ſe totam diſgregat quidem, ſed non totaliter.

Hæc ſunt perpetuarum diſſenſionum ſemina, ex quibus nihil aliud quam inanis curioſitatis illuſionem plerumque naſci cernimus. Ideo non auſim diutiùs immorari: conſuetudini tamen ac vulgaribus votis indulgendum fuit. Quare quid definite ſentiam, ſequenti epilogo conſtabit.

§. 4.

Epilogus breuem deciſionem continens.

CONCLVSIO. Licet ſecunda opinio rationi magis conſentanea videatur: tamen in ijs quæ ad diuinam omnipotentiam ſpectant, quidquid impoſſibilitatis humanæ rationi apparet, ſuſpectum id, atque intutum cenſeri debet. Primam partem ſuadet S. Thomæ authoritas, quam multis ſoleo vulgaribus demonſtrationibus anteferre ob ſingularem, qua cæteros Philoſophos excellit, animi profunditatem, præſertim cùm diuinitus affuſis cæleſtis ſapientiæ radijs maximè illuſtrari eam contigerit.

Secunda pars inde mihi probatur, quòd finitus cum ſit omnis humanæ mentis modulus, quî fieri poteſt, vt infinitam Dei ſapientiam, & potentiam eo metiri præſumamus. Ideo definire non auſim, quòd non poſſit à Deo ſimpliciter effici id, quod nunc in quæſtione verſatur. Rationes conuincunt nullæ, nec tamen nullas eſſe voluerim affirmare, ſoluemus omnes itaque, ne quid maneat inſolutum.

Ad primum fundamentum primæ ſententiæ Reſp. negandam eſſe paritatem; quia ſimilis conſequentia in ordine naturæ falſa reperitur: vt ſi quis dicat, duo Angeli poſſunt naturaliter eſſe ſimul in eodem loco. Ergo vnus poteſt naturaliter eſſe in duobus locis diſſitis: falſa enim eſt conſequentia.

Notandum ergo, vt duo corpora penetrentur, ſatis eſſe, quòd quantitas effectu ſuo ſecundario ſpolietur; vt verò idem corpus ſit in duobus locis, requiri, vt quantitas virtute diuina eleuetur ad producendum effectum formalem alium, & nobiliorem quàm poſſit: hoc autem repugnat, & non primum: nam hoc eſt diſcrimen cauſæ formalis ab efficiente, quòd efficiens virtute à ſe diſtincta poſſit agere, ideo & eleuari ad effectum nobiliorem, formalis verò per ſeipſam ſuum immediatè prodat effectum: nec poſſit eleuari ad effectum ſeipſa maiorem, aut ampliorem. Quod autem de flamma ſubditur, nihil eſt, quia hæc inflammationes edit vt efficiens, non vt forma: denique ex æquo repugnat duos intellectus in eadem anima, & vnicum in animis duabus ineſſe, cùm intellectus ſuam à ſubiecto habeat indiuiduationem. Adde dubium eſſe an ab anima diſtinguatur.

Ad ſecundum Reſp. negandam item paritatem: ſi ſine penetratione non ſit noua ratio nouiter occupandi locum, ſi ſit verò cum penetratione, vt fit in Sacramento altaris; vbi corpus Chriſti Domini non eſt per ſe in loco, ſed ſolùm per ſpecies.

Ad tertium Reſp. ſi quantitas corporis Chriſti conuerteretur in quantitatem panis, tunc corpus Chriſti fore circumſcriptiuè in loco per illam ſuperadditam panis quantitatem.

Adquartum Reſp. contradictionem in eo fore, vt corpus illud eſſet adæquatè locatum, & non eſſet adæquatè locatum: nec vis eſt facienda in relationibus, ſed in fundamento relationum, quod eſt quantitas. Nec valet paritas, quia pater plures edidit actiones, quibus plures genuit filios: idem autem corpus nequit ſimul plures habere quantitates, quibus ad plura loca totaliter extendatur.

3.p.q.57.a.6.ad 3. *Adquintum*, Denique Reſp. cum S. Thom. Chriſtum ex ſingulari diſpenſatione corporaliter ad terram deſcendiſſe, vt ſe oſtenderet alicui vt B. Paulo, & B. Petro, ad reliquas hiſtorias dici poſſe has omnes apparitiones potuiſſe contingere per ſpecies. Quamquam quod de S. Ambroſio recitatur, vt fictum, merito à multis reijcitur.

Venio ad rationes ſecundæ ſententiæ, *Adprimam* Reſp. locum circumſcriptiuum non ſemper ſumi cum huiuſmodi excluſione: alioquin quomodo Chriſtus Dominus eſſe poſſet extrà cœlum, in quo eſt circumſcriptiuè. Ergo ſufficiet ſi corpus diuiſibiliter in locis pluribus fuerit, quorum ſingulis ſecundum ſuas omnes partes coaptetur.

Adſecundam Reſp. millij granum futurum in mundo diuiſibiliter, non per multiplicationem quantitatis, ſed per ſolam multiplicationem præſentiæ. Quare in totidem locis foret, quot forent loca millij paruitati æqualia: & in his ſingulis ſuam exporrectam quantitatem haberet, nec tamen maiorem in omnibus: *Ad cætera verò* Reſp. quòd Petrus non diſtaret à ſe ſecundùm ſe, neque item à locis in quibus eſſet: ſed ſolum foret in locis à ſeipſis diſtantibus, ſicut quotidie Chriſtus totus adeſt ſpeciebus, à cœlo, vbi circumſcriptus regnat, remotiſſimis. An verò *hic mori, viuere illic, damnari ſimul, ac beari quis valeat.* Hæc & ſimilia curioſioribus enucleanda derelinquo: neque enim video, quem fructum elucubrationes iſtæ commentitiæ proferant: Solùm dico ea quæ reſpectu eiuſdem ſuppoſiti contradictionem videantur includere, non poſſe de eodem, tametſi diuerſis in locis conſtituto, affirmari: vt forte mori, & viuere; Deum videre, & non videre, &c. quæ verò contradictionem ſolum includunt per ordinem ad eundem locum, ea poſſe eidem in diuerſis locis exiſtenti competere, vt ſedere hic, non ſedere illic, moueri hic, non illic, &c. At poſſetne moueri naturaliter, vbi ſupernaturaliter locaretur? Reſp. nequaquam: nam qui mouetur, loco ſe applicat, at qui iam ſemel eſt alicubi, nequit vlli loco ſe naturaliter applicare. Pertineret ergo ad Deum, vt ſupernaturaliter vel ipſum in eodem loco ſiſteret, vel moueret ad alium.

Adtertiam Reſp. totum influxum formalem quantitatis in eo conſiſtere, vt ſubſtantiam reddat primariò diuiſibilem, ſecundariò extenſam,

vnde

vnde illa ſit apta, vt tanto, vel tanto loco applicetur. Quare iſta extenſio, effectus eius eſt adæquatus, ac ſemper vnicus in vnica quantitate: & de hoc ſolùm procedere poteſt obiectio: quòd verò corpus actu applicetur huic, vel illi loco, aliunde fit, nempe ab applicante, & effectus is extrinſecus eſt quantitati; vnde ſi centum ſuperficies penetrarentur, in illis per eandem quantitatem corpus ſimul circumſcriptiuè poni nihil prohiberet? Ita etiam nihil prohibet, quin per eandem in centum ſeparatis, Deo toties applicante, collocetur.

Capvt XXXV.

DE VACVO.

§. I.

An ſit, & quid ſit.

Vacvvm, vel inane intelligi poteſt duobus modis: primò pro ſpatio, quod corporibus occupatur: ſecundò, pro ſpatio nudo, quod nullo corpore impletur. De hoc nunc nobis ſermo eſt, & quatuor quæri ſolent. Primò an ſit: ſecundò, an queat eſſe; tertiò, qua virtute impediatur: quartò, an in eo poſſet motus fieri.

Quoad primum notandum eſt olim à Democrito, Epicuro, & reliquis atomorum patronis admiſſum fuiſſe in rebus vacuum hoc modo, intra quælibet corpora meatus quoſdam prætenues admittebant omni corpore deſtitutos, ſed adeo exiguos, vt ſenſu nullo poſſent percipi: quales etiam ſolemus poros dicere. Sed intereſt, quòd illis ſpatiola hæc fuerint omnis corporis expertia, nobis verò pori ſint aëre, vel alijs corpuſculis ſemper oppleti. Fatebantur tamen ingens aliquod ſpatium ita vacuum à natura ferri non poſſe, eáque ratione, quidquid illis obijci conſueuerat à diuerſis experimentis depromptum, eludebant.

Id autem probabant primò à motu ſic: quidquid mouetur localiter, recipitur aut in plenum, aut in vacuum; ſed non in plenum, quia duo corpora ſimul eundem locum obtinerent. Ergo in vacuum.

Secundò, à nutritione ſic: cum cibus diſtribuitur, niſi ſpatiola inania corpori noſtro eſſent vndequaque perſperſa, quò reciperetur?

Tertiò, ab experimentis ſic: vas cineribus plenum, recipit adhuc tantundem aquæ, ac ſi vacuum foret. Ergo multum debuit vacui præcedere. Nihilominus ſit

Conclvsio, non datur vacuum, neque poteſt à natura permitti, neque vllo vſpiam pacto effici. Ita concors penè omnium Philoſophorum, exceptis Democritianis, ſententia.

Ratio præcipua petitur ab experimentis, quibus totum fermè natu-

ræ videmus peruerti ordinem, priuſquam vacui quidquam toleretur. Leuia deſcendunt, aſcendunt grauia: marmora confringuntur, &c. exempla quis non vidit. Clepſyda infernè perforata, ſi ſuperior meatus ita ſit occluſus, vt aër influere non poſſit, aquam cohibet, nec vel vna guttula per aperta foramina exilit. Vas vitreum, vel etiam æneum, vbi plenum aqua calida fuerit, ſi firmiter occludatur, & ſub cœlo frigidiore collocetur, tunc, cùm gelu concreſcere, ac condenſari cœperit, rumpitur, vt aër per fracturæ meatus irrumpens cedentis aquæ locum ſubinde occupet: ſexcenta ſunt huiuſmodi, quæ, quia nota omnibus, prætermitto.

Aduerto ſolùm, fruſtrà tantam à natura parari vim, vt in aliquibus vacuum euitetur, ſi debuiſſet illud in alijs admittere. Fruſtrà item illud eſſet, cuinam enim vſui eſſet? Adhæc admirabilem cauſarum, & partium vniuerſi ordinem, connexionem, ſymmetriam & perennem influxuum decurſum interturbaret. Atque hæc cauſa eſt, cur tantam natura vim adhibeat in conſeruando communi, & vniuerſali bono; cur nulla pars ſit, quæ non contendat contra propriam & particularem naturam ſuam agere, mouere, & luctari, ne videlicet pax & ſalus vniuerſi pereat: adeo cuncta quæ in mundo ſunt aduerſus monſtrum hoc infeſtum naturæ armantur, & pugnant.

Quæ autem contra obtenduntur, ne quidquam efficiunt. *Ad primum* R. in eo certè cum veteribus hallucinatum eſſe *Iul. Scaligerum Exerc.* 5. cum dixit vacuum eſſe principium motus, ſicut priuatio eſt principium generationis. Quaſi verò ipſa negatio loci acquirendi, in loco deſerendo ſit vacuum: at quomodo vacuum principium motus dici queat, cum ab eo mobile neque attrahi, nec impelli, nec ſiſti, nec duci valeat? Dico ergo, id quod mouetur recipi in ſpatium quod priùs fuerat plenum aëre, ſed eo inſtanti, quo mouetur, ſcinditur aër anterior, premitque vicinas partes, quæ ſimul in ſpatium à tergo relictum ſuffugiunt, idque eadem proportione explent, qua vacuatur illo corpore, quod mouetur. Sed quid, inquies, ſi duæ tabulæ planiſſimæ, ſimulque iunctæ, æquali vndique ductu cum magna vi ſeparentur, aër medium illud ſpatium repleturus non poteſt ſubinde totus illico ſubintrare, cum omnis motus ſit ſucceſſiuus: ergo neceſſe eſt, vt aliquid vacui maneat. Reſp. vel fractum iri tabulas, vel ea eſſe proportione diſiungendas, qua poſſit aër inſiliri. *Ad ſecundum* Reſp. eſſe in corporibus noſtris poros, ſeu meatus vbique ſparſos, aëreque vel fluxis alijs humoribus plenos; & in hos recipi alimentum, concedente locum aëre, vel humore præmemorato. *Ad tertium* Reſp. cineres ob leuitatem & ſiccitatem non ita coaceruari, quin meatus interſperſi multò plus aëris intercipiant, quam ſpatij ab illis occupetur: aëri autem aqua ſuccedit.

Dices, ſaltem inter primum mobile, & Empyreum debet eſſe vacuum: quia quadratum hoc creditur à Theologis, illud verò rotundum; at ſi rotundum intra quadratum concluſeris; ſaltem quatuor quadrati angulis rotundum nequit coextendi: ergo ibi erit vacuum.

558

Reſp. de Empyreo viderint Theologi: nos ad ſolum naturæ theathrum, hoc eſt, intra primi mobilis ambitum quæſtiones has coarctamus; quidquid ſuprà eſt, non naturæ, ſed gloriæ magnificentia eſt.

§. 2.

Ad nouas quaſdam experientias reſpondetur.

PETRVS GASSENDI *l.1. Phil. Epic.* has obijcit.

Primo eſto, inquit, pneumatica Bombarda, pars tubi quæ continet aërem ſit v. g. duorum digitorum: tot erunt in aëre partes, quot in ſpatio huiuſce tubi. Sint hæ v. g. 1000. comprimatur aër, & reducatur ad ſpatium vnius digiti, quod 500. partibus conſtaret; quo pacto, quæſo, in illis ſe habebunt illæ 1000. partes aëris? Vel ergo dicendum eſt 500. partes aëris intra 500. alias partes aëris conſtitui, & ſic penetrari: vel tantum fuiſſe priùs 500. partes aëris, totidem alijs vacuis ſpatijs intermiſtas.

Reſp. hic magnam tangi de rarefactione & condenſatione quæſtionem aliàs explicandam. Quare paucis Reſp. vel in aëre rarefacto fuiſſe alia corpuſcula immixta, quæ ſparſim occuparent illas 500. partes ſuperſtites, eaque per condenſationem emungi & foras extrudi, ideo manere ſolùm 500. partes aëris: vel hanc eſſe naturam corporum, vt rarefacta occupent ampliorem locum, minorem verò condenſata, quod quî fiat, dicetur alibi. Ita reſpondendum eſt ad ſimiles omnes inſtantias ex rarefactione petitas: vt v. g. quando aqua reſoluitur in vaporem vel aërem: Gaſſendi vult aërem centuplo aquâ maiorem euadere; ergo inquit centuplo plures partes ſe in aqua penetraſſent, niſi præfuiſſent ſpatiola inania: at retorqueo argumentum ſic. Si maior extenſio ſequens, argumentum ſit vacui præcedentis, & centuplo vapor fiat extenſior: ergo vacuum, quod aquæ inerat, ipsâmet aquâ centuplo maius eſſe debuiſſet. An non ergo ingens hoc vacuum foret? Quod tamen negat ille poſſe contingere. Reſp. ergo vt priùs, & nego vnam partem aquæ in 100. partes aëris aut vaporis reſolui, ſed de hoc aliàs.

Secundò, aliud experimentum obijcit à ſe deprehenſum, quod eſt eiuſmodi: aqua ſolet ſalem vſque ad certam menſuram ebibere. Tamen in illam ſale ſic exſaturatam, ſi alumen, halinitrum, ſaccharum, & alia id genus immittantur, hæc eadem aquâ exſoluentur: quærit ipſe, cur illud reſiduum ſalis aqua non abſorbeat, cùm adhuc ſugere, & in ſe transfundere poſſit alia, nec videt aliam rationem, niſi quòd in aqua neceſſariò præſupponi debeant ſpatiola vacua eiuſdem figuræ cum corpuſculis ſalis, aluminis, &c. quæ cum repleta fuerint, amplius nihil admitti queat: vnde corpuſcula ſalis putat eſſe cubica; aluminis, octahedrica, &c. Hinc quot ſunt in aqua ſpatiola cubica, totidem corpuſculis ſatis poſſe imbibi, & non pluribus: ſimiliter, quot præfuerint ſpatiola octahedrica, totidem aluminis corpuſcula in

ſe ipſa tranfundere, & non plura, ſic de cæteris. Reſp. docta ſanè ſomnia nobis haud illepidè obijci, eſſe in aqua quæ tota fluxa eſt, ſpatiola fixæ & minimè fluxæ figuræ, totque & tam difformia, necnon tam conſtantia quis niſi ſomnians credat? At ſi corpuſcula ſalis, & aluminis intra patentes aquæ cauernulas reconduntur, per eorum appoſitionem, aqua nihilo ampliùs deberet intumeſcere, quia neque moles, neque extenſio aquæ creſceret. Hoc tamen falſum eſt, quia etiam experimento conſtat aquam tantum capere incrementi, quantum ipſis per ſe ſalibus diſſolutis propriè competit: dico igitur his experimentis ſolum conuinci, ſali quaſdam ineſſe partes, quæ faciliùs in aquam colliqueſcere valeant, aliquas verò propriæ formæ tenaciores non poſſe, ita de cæteris.

Tertiò, celeberrimum experimentum præbet iam olim à Galilæo compertum, deinde à multis accuratiùs comprobatum, quo efficitur, non ſolùm dari ſpatiola inania, ſed ingens quoque vacuum. Fitque varijs modis, ſed iſte hic ſufficiet: ſit tubus vitreus, fundum optimè obturetur, dein repleatur hydrargyro vſque ad orificium, ſupponatur aliud vas etiam hydrargyro plenum, tum orificium tubi digito perfectè comprimatur, & ſic compreſſum inuertatus verſus vas ſuppoſitum, immergaturque in hydrargyrum in eo vaſe reſtagnans, & intra illud ſubducto digito aperiatur orificium, tunc hydrargyrum in tubo incluſum paulatim defluit, donec ipſius hydrargyri copia altitudinis circiter duorum pedum & trium digitorum remanſerit intra tubum prope orificium: neque tunc deſcendit ampliùs: interim totum reliquum ſpatium, quod eſt in vaſe, remanet vacuum. At ſi hoc orificium eleuetur vſque ad aërem contiguum, cùm primùm peruenerit ad confinium aëris, & hydrargyri, tum impete incredibili aër in tubum prorumpere auditur: totumque illud ſpatium vacuum implet, aut ſi loco aëris aqua ſupernatet hydrargyro, vbi orificium ad confinium hydrargyri, & aquæ pertigerit, aqua paulatim conſcendit, donec totum quoque tubi ſpatium occupet, hydrargyro interim toto dilabente. Hinc ſic argumentantur, ſi ſpatium quod intra tubum ab hydrargyro relinquitur, & quod apparet vacuum, repleretur aëre, huc aqua non conſcenderet, nec aër cum tanto impetu aditum moliretur. Ergo datur verè tunc vacuum.

Reſp. ſi experimentum hoc verum ſit, (fides enim eſto apud expertos) non eſſe propterea opinandum, quod detur vacuum: primò, quia ſi ad euitandum vacuum aliàs vitra, imo marmora franguntur, cur hîc ſine tali conatu à natura toleratur?

Secundò, quia internum illud ſpatium, quod vacuum creditur, apparet lucidum. Ergo lumen illud totum penetrat: ſi hoc eſt, ergo non eſt vacuum, quia vel lumen eſt corpus, vel atomi vel accidens à corpore nequaquam abſtractum.

Tertiò, poteſt illud vacuum impleri per artem Dei, mille modis, quos nequeamus nos vllo pacto conijcere: ideo licet non poſſimus euidenter declarare, quid ſit, quo repleatur illud vacuum, non ideo

559

dicendum eſt non repleri, cùm videamus aliàs per eandem Dei artem cum tanto ſtudio vacui ruinas reſtaurari. Hactenus ea mihi certa ſunt. Nunc ex coniecturâ dicam, ſpiritus qui ſunt in hydrargyro puriores, per eandem Dei artem ſiue virtutem, qua grauia ſurſum aliàs rapi, vel frangi marmora cernuntur, rareſieri, & elimari, & extendi præter modum naturalem: forte ſicut quidam cenſent à ſpiritu diuino ex aqua cœli ſubſtantiam per rarefactionem extractam, ſublimatamque fuiſſe. Quidquid ſit, intra illud ſpatium eſt aliquod corpus inuiſibile in ſtatu præternaturali, idcirco aqua vel aër, qua datus aditus fuerit, tam ſollicitè ſubingredi tentant: ſimiliter ſi loco hydrargyri aliud corpus incluſum fuerit, vel reperietur aliquid aquæ inſperſum, quod poſſit rareſieri, vel ſi nihil huiuſmodi fuerit, niſi aliunde hoc vacuum ſuppleatur, rumpetur. Coniecturam autem hanc in eo maximopere ſtabilio, quod hydrargyrum, ſiue argentum viuum ſubſtantia ſit admodum ſpirituoſa, ita vt eius, vt ita dicam, ſpirituoſitas quæ copioſiſſima eſt, ſit & compactiſſima, priuſquam reſoluatur. Ideo caloris in eo propter ſpiritus, & frigoris ob congelationem ingens, & iugis pugna contingit: poſſunt ergo hi ſpiritus in prædicto caſu reſolui vt diximus.

§. 3.

Qua virtute impediatur, ne fiat vacuum.

HACTENVS diximus vacuum non poſſe vi naturæ induci, quæri poſſet, an poſſit ab Angelo, an item à Deo. Sed de Deo compertum eſt id poſſe. Ab Angelo autem non poſſe induci vacuum, inde quoque patet, quòd contrà artem Dei, eamque virtutem, & ordinem, quo vniuerſa Deus moderatur, nulla vis ſiue cæleſtis, ſiue Angelica quidquam præualere poſſit. Quare cùm natura ſit ars, & virtus Dei, nihil vſquequaque ab Angelo poteſt effici, quod naturæ legibus tantillum videatur eſſe aduerſum.

Reſtat ergo, vt videamus qua virtute ſtupenda illa in rebus prodigia, quibus vacui graſſationes diuertuntur, patrari ſoleant. Sunt qui dicant ſingulis corporibus inditam eſſe vim quandam magneticam, qua ſibi ſocium aliquod corpus ſemper adducant, & contiguum habeant. Alij aliter. Paucis Reſpondeo, *opus naturæ, opus eſſe intelligentiæ*, i. Artis Dei: agnoſco inſuper Spiritum Dei: Denique ipſum, quem naturæ nexum *S. Cyrill. l. 2. contra Iul.* & mundi vinculum Philo ſcitè nominauerunt: ab eo aurea illa Homeri catena pendet, qua ima cum mediis, hæc cum ſummis: eaque omnia cum Deo, & in Deo inuiolabili colligatione cohærent. Vti autem eum ad id negotij miniſterio Angelorum, ſi dixeris, haud diſſentiam. Imo SS. Patres bene multi conſentiunt: non tamen certum ſtipulor. Vaſquez. D Aug. D. Greg. D. Thom.

§. 4.

An in vacuo, ſi detur, motus localis fieri poſſit, iſque ſucceſſiuè.

CONCLVSIO. In vacuo, ſi daretur, poſſet corpus vtique moueri. Suppono non poſſe forte vllum animal naturaliter in vacuo degere, quia neque eſſet vbi quieſceret, neque quid reſpiraret: ideo neque hâc moueri naturaliter poſſet. Quæſtio eſt, an præcisè per ſe moueri aliquid poſſit in vacuo: negant *Themiſtius*, *Simplic. Albert.* & quod caput eſt, *Ariſtoteles*, affirmant *D. Thom. in* 4. ſect. *Scotus in* 2. *Sotus*, *Toletus*, *& alij hic.* Patet quia nulla poteſt ratio repugnantiæ afferri. Dicunt moueri nihil poſſe ſine influxu cœlorum, qui vacuo interrumpitur. Sed quidni Deus influxum illum non ſupplebit? Eccur etiam opus eo influxu habeo, vt baculum moueam?

Subiiciunt, nullum eſſe poſſe motum qui non ſit ad terminum poſitione aliqua determinatum, nempe vel ſurſum, vel deorſum, &c. in vacuo autem non eſſe poſitiones. Reſp. Non eſſe quidem poſitiuas, ſed an non priuatiuæ ſufficiunt? item licet poſitiones illæ nequeant deſumi per ordinem ad locum realem proximum, poſſunt ſufficienter per ordinem ad cœlum: ſub quo etiam ordine corpus in eo locum mutare diceretur.

At inquies, ſi corpus moueretur in vacuo, id fieret in inſtanti, quia nullam in medio reſiſtentiam pateretur. At repugnat motum localem in inſtanti abſolui: quia debet priùs occupari prima pars medij, quam media, & hæc quam vltima, alioquin ſimul in multis loci partibus ſiſteretur. Reſp. Negatur Ma. ob rationem quæ data eſt in Mi. Quamobrem non ſola medij reſiſtentia ſucceſſionis eſt cauſa: ſed præterea diſtantia extremorum medij: 2. virtus finita mouentis: 3. finita mobilitas moti: 4. eſſentialis ſucceſſio motus localis, &c.

Dices, lumen in inſtanti per totum aërem propagatur: cur non etiam poſſet corpus in inſtanti per totum vacuum ferri? Reſp. Negando paritatem, quia illuminatione totum lumen ſemel, & ſimul producitur in toto ſubiecto adæquato: neque procedit in partes vlteriores ſubiecti, gradatim anteriores deſerendo, ſicut fit in motu locali: quo cùm idem corpus debeat pluribus locis adæquatis appellere: neque id ſimul queat effici: reſtat neceſſarium, vt fiat ſucceſſiuè. Adde quod forte illuminatio fiat in momento Phyſico, quod Mathematicè ſit adhuc, licet inſenſibiliter, diuiſibile.

QVÆRES, ſi tota intercapedo, quæ infra cœlum Lunæ interiacet, vacua eſſet: & lapis intereà ſurſum proiectus eſſet, an naturaliter deſcenderet? Reſpondent communiter authores, eum non deſcenſurum, non quod moueri non poſſit, ſed quia vbicumque tunc eſſet, velut in centro conſiſteret: ſicut modo totus mundus fundatur in nihilo, tanquam in centro: quoniam non eſt vlla ratio, cur potius in vnam par-

tem, quam in aliam vergat. Reſpondent tamen alij eum deſcenſurum, eo quòd grauitas illum ſemper in locum à cœlo diſtantiorem impelleret, quæſiturum videlicet frigiditatis ſibi congenitæ centrum, ac debitam ſtationem.

CAPVT XXXVI.

DE TEMPORE.

§. I.

An ſit, & quid ſit ſecundùm veteres.

TEMPORIS conſiderationem prædifficilem agnouit Ariſtoteles in hoc 4. l. propter incredibilem opinionum diſſonantiam, id quod etiam D. Auguſtinum compulit dicere, *quid ſit tempus ſi ex me nemo quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio.* l. 11. Conf.

In primis quærit Ariſt. an ſit, & difficultas hinc naſcitur, quod tempus nequeat eſſe reale aliquid, ob rationes quas poſtmodum expendemus. Interim negari non poteſt, quin tempus ſit: ipſumque fruſtra conſumerem, ſi longior eſſem in eo demonſtrando. Verùm quid ſit, non ita compertum eſt. l. 4 c. 14.

Plutarchus *Pythagoræ* attribuit, quòd tempus eſſe ſphęram vniuerſi docuerit: idque videtur inſinuare Ariſt. hic t. 93. id quod & refutat: Alij motum dixere tempus eſſe: ſed non omnes vniformiter. *Epicurus*, motum diurnum; *Eraſtothenes*, omnes motus cœlorum, quos viam mundi vocabat; *Stoici*, motum ſolis; *Anaximenes*, & *Anaximander*, omnium motum nomine temporis intelligebant. *Pindarus*, quid diuinum, & vt interpretatur Plutarchus, originem, & cauſam eius proportionis, & ordinis, quo cuncta ortui, interituique obnoxia, continentur, tempus eſſe definiuit. Speuſippus dixit id eſſe motum Solis, & progreſſionis menſuram. Alij interuallum motus mundani. Rurſus *Epicurus*, illud totum in animi figmento poſuit, nempe id quod animo fingimus, dum audimus rem per diem, vel per noctem durare. *Plato* videtur in Timæo modò Solis, Lunæ, & primi mobilis; modò ipſius terræ motum, tempus dicere. Ariſtoteles denique non cœlum, non motum, ſed numerum motus, eſſe tempus conſtituit: quem ſequuntur omnes Peripatetici. Ideo id paulo accuratiùs à nobis exponi oportet. l. de Plac. Philoſ. in 7. q. Plat. l. de Plat. definit.

Nota ergo definiri tempus ſic. *Numerus motus ſecundùm prius, & poſterius.* Dicitur primò *numerus* pro menſura; ſeu meliùs, pro peculiari conditione menſuræ, quæ ſoli conuenit tempori: eſt enim menſura, quæ per ſui repetitionem res diuiſibiles notificat: & hæc nomine vnitatis debet intelligi: & eſt menſura, quæ per diuerſas ſui quaſi

portiones, diuerſas quoque rei menſurabilis partes deſignat: & debet potiùs dici numerus. Talis menſura eſt tempus, quia per diuerſas quaſi partes illius fluxus, quo in motu ſemper intelligitur vnum prius, & alterum eſſe poſterius; ſeu quo præteritis futura ſuccedunt, per illas inquam partes tempus eſt menſura omnis durationis ſucceſſiuæ. Hinc ſecundò, dicitur *numerus motus.* i. numeroſitas partium, quæ intelliguntur in fluxu motus. Ita diſtinguitur à menſuris permanentibus, quæ in vnitate, vel numero rerum permanentium conſiſtunt. Tertiò additur *ſecundùm prius, & poſterius.* q. d. tempus eſt menſura, qua menſuratur motus ſecundùm quòd applicatur parti eius priori, & poſteriori: vel eſt menſura ſucceſſiua, qua ſecundùm eius partes priores, & poſteriores, metiri ſolemus reliquos motus.

Definitio hæc ab omnibus Peripateticis approbatur: quia non ſolet exactior tradi: tum quia facile opiniones aliæ refelluntur: quòd enim tempus non ſit motus, inde probat Ariſt. quia motus eſt in eo quod mouetur: tempus verò vbique eſt, & apud omnia: item motus eſt tardior, aut velocior: at non tempus, &c. Quod etiam tempus non ſit ſphæra, ſiue cœlum, hoc ait ita clarum eſſe, & contrariam opinionem adeò fatuam: vt indigna ſit quæ demonſtretur impoſſibilis. Idem à fortiori de figmento Epicuri dicendum eſt: præſertim ſi explicetur, vt ſit à quibuſdam Neotericis, qui neſcio quem fluxũ imaginarium ſomniant, qui neque ſubſtantia ſit, neque accidens; neque corpus, neque ſpiritus; neque alterutrius illorum paſſio, realis tamen, ac per omnia correſpondens ſpatio priuatiuè reali, de quo ſuprà, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd omnes partes illius ſpatij ſint permanentes, ordine quodam continuatæ poſitionis vbique cohærentes: partes verò huius fluxus, quem aiunt eſſe tempus, ſint ſucceſſiuæ, & vna poſt aliam ordine conſecutionis indeſinentis ſemper ſubſequatur. Hæc ſententia præterquam quòd noua ſit, ſingularis, & à nullo probatæ authoritatis philoſopho hactenus defenſa, euidentem mihi videtur contradictionem includere: nam ſi partes ſucceſſiuè fluunt: hæc modo eſt, quæ ante non fuit: fuit alia, quæ modo non eſt. Oriuntur ergo ſingulæ, & intereunt. Quod autem oritur, à non eſſe tranſit ad eſſe: quæro autem quodnam ſit illud *eſſe:* nam ſi huiuſmodi fluxus eſſe habet, creatum hoc ſit, vel increatum oportet: vtrumque negant, & rectè quidem, quia dari ab æterno præter Deum, aliquid creatum, vel increatum credere non ſinit fides orthodoxa. Præterea ij cenſent tempus eſſe omni motu antiquius, & ab eo minimè pendere: at quid ortus, & interitus ſunt niſi motus? ſine his autem fluxus eſt nullus, quamobrem non idem eſt de huiuſmodi fluxu, ac de ſpatio. Nam hoc totum quod eſt, ſemper, indiuiſibiliter ſine inceptione, ſine deſitione: vt merum quid potentiale, ac ſine exiſtentia eſt. Ideo neque hoc quod modo dico, *eſt*, illi proprie conuenit, ſed abuſiuè, & æquiuocè: quod autem tale eſt, repugnat ineſſe illi partes, quæ modo ſint, & modo non ſint. Denique illi omnis cuiuſcumque modi fluxus, aut ſucceſſio repugnat.

Petr. Gaſſendi. Phil. Epic.

§ 2.

Dubia quædam ſoluuntur.

PRIMA dubitandi ratio eſt; quia numerus eſt quantitas diſcreta: tempus verò, continua. Ergo tempus non eſt numerus. Confirmatur primò, quia menſura debet eſſe homogenea menſurato, id eſt, eiuſdem generis cum illo: at numerus non eſt homogeneus motui: quia ille diſcretus, iſte continuus eſt. Ergo numerus non eſt menſura motus.

Secundò, tempus eſt in fluxu: numerus nequaquam.

Tertiò, menſura eſt prior menſurato: tempus verò eſt poſterius motu: ergo tempus non eſt menſura motus.

Quartò, menſura eſt notior menſurato, ſed tempus non eſt notius motu, imò eo eſt obſcurius. Ergo.

Ad hæc Reſp. numerum dupliciter poſſe conſiderari: nempe vt eſt in re, & vt eſt in anima, ſeu in mente: in re dicitur applicatus, eſtque definita multitudo partium, quæ cuique ineſt: in mente eſt numerus abſtractus, ſeu ratio numeri ſecundùm ſe: idea & regula numerandi, & definiendi quanta ſit rerum multitudo. Per primum res euadunt numerabiles: per ſecundum euadimus numerantes: ideo ille numeratus, vel numerabilis; iſte numerans appellatur.

Rurſus ipſa numeratio ſecundùm ſe prior eſt quantitate continua: quia nihil eſt quantum, quod non componatur ex numeris, cùm eius eſſentia multarum ſit ratio partium: vnde quodlibet continuum numero menſuramus: dicimus enim lineam eſſe duorum, vel trium cubitorum, &c. ideo numerus ſecundum ſe non eſt continuus: eſt tamen per ſe à continuis participandus: & in continuis tam verè, quam in diſcretis includitur. Hinc in continuis dicitur continuus, non ex ſua, ſed ex ſubiecti conditione: ſimiliter diſcretus in diſcretis. His poſitis, dicendum eſt tempus eſſe numerum applicatum, & numerabilem, prout ineſt continuo ſucceſſiuo, quod eſt motus. Ideo eſt ea conditione continuus: & homogeneus motui ſucceſſiuo. Sic prima ratio cum prima confirmatione ſoluitur. *Ad ſecundam* pariter dicendum eſt, primò impropriè dici, quod tempus ſit in fluxu, cùm ſit fluxus, non imaginarius, ſed realis: ſecundò, numerum de quo hic eſt quæſtio, tam eſſe in fluxu, quam tempus, quia eſt numerus applicatus ſucceſſiuis.

Ad tertiam Reſp. Numerum priorum & poſteriorum partium, qui motui primo ineſt, eſſe poſteriorem quidem illo, ſed eſſe priorem omni alio motu. Ideo dicendum eſt tempus non eſſe menſuram primi motus, ſed reliquorum.

Ad quartam Reſp. Tempus eſſe quidem ignotius motu, quoad naturæ ſuæ iudicium: notius verò quoad ſucceſſionis indicium: & hoc modo eſt menſura.

Alia ingruit dubitatio, nempe quomodo tempus eſſe poſſit reale

quidpiam: primò enim conſtat ex futuro, & præterito, quæ non ſunt, præſens verò ſolum eſt inſtans, quod non eſt tempus.

Secundò, tempus in ratione menſuræ, ac numeri pendet ab intellectu, tanquam à menſurante, & numerante. Ergo non eſt reale.

Reſp. ad primum cum Durando, tempus non habere eſſe per ſolum inſtans, quia hoc eſt potius nexus, & vinculum continuati temporis, quàm tempus; ſed per exiſtentiam partium ſucceſſiuam: ipſæ enim verè ac realiter habent eſſe, ſed vtique ſucceſſiuum: neque enim par eſt, vt ſucceſſiua ſimul exiſtant, vt realia ſint: imo ſi ſimul exiſterent, non eſſent ſucceſſiua. Hæc reſponſio videtur clarior, & facilior: vnde ſi quid obiiciatur ex D. Aug. 11. Confeſſ. c. 5. & D. Thoma in 4. Phyſ. Hi certè nihil aliud volunt, niſi tempus ſolùm dici poſſe realiter præſens ratione inſtantis, quod verùm eſt: ſed aliud eſt tempus eſſe præſens, aliud, eſſe reale: præſens per τὸ νῦν *nunc*: reale verò eſt per realem exiſtentiam ſuarum partium ſucceſſiuarum, vtique ſucceſſiuam. Niſi autem dixerimus totam temporis durationem eſſe realem, quomodo verum erit tempus realiter eſſe diuiſibile? at inquies, quomodo quod futurum eſt, & nondum exiſtit, reale eſt? Reſp. ſicut quod præteriit, fuit realiter, & habuit eſſe præceſſiuum: ita quod futurum eſt, nunc quidem non eſt, ſed erit realiter & habebit eſſe reale ſucceſſiuum, & hoc ſufficit. Ita ex præterito, præſenti, & futuro fit vna tantum duratio ſucceſſiuè continua. Alij aliter Reſpondent, & dicunt tempus dici reale ſolùm, eo quòd inſtans, quo præteritum, & futurum vniuntur, ſit reale; quòdque partes temporis ſuam in ſolo inſtanti realitatem habeant; neque ipſum tamen ſit pars temporis, quia ex Ariſt. omnis pars temporis, tempus eſt, inſtans autem non eſt tempus. Alij dicunt inſtans eſſe veluti formam temporis, ſicut copula in propoſitione, propoſitionis eſt forma; à forma autem res habere, vt actu ſint; ad Ariſt. verò vt reſpondeant, dicunt inſtans eſſe partem formalem, & analogicam, non integrantem, & hanc ſolam dici tempus: alij alia comminiſcuntur.

In 1. d. 2. q. 4.

Lect. 13. & 1. p. q. 46. a. 3.

Ad ſecundum Reſp. Non planè conſtare apud Peripateticos, qualis numerus ſit tempus. Auer. in 4. Ph. vult tempus eſſe *numerum numerantem*. Ariſt. verò t. 104. vult id eſſe *numerum numerabilem*, provt ſc. in motu diuerſa inſtantia numerari poſſunt, quorum alia priora ſunt: alia poſteriora. At t. 131. clarè docet, ſi nulla eſſet mens, quæ numerare poſſet, nullum fore tempus: quia ſi numerans ſit impoſſibile: numerabile quoque impoſſibile erit. Quidquid ſit, tempus eſt aliquid reale, provt eſt numerus numerabilis, in diuerſitate partium ſuccedentium conſiſtens, ratione cuius ineſt motui aptitudo, vt poſſit intellectus in eo numerare prius & poſterius: atque ita durationem rerum fluentium emetiri: verùm hæc eluceſcent clariùs ex iis, quæ ſequuntur.

§. 4.

Quomodo tempus à motu differat.

HIc quoque grauis inter Peripateticos diſſenſio commouetur. *Scotus* exiſtimat illud diſtingui formaliter ex natura rei, quia ſic ſaltem menſura diſtinguitur à menſurato: ſed tempus eſt menſura motus. Ergo. Aliunde negat realiter diſtingui, quia ſeparari non poſſunt ex Ariſt. hic.

Iauellus ait diſtingui ſolùm formaliter per intellectum. Capreolus in 2. ſent. contrà, realiter: ambo D. Thomæ authoritate fulciri gloriantur. *Ocham* ibidem aſſerit nullatenus diſtingui intrinſecè, ſed ſolùm extrinſecè, ac per connotata, tempuſque eſſe ipſum formaliter motum, provt hic connotat actum animi numerantis: fere ad eum modum, quo virga ab vlna diſtinguitur. *Quoad rem*, inquit, hæ idem ſunt, *quoad quid nominis*, differunt, id eſt, diuerſo nomine appellantur, eo quòd vlna ſignificet virgam, non ſolam, ſed ſimul conſignificet etiam numerum numerantem. Ita tempus *quoad quid rei*, nihil eſt aliud præter motum, licet *quoad quid nominis*, id eſt, quoad ſignificatum eo nomine ſubintellectum, aliquid aliud ſubinnuat, ſc. actum menſurantem. Præterea ipſe, & cæteri Nominales ſucceſſionis fluxum, qui per prius & poſterius definitur, ſolent explicare: connotando poſſibilem contradictoriorum verificationem, hoc pacto. Cùm contradictoria nequeant eſſe ſimul vera, neceſſe eſt, vt ſi quando vera eſſe poſſint, ſucceſſio intercedat, v. g. hoc inſtanti quo ſedeo, non poſſum non ſedere; at poſſum immediatè pòſt: ideo inſtans quo poſſum non ſedere, debet eſſe poſterius illo, quo ſedeo. Quot ergo poſſibiles ſunt verificationes eorumdem de eodem contradictoriorum, totidem in tempore concipi debent inſtantia priora, & poſteriora. Ex his quæ certiora ſunt colligamus.

Certum eſt primò tempus ſaltem formaliter diſtingui à motu, hoc profecto probat prima ratio Scoti ſuperiùs citata, necnon argumenta Ariſtotelis contrà veteres, qui tempus cum motu confundebant.

Certum eſt etiam ſecundò in motu eſſe quendam ordinem inter partes priores & poſteriores, qui variari poteſt in paribus motibus, ſi ſolum ſumantur pro acquiſitione termini, provt ſc. eiuſdem termini plures partes poſſunt ab vno priùs acquiri, quam ab altero, v. g. Eques, & pedes idem iter conficiunt, plures profectò partes eiuſdem itineris priùs conficientur ab Equite, quàm à pedite. Vnde duo hi motus quoad æqualis itineris confectionem, pares ſunt: inæquales verò quoad durationem: igitur ordo prioris & poſterioris non eſt eſſentialiter vniformis in ordine ad ſolas partes termini motus, aut mobilis; cùm tamen ordo prioris & poſterioris, quo formale temporis conficitur, ſit ſemper in tempore vniformis, & vniformem in motibus faciat duratio-

nis ſucceſſionem: à quo ergo is deſumetur? Nominales aliquid dicunt, quod à poſteriori talem ordinem tempori eſſentialem manifeſtet: idque eſt ſupradicta eiuſdem de eodem alternis ſemper, & immediatè ſuccedens contradictorij verificatio, quod omnino conſentaneum eſt doctrinæ S. Th. 1. p. q. 10. a. 5. ad 3. verùm eiuſdem ordinis radicem, fundamentum, & formale principium non declarant. Hoc Peripatetici non inueſtigant: at nos ex Platonicis infrà explanatiùs nanciſcemur: interim iſtud ſufficiat; ſunt in diuina mente numeri Architectonici, & originales rerum omnium, quæ in hoc mundo viſuntur, ſecundum quos omnia in numero & menſura fabrefacit: quamobrem vt per immenſitatis ſuæ partes virtuales omnem vniuerſi magnitudinem dimenſus eſt, ſic per numeros virtuales æternitatis ſuæ numerauit durationem: vnde in Deo prouenit primordialis idea & regula numeri numerantis, quo mundanæ ſucceſſionis interualla originaliter excernuntur & numerantur; huic reſpondet ratio noſtri temporis, diſtincta à formali acquiſitione partium termini, cum hæc, eodem tempore, poſſit variari: aut diuerſo, eadem fieri. Quare vt dicit ordinem prioris & poſterioris, reſpondet poſitioni partium in loco, eſtque aliquid reale inſtar relationis, proportionis, &c. de quibus diximus in Logica cap. 28. §. 4. & ab alio principio formali, exemplari, & originali pendet, quàm motus; nempe à numero in diuina mente præfinito, ſiue ab æternitate, vt tantùm vel tandiu participabili.

Obijcitur: numerus numeratus non diſtinguitur à partibus rei numeratæ. Sed tempus eſt numerus numeratus motûs: ergo non diſtinguitur à partibus motûs. Reſp. nego Ma. diſtinguitur enim vt ratio participata à ſubiecto participante: ſic quantitas panni, eſt eius menſura paſſiua, eique licet diſtincta, ineſt ac coünitur.

Hinc patet primo, rationem numeri participati ſecundùm quam definitur tempus, aliam eſſe à numeroſitate partium termini, vel ſpatij, à quo motus ſpecificatur.

Patet ſecundo, hanc rationem numeri temporalis tantò puriùs & plenius participari, quantò motus fuerit vniformior & velocior. Si quidem puritas & plenitudo in eo conſiſtunt, quòd nihil ſimultatis nec permanentiæ inſit ipſius ſucceſſionis partibus numerandis: iam quantò motus velocior fuerit, tantò minus habet ſimultatis. Aliunde vniformitas facit, vt vna pars tardiùs non fluat, quam alia; & conſequenter, vt non habeat plus ſimultatis, quam alia: iam omnium motuum velociſſimus & maximè vniformis eſt motus primi cœli. Ergo is maximè ac primò participat rationem hanc numeri, quo tempus definitur. V. Ariſt. 4. Ph. T. 133.

Patet tertio, tempus poſſe referri ad Deum, ad primum motum, & ad reliquos motus. Ad Deum refertur vt numerus merè numerabilis; & quidem per ſe primariò; ad noſtrum vero intellectum non niſi ſecundariò: ad primum motum refertur, vt numerus numerans, tanquam ratio ſecundum quam Deus vere illius ſucceſſionem & durationem numerat, Imo & per quam nos illam etiam numeramus: ad reliquos do-

nique motus refertur vt numerus numerans, tanquam cunctorum regula & menſura.

Patet quarto, tametſi creatus nullus foret intellectus, nihilominus fore tempus, at ſi non eſſet Dei mens, certum eſt, nec tempus vllum eſſe poſſe: ita D. Thomas. Rurſus hic in tempore notari poſſunt duo: primum, fluxus prioris & poſterioris abſolutè: ſecundum, iſmet fluxus provt ſignis quibuſdam demonſtratiuis deſignatus & diſtinctus; quomodo ſolet in dies, menſes & annos diſtribui: primo modo reuera tempus eodem modo curreret, etſi homo nullus eſſet, qui vices illius poſſet numerare, ſecundo modo non eſſet, quia diſtributio illa temporis in menſes, annos, &c. adinuentio pura eſt intellectus humani; nec ſemper, nec vbique eodem modo computata eſt. Aliterque annum definierunt Ægyptij, aliter Babilonij, aliter Romani: diem etiam aliter & aliter inchoarunt, Babilonij ab ortu, Itali ab occaſu; alij à meridie, alij à media nocte, &c. item à mente noſtra ſolùm fit vt concipiatur v. g. dies, vel menſis vnus per modum cuiuſdam totius ſimul exiſtentis: ſic D. Th. hic.

§. 4.

Platonica de tempore ſententia declaratur.

DIGRESSIO PLATONICA VII.

LVBET hic Ariſtotelis dogma paululum retractare: quoniam præter adductas difficultates, alia turmatim hic ſeſe ingerunt, quas apud Plotinum Enn. 3. l. 7. c. 7. & 8. legere, cui fuerit otium, licebit. Nos hic pauca perſtringemus: Primo enim vix dum ſatis explicatum reperio quid Ariſtoteles per ſuum illum numerum motus ſecundum prius & poſterius intellexerit: aliquando ipſe eum per primæ ſphæræ circuitum explicat; contra ille circuitus fit in tempore, eſtque ſemper idem, tempus vero ſemper diuerſum. Ariſtotelei reſpondent circuitum illum eſſe tempus materialiter, non formaliter: benè, quid ergo eſt tempus formaliter? Aiunt aliqui id non eſſe aliud quam interuallum motionis, quod nimirum à termino inceptionis vſque ad terminum deſitionis fluit: ſecundum illud enim prius & poſterius in motu numeratur. Contra, nullum eſt interuallum quod non poſſit eſſe inæquale in diuerſis motibus, tametſi vniformibus, vt conſtat in equite & pedite idem iter conficientibus. At tempus ſemper idem eſt: ad hæc ſummo regulariſſimum interuallum, quale eſt illud completæ conuerſionis primi mobilis (qua ipſum per 24. horas in idem punctum redit, à quo diſceſſit & quæ commune tempus eſt) hoc poteſt eſſe breuius vel longius, puta, ſi cœlum ipſum vel tardius moueretur, (quod quin fieri à Deo poſſit nil vetat,) tunc enim interuallum velocioris conuerſionis, foret breuius; tardioris verò, longius: quod autem ſic longius, vel breuius eſſe poteſt quam ſit, certe non tempus eſt, ſed quid iam tempore menſuratum: tempus enim ſecundum ſe, quomodo breuius aut longius, quam ſit, eſſe queat? Æquali ſemper decurſu fluit, nec poteſt

nunc correptius, alias prolixius currere: ſucceſſio eſt vniformis, quæ noua ſemper & noua gignit inſtantia: ſed hæc eodem ſemper tenore fluunt, affluuntque, ergo cætera poſſunt quidem modo breuiora, modo longiora duratione dici, quia pauciora vel plura temporis inſtantia ſubire poſſunt quam ſubeant: ſed eo ipſo diſtingui à tempore ſeipſa teſtantur? quid plura: tardum & velox, *inquit Ariſtoteles hic*, tempore definitur; *atqui tempus non definitur tempore. Idem de interuallo dicito: definitur tempore, cum non ob aliud breuius dici poſſit, niſi quòd breuiori tempore abſoluatur: ergo non eſt tempus.*

Inſuper cum interuallum motionis nequeat duci, niſi vel ab extenſione ſpatij, vel à ſucceſſione fluxus: certum eſt ab extenſione ſpatij non habere, vt tempus ſit: ergo hoc habet à ſucceſſione fluxus, ſed ſucceſio non poteſt niſi per tempus explicari, quid enim eſt ſucceſio? Ordo prioris & poſterioris: at nihil ne præterea? Nunquid talis ordo in rebus permanentibus reperitur? Inter ſedilia ſenatorum ordinem prioris & poſterioris inuenio: ſucceſionem non agnoſco. An forte eſt ordo prioris & poſterioris in motu? At talem quoque inuenies à ſucceſione diſtinctum: nam dum aër illuminatur, in eo ſunt partes priores & poſteriores, quæ ſine ſucceſione, hoc illuminationis motu illuſtrantur; nam pars ſoli vicinior, prior; quæ remotior, poſterior profectò eſt. Ergo eſt aliquando in motu ordo prioris & poſterioris, qui tamen ſucceſio non ſit: quid ergo ipſa dicenda eſt? Certè ordo prioris & poſterioris in tempore; benè, ſed ita ſucceſio motûs per tempus, non tempus per ſucceſionem motûs explicatur.

Denique ſiue numerum, ſiue interuallum, ſiue multitudinem motionis dixeris, ſiue quiduis aliud: Id omne profectò aliquid motionis erit: ergo non erit, niſi vbi motus fuerit: at modo recole argumentum, quo Ariſtoteles ſupra demonſtrauit tempus non eſſe motum: motus, *inquit*, eſt in eo ſolùm, quod mouetur, tempus vero peræquè eſt, & vbique, & ſemper. *Quid ergo? an numerus motûs erit vbique, motus verò ſolùm definitiuè alicubi? Reſpondet Ariſtoteles motum eſſe vbique: contra primo, quid ergo efficiet eius adducta probatio? Secundo, quid ſi Deus per menſem omnia ſublunaria ſiſteret, ſicut olim ſolem? An non ea durarent tempore menſtruo? Tertio, quam multa hic ſunt, quæ quieſcunt, vt terra; hæc motum non habent, tempus habent. Ergo non tempus eſt, vbi eſt motus: demum vel numerum abſtractum intelligit, vel applicatum. Si abſtractum: is ſolum in anima, vel fictitius, contra quam tempus: ſi applicatum, ergo hic ſolum eſt, vbi motus: item motu permanente perit, eo mutato, diuerſus eſt. At tametſi mobile aliud foret, aliuſque motus, idem tamen formaliter tempus flueret: viden' ergo quot telis Ariſtotelis definitio confodiatur.*

Propterea Platonici ad aliquid omni motu ſenſibili prius & antiquius recurrunt, quod præcontineat omnes numeros progreſsionis & ſucceſionis, qui poſſunt in quouis motu deprehendi. Et quod ſit verè prima & irrefragabilis menſura omnis durationis fluxæ, ac tranſitoriæ: idque aiunt eſſe vitam animæ mundi: in hoc ſequuntur Pythagoram, qui vt ſcribit Plutarchus, interrogatus quid ſit tempus, animam Cœli reſpondit: non enim affectio, *inquit Plutarchus*, aut accidens cuiuſuis motionis eſt tempus, ſed cauſa,

l. de Plat. quæſt.

vis, & principium continuitatis, genita omnia continentis, & ordinis, quò natura vniuerſi mouetur. *Hinc idem Plutarchus ibidem damnat ſuperiorem Ariſtotelis de tempore ſententiam: Iamblicus quoque tempus vocauit motionem primam animaſticam, omnium cauſam ſecundum primam motionem rationum productam. At Plato in Timæo omnium ſubtiliſſimus, ac ſemper diuinus, tempus non ex motu, ſed ex ipſa Dei æternitate inueſtigat. Sic namque ipſe habet in Timæo.* Cum igitur à ſe factam ſempiternorum Deorum (*idearum*) pulchrum ſimulacrum moueri, & viuere Pater ille qui genuit, animaduerteret, delectatus eſt opere, (*viden' illud Geneſ. v. dit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:*) & hac lætitia ductus opus ſuo multo etiam magis primo illi exemplari ſimile reddere cogitauit. .... Ideo imaginem æui mobilem effingere decreuit: ac cum cœlum conderet & exornaret, fecit ÆTERNITATIS IN VNITATE MANENTIS ÆTERNAM QVANDAM IN NVMERO FLVENTEM IMAGINEM, quam nos tempus vocamus. *Hic Platonici multa præclara comminiſcuntur: quorum nonnulla ſi ad amuſſim Chriſtianæ ſapientiæ correxeris; cætera ſanè digniſſima ſunt, quæ euulgentur ac applaudantur.*

Plotinus ergo id de anima mundi ſic interpretatur, vt hæc contemplata vitam Dei æternam, infinitam, immutabilem, ſimulque totam prorſus indeclinabilem, & in vno, ad vnumque conſiſtentem, (*ſic æternitatem delineat,*) hinc ſimilem quandam vitam degere affectet: & ea exterius continuatè producere, quæ ſimul in æterna & indiuiſibili Dei mente ſubſiſtere viderit, *ita hæc continuata & perennis operatio, ipſius animæ mundi vita dicitur & imago æternitatis in numero fluens: quia nec eſt tota ſimul, neque indiuiſibilis vt vita Dei. Hinc tempus modo definit ſic*: actum animæ in tranſitorio quodam motu ex alia vita in aliam perpetuo procedentem, *modo ſic*: longitudinem vitæ animæ in mutationibus procedentem, æqualibus, & ſimilibus clam, leniterque progredientibus. Lõgitudinem, *autem vocat perennem huius operationis continuitatem. Ergo ſicut qualibet radix, plena ſeminariis rationibus, certis ac numeroſis progreſſibus pullulat, modo flores, poſtea frondes, tum fructus continuata parturitione aut parat, aut parit: ſic inquit, anima mundi, plena originalibus rerum gignendarum cauſis, numeris, ac menſuris, mirabilem hanc fœcunditatem nequit totam ſimul in materiam externam effundere: ideo partem poſt partem regulari ſucceſſione diſpergit, &c.*

En. 3 l. 7.

cap. 10.

cap. 11.

Verum ſi quæ de anima mundi Platonici ſomniant, ea nos de Deo velimus interpretari, prout vel per ſe, vel per ſpiritum creatum mundanam creaturam in numero, pondere, ac menſura intrinſecus per definita momenta propagat, continuat, terminatque, certè non video, quid fidei noſtræ dici poſſit affinius. .... In primis enim certiſſimum eſt omnia quæ in lucem prodeunt, & quæ quouis modo in mundo extant, arcana diuini ſpiritus operatione fieri, imo & ſingulis momentis renouari, ſicut lumen quod à ſole perenni reproductione dimanat. Vnde eſt illud Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, *id interpretans D. Auguſt. hæc ſcribit*, proinde quod Dominus ait, Pater meus vſque modo operatur: continuationem quandam operis eius, qua vniuerſam creaturam continet, atque

Ioan. 5. 4. de Gen. c. 12

adminiſtrat, oſtendit, *& mox*, quia ſcriptum eſt, quod motus ſapientiæ agilior, celeriorque ſit omnibus motibus, ſatis apparet rectè intuentibus, hunc ipſum incomparabilem, & ineffabilem, & ſi poſſit intelligi, ſtabilem motum ſuum, rebus eum præbere ſuauiter diſponendis, quo vtique ſubtracto, ſi ab hac operatione ceſſauerit, eas continuo perituras.

Secundo, etiam certiſſimum eſt omnia momenta durationis vniuerſi, atque etiam ſingulorum, quæ in ipſo tranſiguntur, apud Deum eſſe numerata & definita. Non eſt veſtrum, *inquit benigniſſimus Soſpitator*, noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. *Item D. Paulus de Deo loquens*, fecitque, *inquit*, ex vno omne genus hominum habi-
Act. 1. tare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & ter-
Act. 17. minos habitationis eorum. *Ergo & numeri durationis, penes quos tempus attenditur: & etiam numeri habitationis, ſecundum quos debet locus definiri, ſunt apud Deum primitus computati: hinc per arcanam eius operationem in res creatas inſperguntur: quatenus perenniter facit eſſe noſtrum fluere alio ſemper & alio fluxu maximè ſemper vniformi & ordinatiſſimo, quamobrem numerus ille quem Deus obſeruat in tali fluxu, vnde ſequitur prius & poſterius, verè tempus eſt. Vt potè primum & principale ſubiectum, cui ipſa ratio numeri ſucceſſiui per ſe ac principaliter competat: hac autē Dei operatio, per omnem intrinſecus creaturam ordinatè progrediens, quædam Dei vita dici debet: ſicut operatio animæ, quæ in corpore, quæ ſunt corporis, interius vegetat, format & mouet, animæ quædam vita eſt, intrinſeca, quidem corpori; anima tamen extrinſeca, ſi ad operationem mentis comparetur. Sic diuina illa operatio, qua ſuum mundo ſemper* eſſe *influēdo reparat, reparandoque conſeruat, vita Dei quodammodo eſt, at exterior; interiorem tamen, qua intra ſe, de ſe, ac ſecum ſolùm viuit, & in qua eius conſiſtit æternitas, imitatur: Sicut vox oris conceptum mentis, aut ſicut interior animæ actio, qua manus pictoris operi externo admouentur, imitatur illam, qua eius mens ideam meditatur, diuiſibilis quidem indiuiſibilem; ſucceſſiua, permanentem, & inadæquata, pleniſſimam. Denique ſicut interior mentis conceptus, quæ vita eius intellectualis eſt, quaſi in vnitate manens, vocem ſui velut imaginem in numero ſyllabarum fluentem, (neque enim vox tota totum conceptum exprimit: neque, quod exprimit, totum ſimul edit, licet totum ſimul in mente ſit) per ſpiritum cordis, ipſe ita manifeſtandus efformat. Sic tota Dei vita interior, quæ ipſius æternitas eſt, exteriorem, qua mundi* eſſe *perenniter fundit, & eructat, per ſpiritum ſiue increatum, ſiuè creatum exprimit, vt imaginem ſui viſibilem, & in numero ſine interruptione fluentem. Imago enim eſt, tum quia Dei vitam creatis mentibus manifeſtat: tum quia immediatior eius expreſſio eſt, tum quia per corporum viciſſitudines, diuinam nobis ſtabilitatem oſtendit; fluens item eſt, quia* in continuis vniuerſæ creaturæ mutationibus procedit, æqualibus & ſimilibus, clàm, leniterque progredientibus, *Vt ſuprà notauimus, vnde in ea, prima ſucceſſionis lex & menſura viget. Hinc omnis alia pendet: additur*, in numero, *quia per hanc omnia tempora & momenta, quæ poſuit pater in ſua poteſtate, ſigillatim ipſo decurſu numerantur. Hæc ergo interna operatio ſic*

fluens

fluens imo creaturas ſuas fluere faciens, ſecundum numeros priores & poſteriores continuatè, & vniformiter ſuccedentes, tempus eſt primitiuum, originale, internum & analogicum. Item videre licet in hac definitione omnes temporis cauſas luculentè deſcriptas; efficiens ſubinnuitur, ſc. Deus; exemplar, æternitas; finis, vt cum fluere mundana omnia videris, æternitatem, his deſpectis, ſuſpicias, ambiaſque, imbecilli, ait Seneca, fluidique per interualla conſiſtimus: mittamus animum ad illa, quæ æterna ſunt. Ep. 58.
Materiale, actio eſt numeroſa continuitate progrediens: denique formale, ipſe fluxus in numero.

Cæterùm, cùm ſuprà viderimus Deum, quatenus occultus eſt omnium naturalium operum author, opifexque, eſſe naturam ipſam vniuerſam, rectè ſic poſſumus tempus definire, vt ſit numerus primordialis motus naturæ vniuerſæ ſecundum prius & poſterius. Poſſunt autem hæc omnia celebri textu 2. cap. Geneſeos confirmari: ibi enim hæc verba leguntur, iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus cœlum & terram. Quis ille quæſo fuit dies, quo cœli & terræ inceptio menſurata eſt? An dies qui noſtri temporis pars eſt? At hic cum toto tempore, cœli geneſin, ſubſecutus eſt, menſura autem prior ſemper eſt menſurato. Dies ergo ille nihil aptius poteſt denotare, quam primum Dei extrà operantis progreſſum: in eiuſmodi enim actione, (qua Deus hoc vniuerſum progenuit) hoc quoque vniuerſum eſt genitum & illa quidem tempus eſt, hoc autem in tempore, ait Plotinus.

Interim hic notes velim, quod Plato in Timæo non dixerit, motus aſtrorum præſertim ſolis & lunæ eſſe tempora, vt malè quidam interpretantur; ſed vt meliùs Plotinus, ſolùm aſſeruit ea ſydera ad oſtenſionem, diſtinctionemque temporis facta eſſe, vt ſc. menſura nobis ſit manifeſtior; eò quod ob dierum noctiumque diuerſitatem, impereritiſſimi quique poſſint temporis interualla numerare. Hac ratione, inquit Plato, conſilioque Dei tempus creare volentis, ſol & luna & aliæ 5. ſtellæ factæ ſunt, quo temporis numerus diſtinguatur & obſeruetur: hoc autem quid aliud eſt, quam quod dicitur 1. Geneſ. fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem & noctem; & ſint in ſigna & tempora & noctes & annos.

Hinc patet diuinam illam operationem omnis temporis definitricem, menſuram eſſe occultam, cuius declarandæ causâ, ſol & luna in ſigna nobis conſpicua palam aſſignentur. Ideo eorum motus vt à nobis numerabiles, efficiunt tempus demonſtratiuum & manifeſtum: ita ideas ſæpius diximus eſſe menſuras rerum licet nobis incognitas: ſunt etenim menſuræ quoad rem, non quoad nos. Addit Plato in Timæo non ſolum lunam & ſtellas, ſed terram quoque inſtrumenta eſſe temporis, quaſi ſenſerit terram æque ac lunam circumferri. Verùm reſpondet Plutarchus teſte Theophraſto Platonem, cum ſenuiſſet, pœnitentia ductum fuiſſe, quod terræ congruum in medio mundi locum olim non aſſignaſſet: terram autem ab eo dici temporis inſtrumentum, ob ſuam ſtabilitatem, quæ manens immobilis, dum circa illam aſtra circumeunt, in cauſa eſt, cur eorum ortus & occaſus fiant, vmbrarumque diuerſitas eadem ſemper vniformitate difformis appareat.

§. 5.

Quotuplex ſit tempus, & qualis eius diuiſio.

PRIMO diuidi ſolet in tempus diſcretum, & continuum: illud conſiſtit in pluribus actibus non continuatis, quale Theologi fingunt inter Angelos, continuum eſt duratio motus continuata, & de hoc nunc loquimur.

Secundò Academici olim vt motum, ſic tempus quoque diſtinguebant, alium enim motum animæ, alium corpori adſcribebant, quorum hic poſterior à priore prodiret. Illum vt originalem & primitiuum; hunc vt deriuatum & conſectaneum conſiderabant: ita tempus aliud originale & primum, quod motum animæ mundanæ comitaretur; aliud deriuatum & conſectaneum, quod à motu corporum, præſertim cæleſtium, enaſceretur. Iſta diuiſio ex dictis §. præcedente poteſt ſatis apertè intelligi.

Huc accedit alia ſimilis diuiſio, qua tempus aliud internum, externum aliud dicitur: internum deſcribitur menſura propriæ cuiuſque durationis, determinatum vitæ, vel exiſtentiæ curriculum vnicuique præfiniens. Hæc autem menſura vnde rebus ſingulis adeſt, niſi ab eo, qui *ſtatuta* omnium *tempora præfinire* celebratur? Hoc tempus diuerſum eſt in diuerſis: aliud quercui, aliud roſæ; neque idem homini, quod Phœnici præfixum eſt: inde alij ab ortu ad interitum longiori, breuiori alij via perueniunt, &c. neque hoc ex cœlo penſitatur: Sed potius ex rationibus ſeminalibus, per quas ceu per originales quoſdam modulos vnicuique Deus, vel ab ipſo natiuitatis inſtanti, præfixit regulam omnis progreſſus, incrementi, ac ſtatus; &c. vt ex D. Aug. demonſtrauimus c. 15. §. 2.

Act. 17.

Tempus externum eſt, quod ex Ariſtotele iam deſcripſimus. Hoc adhuc duplex eſt: vnum generale & primarium: alterum particulare & ſecundarium: primarium eſt menſura ſucceſſionis inferiorum corporum ſecundum motum primi mobilis, itemque ſolis & lunæ. Ita Ariſt. 4. Phyſ. t. 133. *Si igitur primùm menſura omnium cognatorum eſt circulatio, regularis menſura maximè erit, quia numerus eius notiſſimus eſt.... Quapropter & videtur tempus eſſe ſphæræ motus*, (intellige, materialiter; nam formaliter illud per numerum ſolet ſemper deſcribere, vt ſuprà notauimus.) *Quia hoc menſurantur alij motus, & tempus hoc motu*: communem itaque omnium motuum menſuram reducit ad motum primi mobilis: primo, quia eſt certiſſimus, ac maximè regularis: ſecundo, quia eſt notiſſimus: tertio, quia minimum habet permanentiæ, quæ ſucceſſioni opponitur: quarto, quia eſt cauſa cæterorum; 8. Phyſ. Addidimus tamen ex Platone motum Solis & Lunæ; quia ſecundùm motum primi mobilis menſurantur horæ ac dies; ex motu Solis, anni; ex motu Lunæ, menſes. Quod verò ait tempus motu menſurari, *intellige*, motu aliàs per tempus menſurato: ſicut panno iam menſurato,

vlnam poſſumus metiri, an iuſta ſit, ita *Toletus.*

Tempus ſecundarium eſt, quo per motum corporis elementaris menſurare ſolemus aliquando interuallum motuum cæleſtium, ſicut dum per diſtillationem aquæ in clepſydra vt olim, aut effluxum arenulæ, vt nunc, horas & actiones noſtras menſuramus, ſimiliterque per motum automatum ſiue horologium, &c. de hocce tempore intelligendus eſt D. Aug. dum in 11. Confeſſ. c. 24. hæc ait. *An verò ſi ceſſarent cœli luminaira, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus, quo metiremur eos gyros, & diceremus aut æqualibus morulis agi, aut ſi aliàs tardiùs, aliàs velocius moueretur, gyros alios magis diuturnos, alios minus diuturnos diceremus?* verùm inde magis reor confirmari quod diximus §. 3. nam tẽpus reuera deberet eſſe quidpiam diſtinctum à motu rotæ, quoniam motus non poſſet ſeipſo menſurari: menſurari autem diceretur tempore: adde quod menſura, qua tardius & velocius menſurantur, debeat eſſe quid ratum & æquale, ac velut indiuiſibile ex Ariſtot. 10. *Met.* motus autem ille vel eius interuallum non eſſet huiuſmodi. Sed de hoc ſatis: veniamus modò ad aliam partitionem temporis.

Tempus diuiditur in præteritum & futurum, velut in partes, aut potius velut in differentias quaſdam partim componentes, partim variantes: nam ex illis componitur omne tempus, & per illa ſemper variatur. Partium iſtarum velut gradus ſunt, aliquando, nunc, olim, &c. vnio illarum partium eſt τὸ νῦν ſiue momentum vel inſtans, hoc indiuiſibile eſt: nihil habet ſucceſſionis, per illud tamen ſuccedunt omnia, & ſine illo præſens eſt nihil, realiter actu non diſtinguitur à partibus vnitis, ſed virtute. Vti dicemus inferiùs de puncto reſpectu partium continui: de hoc multa quærit Ariſtoteles apud ipſum legenda hic in 4. Ph. a. t. 104. vſque ad 108. itemque t. 121. & ſeq. Præcipuum eſt, vtrum idem ſemper inſtans ſit, an diuerſum & multiplex: quomodo & in quo deſinat, nam ſi diuerſum eſt, debet vno incipiente deſinere aliud. At quando deſinet? Non in tempore: ſi dicas autem in inſtanti; quærit in quo inſtanti, non in ſeipſo vt patet, non item in alio: quia duo inſtantia eſſent ſimul, quod repugnat. Reſp. paucis alia & alia eſſe inſtantia virtute ſolùm & non actu diſtincta, vt dicemus de partibus continui: neque vnum deſinit actu, ſed virtute, quatenus eſſe incipit virtute aliud, & licet actu aliud eſſet non tamen in inſtanti, aut in tempore deſinere dicendum eſſet, quia hæ denominationes in ea ſolùm cadunt, quæ tempore vel inſtanti menſurantur, non verò in ipſum tempus, neque inſtans.

Propriæ partes temporis ſunt annus, menſis, dies, &c. de quibus mentionem ampliorem in ll. de cœlo faciemus.

CAPVT XXXVII.

DE IIS QVÆ SVNT IN tempore.

§. 1.

Quæſtionis Reſolutio.

DVO hic quæruntur; primum quid ſit eſſe in tempore. Secundum, quæ ſint in tempore.

CONCL. PRIMA: eſſe in tempore, idem eſt ac fluere ad menſuram temporis. Neque enim, vt optime notat Ariſt. 4. Phyſ. c. 12. res eo præcisè ſunt in tempore, quo ſunt, quando eſt tempus: nam ita Deus eſſet quoque in tempore, cœlum eſſet in milio, quia cœlum eſt, quando eſt milium. Quid ergo? Certè vt res permanentes ſunt in numero permanenti, vel ſicut 10. homines in denario, ſc. vt in menſura: ſic res fluentes in numero fluxus & ſucceſſionis vt in menſura, hoc autem nihil eſt aliud, quam habere eſſe fluens in numero ſucceſſiuo.

CONCL. SECVNDA: motus rerum mobilium per ſe à tempore menſurantur, & quies per accidens, ita Ariſt. hic tit. 118. idque poteſt hoc exemplo declarari: regula per ſe menſura eſt recti quod illi congruit, per accidens verò obliqui, vtpote ab illo diſcrepantis. Sic tempus per ſe motus, vt ſucceſſiuum ſucceſſiui, menſura eſt, quietis verò, vt diſſimilis.

CONCL. TERTIA: ea omnia quæ fluxa & caduca ſunt, & continuis mutationibus obnoxia, tempori ſubiacere, eoque menſurari dicenda ſunt. Quoniam *omne quod mouetur, neceſſe eſt moueri in tẽpore*: Ariſt. hic. t. 129. hinc patet corpora omnia ſublunaria & elementaria, quæ continua viciſſitudine permutantur, etiam ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum eſſe, quo ſic mutabiliter durant, tempore menſurari: ſic Ariſt. t. 120. *Quæcumque igitur corruptibilia, & generabilia ſunt, & omnino quæ aliquando ſunt, aliquando verò non; neceſſe eſt in tempore eſſe.* Superiùs autem t. 115. definierat, quid ſit eſſe in tempore hoc modo: *In tempore eſſe, menſurari tempore, & ipſum, & eſſe ipſius, ſimul enim motum, & eſſe motus menſurat, hoc eſt ipſi in tempore eſſe, menſurari ipſius eſſe.* Hinc D. Th. 1. p. q. 10. a. 5. *quædam autem ſic recedunt à permanentia eſſendi, quod eorum eſſe eſt ſubiectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit: & huiuſmodi menſurantur tempore, ſicut omnis motus, & eſſe etiam omnium corruptibilium.* Et 1. p. q. 10. hoc axioma frequenter repetit ea ſubdi tempori, quæ principium & finem habent: atqui res caducæ habent. Ergo: Ita communiter Thomiſtæ ſentiunt contra *Durand. Suar. Conimbr. &c.*

Ratio eſt, quia quæ breuiori, vel longiori tempore durant, ea tempore menſurantur: ſed res caducæ, ac tranſitoriæ, etiam ſecundum *eſſe* breuiori vel longiori tempore durant. Ergo. Item quæ varias mutationes, etiam quoad ſubſtantiã ſucceſsiuè patiuntur, iam ſine dubio tempore ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum eius eſſe menſurantur: ſed res caducæ ſunt eiuſmodi. Etenim in primis, id conſtat de elementis, quæ cum in ſeſe perpetuo conflictu incurſent, ac graſſentur; ſemper in ea pugna nonnihil ſubſtantiæ, vel perdunt ſuæ, vel deſtruunt alienæ. In viuentibus quoque planum fit continua crementa, vel decrementa contingere: cætera vel deteruntur, vel acereſcunt, aut diſſoluuntur, & ita ſemper ſecundum aliquid ſui commutantur. *Dies noſtri ſicut vmbra declinant*, quæ ſc. nunquam in eodem ſtatu hæret; *Tu* Pſ. 101. *autem Domine in æternum permanes.* Hoc priuilegium eſt Creatoris: huius priuatio, propria creaturæ affectio: *ille ſemper idem ipſe eſt*, hæc vel ſemper alia; vel aliter eadem. *Mundus quoque*, inquit Seneca, *æterna res, & inuicta, mutatur, nec idem manet; quamuis enim omnia in ſe habeat, quæ habuit, aliter habet quàm habuit, ordinem mutat*: & in duratione ſubſtantiarum extenſio quædam eſt, definitis à Deo numeris ſupputanda: per eos currit, quidquid vno inſtanti diuturniùs perſeuerat. Aliter tamen quod immortale, & aliter quod corruptibile eſt: illud numeros habet, ſine tranſmutatione diſtinctos; hoc cum tranſmutatione diuerſos, vt clariùs infrà. Hinc D. Aug. *Omne quod corporeus ſenſus attingit, ſine vlla intermiſſione commutatur, velut cùm capilli capitis noſtri creſcunt, vel corpus vergit in ſenectutem, aut in iuuentam effloreſcit, perpetuo id fit, nec omnino intermittit fieri.* Ideo iure: *Quæcumque videmus, ac tangimus*, inquit Seneca, *Plato in illis non numerauit, quæ eſſe* Ep 58. *propriè putat. Fluunt enim & aſſidua diminutione, atque adiectione ſunt: nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, quis fuit iuuenis; nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more, quidquid vides, currit cum tempore ..... hoc eſt quod ait Heraclitus*, in idem flumen bis non deſcendimus ..... *& ideo admiror dementiam noſtram, quòd tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus: timemuſque ne quando moriamur, cùm omne momentum mors prioris habitus ſit.* l. 83 q. 9.

Idem à fortiori dicendum eſt de accidentibus eorundem corporum: quoad ſubſtantiam verò cœlorum, hoc vnum dicendum nunc ſuppetit: ſi ſit corruptibilis, idem de illa eſto iudicium ac de præfatis: ſi incorruptibilis, non tempore, ſed æuo continetur, de quo paulò pòſt.

§. 2.

Soluuntur obiecta.

Obicies primò: Ariſt. 4. Met. aduerſus Heraclitum ait, *mortalia fluere ſecundum quantum: at non ſecundum quale*, & D. Th. Opuſc. 44. *Mobilia*, inquit, *Quantum ad id, quod ſunt, ſicut homo aut lapis, non menſurantur tẽpore: quia eſſentia illorum eſt in quolibet nunc tem-*

poris, nec habet prius & poſterius, ſine ſucceſſionem. Vnde ita hoc formatur argumentum. Sola ſucceſſiua menſurantur tempore: ſed ſubſtantiæ corruptibiles non ſunt ſucceſſiuæ ſecundùm eſſe, ſed potiùs permanentes: alioquin nullum eſſet ens permanens in natura: & qualem quæſo ſuccesſionem habet *eſſe* Montis Auentini? Qualem item *eſſe* adamantis, &c. Item ſi omnia fluunt, & nihil corporei permanens eſt ſecundùm eſſe, quomodo idem homo ab infantia durat vſque in ſenectutem? alius enim dicendus eſſet. Ergo, &c.

Reſp. primò, ad Ariſtotelem, ſolùm eum velle, quòd non omnia fluant quoad abſolutam eſſentiæ rationem: ſecus quoad eſſe producti extenſionem, i. durationem.

Secundò, ad D. Thomam Reſp. eodem modo, nec eius ratio aliud probat.

Tertiò, ad rationem Reſp. negando Mi. quia nihil eſt, quod ſaltem ſecundùm aliquas partes non mutet *eſſe* ſuccesſiuè: dũ interim permanet quoad alias. Quæ mutant, ſunt per ſe in tempore, vt mota; quæ permanẽt, in eo itẽ ſunt vt quieſcentia. Paucis: multa ſunt, quæ dici queant permanentia ſimpliciter: nulla quæ non ſint ſuccesſiua ſecundum quid. R. 2. duplicem eſſe ſuccesſionem: vnam quæ fit cum variatione formæ: alteram quæ ſecundum eandem formam ſolùm variat *eſſe*: prima fit in mutationibus Phyſicis: ſecunda apparet in imagine Lunæ renitente in fluuio: hæc videtur permanens: non eſt tamen: imo eſt quoad formam: non eſt quoad materiam, neque quoad eſſe: *manet idem fluminis nomen*, inquit Seneca, *aqua tranſmiſſa eſt.* Concedimus ergo dari multa entia permanentia in natura, quæ careant prima ſuccesſione: negamus dari, quæ careant ſecunda: hanc habent montes, adamantes, &c. *quia hæc omnia ſicut veſtimentum veteraſcunt*, ſi autem habent ſuum ſenium, vt negari non poteſt, ad illud ſingulis momentis approperant immutatione quidem inſenſibili; ſed nihilominus vera. Omitto ſemper aliquid terrę conuerti vel in mineralia, vel in plantas, in latices reſolui, &c. Ex omnibus corporibus exire corpuſcula, hæc in illis ſuſcipi, per illa permeare, &c. Ita natura in omnibus aliquid noui ſemper intrinſecus operatur, & operando finit, inchoatque.

Epiſt. 58.

Pſ. 101.

Rurſus obiiciunt, ſub eadem menſura continentur generatio & conſeruatio rerum: quia conſeruatio non eſt aliud quam continuata productio: ſed generatio ſubſtantiæ menſuratur inſtanti indiuiſibili. Ergo & conſeruatio. Item menſura ſubſtantiæ diuerſa eſt à menſura operationum & accidentium: tum quia ſunt diuerſæ rationis: tum etiam quia conſtat Angelorum ſubſtantiam æuo menſurari; operationes verò tempore diſcreto. Atqui operationum & accidentium propria menſura eſt tempus. Ergo hoc non eſt menſura ſubſtantiæ.

Ad hæc Reſp. breuiter maiorem primi argumenti eſſe diſtinguendam ſic: generatio & conſeruatio continentur ſub eadem menſura, i. eiuſdem generis, concedo: continentur ſub tanta, nego. Hinc conceſſa Mi. negatur concluſio. Generatio itaque fit in inſtanti; conſeruatio in tempore continuo, quod eſt eiuſdem ordinis cum illo inſtanti.

Sed tempus eſt menſura productior: ſic pannum metimur vlna, licet eius initium ſolo puncto definiatur: ſi ergo quis ita diceret, eadem eſt menſura totius panni, quæ initij, quia ſunt eiuſdem rationis: ſed ſolum punctum eſt menſura initij; Ergo etiam punctum, & non vlna, eſt menſura panni, annon is illuderetur, ceu illuſurus; & Reſponderetur vt fecimus?

Ad ſecundum ſimiliter neganda eſt Ma. quia res quantumuis diuerſi generis, non ſunt diuerſæ rationis, quantum ad durationem, ſi eandem habeant radicem mutabilitatis & ſucceſſionis; vt contingit in ſubſtantia corruptibili reſpectu ſuarum operationum, non vero in incorruptibili.

Dices, Duratio non diſtinguitur ab eſſe rei durantis. Ergo ſicut eſſe in puncto generationis idem eſt, ac in ſtatu conſeruationis, eandem ac tantam menſuram vtrobique habere debet: & ſicut ſubſtantia & eius operatio habent diuerſum genus eſſe: ita & diuerſum durationis genus ſortiuntur. Ant. probatur, tum quia duratio nihil eſt aliud quam conſeruatio, ſeu perſiſtentia ipſius eſſe: hæc autem non ſuperaddit aliquid ipſi eſſe: nam cur non poſſet Deus ipſum ſine vllo alio accidente ſuperaddito conſeruare? An non etiam creatio & conſeruatio ſunt vna & eadem actio, ex D. Th. 1. p. q. 104. & alibi? Reſp. Negandum eſſe antecedens, quia ſecundum rem aliud eſt hominem eſſe, & aliud eum durare: nam reuera vnum poteſt eſſe verũ, dum falſum fuerit alterum: in puncto enim generationis verum eſt dicere *homo eſt*; falſum, *homo durat.* Imo in quolibet inſtanti verè homo habet totũ ſuum eſſe: at verè non habet totam durationem. Denique poteſt Deus conferre homini eſſe, & negare durationem. Ergo duratio eſt aliquod donum diuinæ communicationis, diſtinctum ab eſſe: aliaque diuinæ bonitatis participatio. Item aliam & aliam durationem Deus prædefinit iis quibus aliunde idem eſſe prædeſtinat, vt ex ſe patet. Aliter etiam Deus menſurat & præſcribit durationem, aliter eſſe. Hoc prædefinit per ordinem ad eſſentiam, ideamve: durationem verò per ordinem ad numeros in ſua mente præfinitos: vel ad certas æternitatis ſuæ partes aut gradus virtuales: vnde longior, aut breuior eſſe poteſt duratio, quatenus ampliori vel pauciori numero partium ſeu graduum, vel momentorum, actu vel poteſtate diſcrepantium gaudet: aut quatenus plures vel pauciores gradus æternitatis participat. Ad probationem modo Reſp. perſiſtentiam & durationem idem eſſe omnino, & vtrumque diſtingui ab eſſe, eo ſc. modo, quo ſuprà diximus tempus à motu diffidere. Conſeruatio verò duo ſignificat, primùm actionem, quæ immediatè terminatur ad eſſe. Secundùm, eandem quatenus terminatur ad eſſe ſub duratione: ratione prioris non diſtinguitur à creatione: ratione ſecundi connotat diuerſam hanc formalitatem durationis. Quare manifeſta implicatur contradictio, vt Deus conſeruet ſubſtantiam, ſine hoc accidente, quia eſſet actio formaliter illud connotans, & non connotans: conſeruans & non conſeruans. Hæc porro, ſi genus entis, quo inſignitur, inſpexeris, accidens Metaphyſicum dici, quemadmodum & rela-

1. p. q. 10. a.

tio, poterit; ſi verò ſubiectum, originem, & finem; dicito Phyſicum: quia rei naturalis appendix eſt inſeparabilis, & affectio.

Quæres an Tempus ſit vnum. Reſp. primò, ſi ſermo ſit de tempore originali & primitiuo, vnum eſt: item ſi de tempore externo primario: at ſi de ſecundario, tot ſunt reuera tempora, quot ſunt proprij motus. Hæc patent euidenter ex præcedentibus.

CAPVT XXXVIII.

DE ÆTERNITATE ET ÆVO.

§. I.

Quid ſit æternitas.

HACTENVS ea quæ Phyſicæ ſpeculationis ſunt, ediximus: nunc Scholæ conſuetudo nos ad altiora vocat. De Dei ſc. æternitate, atque immortalium ſpirituum æuo ſolet huc nonnihil adiici, quo luculentior, atque explanatior temporis habeatur cognitio. Æternitatem porrò habes ferè deſcriptam in præcitata temporis originalis definitione. *Æternitatis in vnitate manentis.* Item in verbis Plotini inibi quoque annotatis. *Vita Dei infinita, immutabilis, ſimulque tota, prorſus indeclinabilis, & in vno, ad vnumque conſiſtens.* Iſthæc etiam diſertè Plato in Timæo deſcripſit. *Atqui erat, & erit; quæ nati temporis ſpecies ſunt, non rectè æternæ ſubſtantiæ aſſignamus. Dicimus enim de illa, eſt, erat, & erit: ſed illi reuera eſſe competit ..... æterna autem ſubſtantia cùm eadem ſemper, & immobilis perſeueret, neque ſenior ſeipſa ſit vnquam, neque iunior, neque fuit hactenus, neque erit in poſterum, neque recipit quidquam eorum, quibus res corporeæ, mobileſque ex ipſa generationis conditione ſubiiciuntur.*

Noſtrates verò Philoſophi Theologicè ſic ex Boëtio communiter æternitatem deſcribunt, vt ſit *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio:* primò cùm dicitur, *interminabilis* vita, nobis proponitur Deus vti carens principio, & fine per eſſentiam; itavt repugnet eum non carere. Nam ſi fuiſſet ab æterno quidpiam, quod vel non fuiſſet aliquando, vel non fore potuiſſet, eius certè vita interminata fuiſſet, at non interminabilis. Secundò dicitur *vita* potiùs quàm *eſſe*, vt nobilitas eſſe diuini commonſtretur, quoniam ipſum eſſe Dei, eſt viuere: tum etiam vt inſinuetur operationem Dei quoque æternam eſſe, ita vt nullam omnino ſucceſſionem in operando admittat; quòd ſuummet ipſe operari ſit vniformiter, & identicè: porro vita operationem internam ſignificat. Tertiò dicitur *tota* poſſeſsio, vt plenitudo vitæ inſinuetur: quædam enim veluti partem vitæ poſsident, dum vel vegetatiuam, vel ſenſitiuam habent, &c. Deus vero totam, hoc eſt, incircumſcriptam, & incomprehenſibilem viuendi plenitudinem præ habet, circumſcri-

l. 5. de conſ. proſ. 6.

bit,

569

bit, & comprehendit. Quartò dicitur *ſimul*, vt omnes ſucceſſio excludatur. Quintò dicitur *poſſeſſio* ſuæ ingens fœlicitatis argumentum: huic enim ſoli nomen poſſeſſionis adſcribitur: quid enim eſt poſſideri? haberi ad libitum, id eſt, ad plenam complacentiam. Quare quantò quid magis complacentiam explet, tantò id rectiùs poſſideri cenſendum eſt: nihil autem magis poteſt complacentiam ſatiare, quam ſumma beatitudo, Deique poſſeſsio; ideo cæteris vti ſolùm permittimur: ſolam verò beatificam Trinitatem iubemur poſsidere. Sextò denique additur *perfecta* poſſeſſio, vt independèntia denotetur, qua ſine participatione cenſeatur id totum eſſe, quod eſt; ea enim perfectè poſſidemus, quæ ita nobis propria ſunt, vt nulli alienæ auctoritati ſubdita, independenter à cuiuſcumque ſuperioris dominio teneamus; vnde in noſtrum commodum vniuerſa poſſimus impendere. Hinc etiam perfecta poſſeſſio exigit, vt in plures non diuidatur: quare neque ſerui res plene poſſident ſuas, quibus vtique, niſi cùm, & quantùm placuerit Dominis, vti poſſunt: neque qui ius in eundem fundum habent, quia bipartita fruitio, poſſeſsionis minuit copiam. Tandem perfecta poſſeſsio exigit, vt nulla poſsit ratione amitti, quare debet per eſſentiam poſsideri. Ita Deus vitam perfectiſsimè poſsidet: primò, quia ſub nullius dominio: ſecundò, quia independenter: tertiò, quia pleniſsimè: quarto, quia ſine conſorte: quintò, quia per eſſentiam: ſextò, quia per identitatem: ſeptimò, quia à ſeipſo ſolo.

Hinc facile conſtat æternitatem Deo ſoli competere: nam per primam particulam excluduntur res temporales, quia non habent durationem interminabilem: ſed potius hinc inde principij, & finis terminis circumſcriptam. Per ſecundam, duratio cælorum, quia vita non eſt. Per tertiam, ſtatus animarum extra corpus degentium, quia ſolùm quaſi dimidium vitæ agunt, altero dimidio compartis corporis deſtitutæ: Per quartam, vita naturalis Angelorum, quæ cum partim in operatione conſiſtat; partim ratione illius ſucceſsionem admittit. Per quintam, vita dæmonum, heu quàm non ad complacentiam viuunt! Per ſextam denique, vita beata ſanctorum, quia ſub Dei dominio viuunt, & dependenter à ſuperiori, neque eam vitam habent per eſſentiam, ſed per participationem & precariò, & potuere non habere, &c.

Nota interim in æternitate tria debere perpendi: primum eſt eſſe perfectiſsimum, quod vita Dei eſt: ſecundum, ipſa extenſio virtualis interminabilis, qua vita Dei principio & fine carens eſſentialiter coexiſtit omnibus temporibus, & potuit, ac poterit etiam infinitis ſeculis, ſi eſſe poſſent, coextendi; tertium eſt vniformitas, qua hæc extenſio indiuiſibilis eſt, ac tota ſimul. Etenim non ſolùm perfectio in Deo eſt, quòd viuat, ſed quod tandiu viuat, & quod hæc diuturnitas ſit tota ſimul, hæc ratione diſtingui poſſunt. Quare crediderim æternitatem, prout includit durationem vniformem, eſſe propriam quandam perfectionem ratione diſtinctam ab eius vita. Siquidem aliam notionem ſuggerit vita, & aliam æternitas. Hinc SS. Patres videntur illam

per diuturnitatem, vel immortalitatem deſcripſiſſe. Richard. Vict. *Quid aliud eſt æternitas, quam diuturnitas ſine initio, & ſine, carens omni mutabilitate.* Et D. Auguſt. *Vera immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipſa eſt æternitas.* S. Dionyſ. *Superſubſtantialiter æternum eſt inuariabile.* Quamobrem ea eſt perfectio, cuius participatione debet omnis creata duratio definiri: ita tamen vt diſtinctio rationis, quam inter Dei vitam, & eius æternitatem admittimus, maiorem arguat, & inducat inter durationem & eſſe creaturæ; quia vix poteſt diſtinctio rationis cum fundamento concipi ſine ordine ad realiter diuerſa, vt diximus in Logica c. 2.

l. 2. de Trin. c. 4.
4. de Trin. c. 18.
9. de Diu. Nom.

Cæteroquin Platonicis forem ingratus, niſi eorum de æternitate dogma hic declararem. Hi enim quoad æternitatem hunc ſtatuunt ordinem. Primò Deum vltrà æternitatem ſuperextollunt: quia, cùm æternitas per primam & inuariabilem vitam definiatur; eò modo Deus ſecundum gradum Deitatis incommunicabilem, eſt æternitate ſuperior, quo vitæ primò participabilis gradum ſuperexcellit: ſecundò imparticipatæ Menti, quæ Dei filius eſt, æterni pariter æternus, ipſam per ſe imparticipatam æternitatem appropriant; veluti primæ, atque immutabilis vitæ naturali centro, ac poſſeſſori: imo ſi Proclum audiamus, mens illa primigenia, & increata, nobilius quiddam habet æternitate, quòd eius vtique author ſit, atque fontale principium: tertiò annumerant mundi animam, eamque ratione ſuæ inuariabilis eſſentiæ, cenſent æternitatem à mente ſortiri: tamen, cùm ſit numerus ſeipſum mouens, primumque motum, digniſſimumque exerat, ratione illius includere tempus animaſticum & primordiale, de quo ſuprà. Sic anima in orizonte temporis & æternitatis conſtituta dicitur, quaſi æternitas in ea finem accipiat; tempus verò initium. Cæterum vt mentes aliæ ſunt participatæ, ita participatam æternitatem, quemadmodum & animæ noſtræ, provt æterna ſuſpiciunt, obtinere cenſentur. Hæc illi.

§. 2.

De Æuo, eiuſque diſtinctione à tempore.

ÆVVM eſt duratio rerum incorruptibilium, quæ aliquando incæperunt deſinent verò nunquam: de hoc magna inter Philoſophos extat controuerſia, vtrum ſucceſſionem aliquam habeat, & qualem. Sunt qui aſſerant nullum dari genus durationis, quod ab æternitate, & tempore differat, & durationem Angelorum tempore ſolum eſſe metiedam; idcirco dicunt duo ineſſe cuilibet rei: perfectionem ſcilicet & durationem: perfectionis, Deum; durationis, ſolum tempus eſſe menſuram: addunt tamẽ ſufficere, quod duratio connotet ſucceſſionem, vel in re quæ durat, vel in adiuncto, actu aut poteſtate coexiſtentem, v. g. corpora menſurantur tempore, quia tantam in ſe ipſis ſucceſſionem ſubeunt. Angeli verò: quia tantùm temporis, dum

Gabriel in 2 d. 2 q. 1. & comm inter Nominales.

illi durant, fluit, aut fluere aptum eſt.

Alij volunt æuum diſtingui quidem à tempore, vti ab æternitate:& diſcrimen hoc afferunt, quod æternitas nullam omnino ſucceſſionem habeat: tempus habeat actualem, perpetuis innouationum, & inueterationum vicibus agitatam: æuum verò, itidem actualem habeat, ſed quæ nec vetuſtatis iacturam, nec nouitatis incrementa inducat. Henric. Gand. quodl. 5. in 2. d. 2. S. Bonau. ibid.

Alij denique ita hæc tria diſtinguunt, vt æternitas ſit duratio rei omnino immutabilis, tam ſecundùm ſubſtantiam, quam ſecundùm accidentia: tempus ſit duratio rei mutabilis vtroque modo: æuum verò, duratio rei immutabilis quoad ſubſtantiam; mutabilis verò quoad accidentia. Hi conſequenter dicunt in æternitate nullam omnino ſucceſſionem inuolui: in æuo non eſſe ſucceſſionem intrinſecam, eſſe verò extrinſecam; in tempore denique tam intrinſecam, quam extrinſecam. D Thom. Opuſ q 10. Caiet Zamel. &c.

Concl. 1. Æuum diſtinguitur ab æternitate, & tempore, contra Nominales. Probatur breuiter, quia duratio eſt quędam perfectio rei durantis, eiuſdem ordinis cum eſſe ipſius, ex eoque exit quodammodo, ſicut à puncto linea. Sed eſſe rerum intrinſece incorruptibilium, vt inferioris ordinis eſt ad eſſe, & durationem Dei; ita ſuperioris etiam cenſendum eſt ad eſſe & durationem corporum fluxorum, & corruptibilium. Hinc Deus bene nouit quandiu durent Angeli; eorumque poſſet definire durationem ſine interuentu temporis.

Concl. 2. Admodum probabilis mihi videtur ſecunda ſententia, quòd duratio æuiterna intrinſecam habeat ſucceſsionem ſine innouationis & inueterationis alternatione: & quidem quòd ſine huiuſmodi alternatione poſsit intelligi realis & actualis ſucceſsio, non difficulter exponitur: ſi per hanc alternationem, alterationemve ſolùm innuamus mutationem vnius in aliud melius, vegetiuſque, aut in peius & imbecillius: ita enim dici poteſt actualis ſucceſsio, ſine tali mutatione, vt in fluuio cuius aqua ſemper alia & alia ſuccedit ſine innouatione, aut inueteratione fluuij. Senſus ergo concluſionis eſt, quòd eſſe creatum ſemper à Deo quaſi recens emanet, ſicut radius à Sole, à quo eum conſeruari, perpetuo fieri eſt: idem tamen ſemper apparere, ac eſſe reuera, quia continuo idem reproducitur, neque mutatur in aliud, ſed refluit in ſeipſum. Iſtud ſanè confirmat S. Aug. ſæpiſsimè ac præſertim in l. 4. de Gen. ad lit. c. 12. vbi ait nequaquam Deum eſſe ſicut Architectum, qui cum ſemel domum exſtruxerit, hæc ſine illo perſeuerat: ſed *eum in omnibus, quæ creauit indeſinenter operari*: & in 8. l. c. 12. creaturam omnem à Deo in fluxu perpetuo fieri ſicut *aër præſente lumine non eſt factus lucidus, ſed fit lucidus: ſi enim non fieret, ſed factus eſſet lucidus, etiam abſente lumine, lucidus maneret.* Vide quę diximus ſuprà c. 20. §. 1. & c. 36. §. 4.

Quin eò quoque concedere videtur D. Thomas, dicens, Deum non aliter conſeruare creaturas in eſſe, *quàm ſemper eis eſſe* dando. 1 p. q. 9. a. 2.

Rationes porro quæ à Scoto, & D. Bonau. referuntur, non parum habent momenti. Sunt autem eiuſmodi.

Prima. Actio qua conſeruatur *eſſe*, non eſt illa eadem, qua primò

collatum eſt: Ergo eſſe quod per conſeruationem fit, eſt aliud ab eo quod primũ factum fuit. Antec. patet: quia quod vna & eadem actione formaliter & vltimò fit, non poteſt non haberi poſitâ illâ actione: quia repugnat, vt actio totum id non ſortiatur, quod actu ſortitur. Sed poſita prima productione, qua eſſe primò collatum eſt, poteſt illud non conſeruari: Ergo actio qua conſeruatur, non eſt illa eadem, qua primò productum eſt.

Secunda, duratio æuiterna, qualis eſt in Angelis, & animis noſtris, non poſſidetur tota ſimul, & indiuiſibiliter. Ergo habetur diuiſibiliter, & ſucceſſiuè. Antec. probatur: quod poteſt plus, aut minus haberi, quam habitum fuerit, non habetur totum ſimul: ſed anima vna poteſt plus habere durationis, quam alia: ecquis enim adami Animæ non plus concedet durationis, quam animæ Antichriſti? Ergo tota huiuſmodi duratio non eſt ſimul, neque indiuiſibiliter. Item quod partim poteſt eſſe, & partim non eſſe, non eſt totum ſimul: duratio eſt huiuſmodi: ergo, &c.

Tertia, niſi quædam in eſſe, quod continuatur, varietas intercederet, item eſſet in Angelo fuiſſe, ac fore: quare, ſicut non poteſt non fuiſſe; ita non poſſet vnquam fore? Rurſus tanta ſaltem intrinſecè duratio foret in primo inſtanti; quanta futura eſſet per totam æternitatem: ſed ſi per æternitatem fuiſſet protrahenda, fuiſſet intrinſecè, (i. per internam rationem durationis) infinita. Ergo etiam in primo inſtanti fuiſſet intrinſecè infinita. Imo duratio toti æternitati coëxtenſa; foret velut inſtans indiuiſibile; vnde priuilegium æternitatis obtineret.

Ad hæc omnia ſolet Reſp: illud plus vel minus durationis, quod accidit vni animæ, præ alia, non obtingere ob nouam partem, aut nouum gradum durationis, ſed ſolùm per externam relationem ad tempus longius, aut minus, provt illi ſc. coexiſtit: ideo quòd in æternum duret, hoc, inquiunt, non illi eſt perfectio intrinſeca; ſed ſolus reſpectus ad extrinſecum. Ita hoc non impedit, quominus tàm eſſe, quam duratio ſint intrinſecè tota ſimul. Contrà: vt res, quæ vno ſolo momento durare eſſentialiter exigit, putà fulgur, non poteſt durare per annum ob defectum durationis intrinſecè maioris, qua longiori tempori coexiſtat: ſic eſſe Angeli per illam durationem indiuiſibilem; quæ vni ſoli momento coæquatur, non poteſt pluribus ſeculis coexiſtere, niſi maiorem interiùs durationem obtineat, quæ ſit fundamentum actuale. diuerſi eiuſmodi reſpectus ad aliam temporis menſuram. Dices, poteſt idem corpus per eandem extenſionem coextendi ſucceſſiuè pluribus locis. Quidni erit idem de Angelo? Reſp. inanem prorſus eſſe paritatem, niſi velis inferre, quòd poſſit quoque fulgur coëxiſtere 100. ſeculis etiam naturaliter, quia poteſt culex naturaliter coextendi 100. leucis ſucceſſiuè. Conferri itaque debet permanens cum permanentia ipſi ſucceſſiuo cum ſucceſſione, & dici, vt non poteſt corpus per extenſionem intrinſecè indiuiſibilem coextendi pluribus locis ſimul; ſic nec poteſt vlla ſubſtantia per durationem intrinſecè indiuiſibilem (excepta æternitate) coëxiſtere tempori diuiſibili ſucceſſiuè. Neque in-

571

contrarium duci debet paritas ex æternitate: quia diſcrimen euidens in eo eſt, quòd æternitas eſſentialiter includat omnia tempora, & illis per ſe coæquetur & vltrà. Vnde impoſſibile eſt, vt Deus per illam non ſit ſemper: at duratio Angeli non continet eſſentialiter omnem temporis diuturnitatem, neque illi per ſe coæquatur: alioquin poſita ſemel duratione illa quoad internam ſuam perfectionem, (quam aiunt totam ſimul in primo momento exeri,) non poſſet ampliùs, ne vel à Deo ſubtrahi, quin per omne tempus poſſibile perdurarent: Et ſanè quotuſquiſque eſt, qui, niſi præocupatus fuerit voluntate ſuſceptam ſemel ſententiam defendendi, poſſit ex animo credere durationem æternam, intrinſecè, & ſecundum totum illud internum, quod habet duratio, vt duratio, non eſſe perfectiorem duratione inſtantanea? Hæc & alia huiuſmodi adduci ſolent, quibus, ni fallor, ſatis manifeſtè probatur aliqualem in duratione æuiterna ineſſe varietatem, ſiue numerum aliquem prioris, & poſterioris: vnde ſucceſſio formalis eueniat. At non ita clarè monſtrari poteſt, quænam illa varietas ſit: nam ſi aliud & aliud eſſe ſemper effluit, vel eſt aliud ſpecie, vel numero; at neutrum dici poteſt. Quid ergo? Reſp. paucis actionem, qua continuatur eſſe, vnde reſultat duratio, non terminari ad eſſe abſolutè, prout eſt talis vel talis formæ: ſed ad eſſe ſub tali, & tali numero durationis, vel fluxus.

Quamobrem vt terminatur ad eſſe formæ, eſt ſemper eadem numero; & producitur ſemper idem numero eſſe, eademque ideæ vis & proprietas exprimitur: ſed quatenus ad illud terminatur ſub diuerſo durationis momẽto, alia & alia numero duratio sẽper fit, aliaſque & alias partes virtuales æternitatis adæquat. Ita non tam contingit varietas in eſſe formali, vt fit in temporalibus, quæ veteraſcunt, quam in ipſo fluxu eiuſdem eſſe, qui ſemper in alijs alijſque momentis decurrit. Et ſicut actio, qua intenditur lumen in aëre, eſt eadem numero, quatenus præcisè terminatur ad eſſe luminis, variatur tamen quoad gradus intenſionis, prout ad idem lumen terminatur ſub alio & alio gradu intenſionis. Ita, &c. quare actio continuans eſſe Angeli eſt eadem ſimpliciter quoad ſubſtantiam rei continuatæ, quia ſemper eadem fit, & inuariabilis fluit: variatur verò ſecundùm quid, & quoad momenta durationis numeris æuiternis ſuccedentia, necnon & diſtinguenda: quippe quibus poteſt Deus concurſum ſuum, & influxum à re durante ſubtrahere, vt poteſt colligi ex D. Th. 1. p. q. 10. a. 5. ad 3.

Concl. 3 defendi poteſt nihilominus tertia ſententia, quæ adſcribitur D. Thomæ 1. p. q. 10. a. 5. ideo ipſe hic cum ſua probatione audiendus eſt: *Ex hoc, inquit, Res temporalis inueteratur tempore, quòd habet eſſe transmutabile: & ex tranſmutabilitate menſurati eſt prius & poſterius in menſura, vt patet ex 4. Phyſic. ſi igitur ipſum æuiternum non ſit inueterabile, hoc erit; quia eſſe eius eſt intranſmutabile. Menſura ergo eius non habebit prius & poſterius: eſt ergo dicendum, quod cùm æternitas ſit menſura eſſe permanentis, ſecundùm quod aliquid recedit à permanentia eſſendi, ſecundùm hoc recedit ab æternitate: quædam autem ſic recedunt à*

permanentia eſſendi, quia eſſe eorum nec in tranſmutatione conſiſtit, nec eſt ſubiectum tranſmutationis, tamen habent tranſmutationem adiunctã, vel in actu vel in potentia, ſicut patet in corporibus cæleſtibus, &c...... & ſimiliter patet de Angelis, quod habent eſſe intranſmutabile cum tranſmutabilitate ſecundùm electionem.... & intelligentiarum, & affectionum, &c.

Deinde ad 3. cùm ſibi obieciſſet ex ſua ipſius ſententia ſequi, quòd in Angelo fuiſſe & fore idem ſint. Reſpondet *Quod in ipſo eſſe Angeli in ſe conſiderato, non eſt differentia præteriti & futuri: ſed ſolùm ſecundùm adiunctas mutationes. Sed quod dicimus Angelum eſſe vel fuiſſe, vel futurum eſſe, differt ſecundum acceptionem intellectus noſtri, qui accipit eſſe Angeli per comparationem ad diuerſas partes temporis: & cum dicit Angelum eſſe vel fuiſſe, ſupponit aliquid cuius oppoſitum non ſubditur diuinæ potentiæ* (quia *non poteſt Deus facere quod non ſit, dum eſt, vel quod non fuerit poſtquam fuit.*) *Cùm verò dicit futurum eſſe, nondum ſupponit aliquid,* per hæc Thomiſtæ reſpondent ad cæteras Scotiſtarum inſtantias: quòd ſi ſubdideris hanc adiunctam mutabilitatem accidentium ſe habere quoque per accidens ad ſubſtantiam, ideo non debere in illam refundi nouum aliquod genus durationis: Reſpondent nequaquam ſe habere per accidens: ſed fundari in quadam limitatione, & potentialitate ſubiecti, ſecundùm quam illud, etſi non ſit tranſmutabile Phyſicè, ſit tamen diuinitus, ideo peculiare menſuræ genus expoſcere, quod ſit æternitate inferius, ſuperius tamen tempore.

Porro conciliari poteſt vtraque ſententia ſic, duplicem agnoſce ſucceſſionem, vnam formalem, aliam virtualem: formalis dupliciter poteſt intelligi, primò vt actu aliud & aliud contineat, quorum illud prius, & hoc poſterius actu ſit. Huic opponitur virtualis, quæ cùm actu ſimplex ſit, ob excellentiam æquipollet formali: hanc Thomiſtæ concedunt æuo, priorem negant; ſecundo poteſt formalis ſic intelligi, vt habeat prius & poſterius cum innouatione & inueteratione, vt ſuprà expoſuimus .i. cum corruptione vnius, & inchoatione alterius inæqualis perfectionis formalis: & hoc propriè ſonat nomen mutabilitatis, huic opponitur virtualis ſucceſſio, quæ licet prius & poſterius vtcumque habeat, mutabilitatem tamen, & innouationem eſſe proprij non habet. Hoc ſenſu æuum non eſt formaliter ſucceſſiuum, ſed virtualiter, quod explicatur hoc modo: vt ſubſtantia infantuli non habet actu omnes partes quantitatis & extenſionis, quas deinceps eſt habitura: habet tamen virtualiter, quatenus proportionem habet ad illas, & in ſe illarum quaſi numeros habet implicitos, qui poſtea lapſu temporis euoluuntur. Sic eſſe Angeli habet proportionem ad omnes partes, ſiue numeros durationis æuiternæ, quos quidem implicitos ac conuolutos in ſe concludit, poſtea ipſo actuali fluxu euoluendos, quare cum D. Thomas ait ineſſe ſucceſſionem formalem æuo Angelorum, intellige vt diximus, nihilque concludit aliud, quàm quòd Angeli & cœli non ſint mutabiles in peius, aut in melius.

Nota interim quæſtionem hanc Philoſophis antiquis fuiſſe incognitam. Vix hi æuum ab æternitate diſtinguebant; & quidem Ariſtote-

les ſubſtantijs incorporeis nullam aliam durationem adſcripſit, quam æternam: eas enim omnes æque per ſe omnino inuariabiles, per ſe intelligentes, per ſe beatas, idque neceſſariò, & immutabiliter, aſſerebat: ex Platone conſtat æuum non eſſe aliud quam æternitatem participatam, & ab alio pendentem, id quod etiam ſancto Bonauenturæ allubuit. *Boëtius in 5. de conſol.* addit hæc: *Si congruentia rebus nomina velimus imponere, Platonem ſequentes Deum quidem æternum, mundum verò dicemus eſſe perpetuum.*

His denique addam à Theologis diſputari, an quemadmodum apud nos eſt vnum commune tempus, quod primi motus diurni duratio eſt: ita inter Angelos ſit vnicum æuum, quod ſit menſura omnis durationis illorum: negant permulti: affirmat verò S. Thomas, quia *Cum vnumquodque menſuretur ſimpliciſſimo ſui generis,* 10. *Met. oportet quòd eſſe omnium æuiternorum menſuretur eſſe primi æuiterni, quod tantò eſt ſimplicius, quantò prius.* Henricus ait illud eſſe æuum primi Angeli. Hæc indicaſſe ſufficiat, cætera Theologi proſequantur. 1. p. q. 10. a. 6. quodl. 5. q. 13.

Capvt XXXIX.

De continvo an habeat partes & quomodo.

§. I.

Status quæſtionis exponitur.

De continuo hic agimus cum Ariſtotele in 6. Ph. occaſione motus, cuius continuitas bene declarari non poteſt, niſi ſubiecti conſtitutio probè priùs cognita fuerit. Ideo notandum eſt ex Logica quantum eſſe, *quod eſt diuiſibile in ea quæ inſunt.* Huius duas ſpecies retulimus: *diſcretum & continuum.* Diſcretum eſt, vt numerus; continuum, vt linea. Continuum rurſus duplex eſt, alterum quod contiguum potius dici debet, eſtque *id cuius extrema ſunt ſimul:* vti cùm digito tangis librum, extremum digiti concurrit cum extrema ſuperficie libri. Alterum eſt propriè continuum, *cuius* videlicet extrema ſunt vnum, ſiue, vt diximus in Logica, communi vinculo connectuntur. In continuo ergo notare oportet primò partes: ſecundò earum vnionem, ſeu nexum quo continuantur: tertiò terminum quo clauduntur, & finiuntur. Nexus & terminus non ſunt partes, quia ſi eſſent, aliis nexibus, & aliis terminis indigerent: ideo etiam indiuiſibiles eſſe creduntur, & puncta vocitantur: ſi enim diuidi poſſent, eorum partes, ante actualem diuiſionem deberent actu continuari. Ergo alios nexus exigerent.

Hinc duo nunc præcipuè in examen vocantur: primum, an partes

quæ ſunt in continuò Phyſico, ſint actu diſtinctæ realiter. Secundum, an in eo ſint actu indiuiſibilia, ſiue continuantia, ſiue terminantia.

Quoad primum, aliqui volunt partes, ex quibus conflatur continuum, actu in eo eſſe diſtinctas. *Suarez, Rub. Hurtad. Complut.* Alij contra partes eſſe quidem actu in continuo, at non actu diſtinctas: *Auer. Simplic. Themiſt. Cap. Sonc.* &c.

Quoad ſecundum, volunt item quam plurimi reipſa quoque in continuo eſſe puncta indiuiſibilia, ſimiliter vt partes, actu diſtincta. Hoc verò negant Nominales cùm alijs multis.

§. 2.

Quæſtionis deciſio.

CONCLVSIO PRIMA. Partes in continuo ſunt quidem actu; at non ſunt actu diſtinctæ: prior pars patet, quia quantitas eſt ipſa ratio partium. Ergo vbi actu quantitas eſt, ibi actu etiam eſt ratio partium.

7. Met. t. 49 Poſterior probatur ex Ariſt. *quæ*, inquit, *duo ſic actu ſunt, nunquam vnum actu ſunt. Sed ſi potentia duo ſunt, erunt vnum, vt duplum ex duobus dimidijs potentia, actus namque ſeparat..... aut enim non eſt vnum dualitas; aut non ineſt in ea vnitas actu*, & alibi *continuum & finitum, cùm è pluribus inexiſtentibus vnum quidem ſit, maximè quidem potentiâ, non actu.* (5. Met. t. 31. 4. Ph. t. 44. 8. Ph. t. 68. &c.)

Idem etiam euidenter tradit D. Thomas in 4. d. 10. q. 1. *Partes alicuius homogenei continui ante diuiſionem non habent eſſe actu, ſed potentia tantùm, & ideo nulla illarum habet vnitatem propriam in actu. Vnde actu non eſt accipere ipſarum numerum, ſed potentiâ tantùm.*

Ex his ita licet argumentari, quæ realiter actu diſtinguuntur, ſunt actu realiter plura. Ergo non ſunt actu realiter vnum: pluralitas enim multitudinem, hæc diuiſionem inuoluit. Nam vt per indiuiſionem vnitas: ita per diuiſionem multitudo definitur: ideo vnum & multa opponuntur vt contradictoria, quorum alterum alterius deſtructione ſtabilitur. Ergo, ſi vnum actu eſt, actu non ſunt plura, Reſpondebunt fore quidem plures actu partes, non verò actu plura continua: ſeu plura eſſe incompleta entia, vnicum verò ens completum. *Sed contrà*: quælibet pars eſt aliquod continuum, at ſunt plures actu partes: Ergo ſunt actu plura continua. *Item*, vnum completum non fit niſi ex ijs quorum vnum eſt in potentia reſpectu alterius, atqui pars nulla continui, eſt in potentia reſpectu alterius. Ergo, ſi hæc actu diſtinguuntur, quod ex his eſt, non vnum quid completum eſt, ſed ex pluribus æquè completis ſuffarcinatum.

Confirmatur: *Actus ſeparat*, ſiue diſtinguit, vt ait Ariſt. ſuprà. Ergo quæcumque actu differunt, ea diuerſo actu diuerſa eſſe oportet. Partes autem omnes eundem actum habent, quatenus eadem omnino formâ potiuntur, nempe quantitate, eandem formalitatem exercent,

quia

quia ex æquo diuiſibile faciunt: eodem eſſe perfruuntur, quia vnius entis per ſe vnicum eſſe neceſſariò eſt, quonam ergo actu diſſidebunt? Haud ſum neſcius abunde his poſſe ab aduerſarijs Reſponderi: ſed ſciant illico reſponſis quæ adhibent, ſolidioris Philoſophiæ fundamenta concuti, vt ruinoſa ſubſtruantur. Siquidem non verentur inficiari, 1. vnicum ſimplex *eſſe* in vno ente per ſe debere admitti: ſecundò, formalem rationem quantitatis in partibus actu diſtingui, ſine diuerſitate actus diſtinguentis: hoc ſecundum viderint quomodo explicent: oppoſitum tamen quod adſtruimus, ſatis euincit ipſe ſenſus communis, & ſemper velut axioma naturaliter per ſe notum increbuit, actu diuerſo affici oportere, quæcumque actu diſtinguuntur: hoc autem ſtabilitum ſi fuerit, per ſe tunc primi effati, quod negant, veritas eluceſcet, nam ſi vnica forma eſt in continuo, vnicuſue actus formalis, certè etiam vnicum *eſſe* ponendum eſt. Quia eſſe per ſe formam affectatur.

Confirmatur ſecundò, quia ſi ſingulæ partes actu diſtinctæ ſunt: Ergo ſunt actu etiam indiuiſibiles: etenim quod actu ab aliquo diſtinguitur, vt pars à parte, in illud diuiſibile non eſt, ſed quælibet pars à qualibet alia eſſet actu diſtincta, vt pars à parte. Ergo vnaquæque pars ſic non eſſet diuiſibilis in partes: ſi dixeris id non ſequi, quoniam partes, diſtinctæ licet, ſint aliæ intrà quaſdam alias, vt minores intra maiores; contrà, de ratione quantitatis eſt, vt omnis pars ſit extra aliam. Ergo omnis pars per ſe, ſolitaria poteſt conſiderari, ſuam à cæteris diſtinctam gerens entitatem, & diſtinctum faciens numerum. Ergo non eſt in alias diuiſibilis: ſic innumera quiſque poteſt facile aduerſus oppoſitam ſententiam comminiſci.

Conclvsio secvnda: nulla item ſunt in continuo indiuiſibilia, quæ ſint à partibus actu diſtincta. Non nego eſſe indiuiſibilia materialiter, ſeu poteſtate, ſed contendo ſolùm non eſſe vlla eiuſmodi, quæ actu ſint à partibus diſtincta: & conſequenter quæ ſint actu & formaliter indiuiſibilia. Explico, poteſt Deus è continuo quidpiam diuellere, quod poſt diuiſionem actu ſit indiuiſibile: id enim non video, cur negetur, at illud priuſquam diuelleretur, fuiſſet in continuo vt quid continui, ab eo actu indiſtinctum: iam probatur concluſio, & quidem prima pars probatione non eget, ſecunda declaratur ex dictis in prima concluſione, & inde vlteriùs confirmatur, quod fruſtrà hæc puncta ita diſtincta fingantur: ad quid enim? An vt terminent lineam, an item vt vniant partes? Contrà. In primis partes actu non diſtinguuntur: ergo neque actu vniuntur, nam vnio relatio eſt inter duo reipſa diſtincta: deinde vnumquodque ſeipſo finitum eſt, vel ſeipſo infinitum. Hinc Ariſtotel. 3. Phyſic. infinitum impugnans ait aliud eſſe tangi, aliud finiri, tangi ab alio; finiri ſeipſo. *Tangere & finitum eſſe alterum eſt, illud enim ad aliquid eſt, & alicuius (tangit enim omne aliquid, & finitorum alicui accidit, finitum autem non ad aliquid eſt*: cum ergo continuum nullum queat ſeipſo eſſe infinitum, ſequitur id ſeipſo finiri, ac terminari, & ſane quid aliud eſt terminari, quam non ex- T. 75.

tendi vlteriùs? Quid eſt aliud continuari, quam fieri vnum & non diuidi? Ergo abunde terminatio per negationem vlterioris extenſionis exponitur, & continuatio per vnitatem compoſiti, vel per negationem diuiſionis.

Hanc ſententiam eo lubentiùs amplector, quòd plures inde vitilitigationes effugiam: cùm enim ſingulis punctis quantitatis ſubſterni debeant totidem puncta materiæ; & aliunde tam in diuiſione, quam in maiori continuatione continui, alia quantitatis indiuiſibilia fiant, & alia pereant, ita ſemper aliquid materiæ periret, aliquid etiam ſuccreſceret: cùm tamen ea ingenerabilis eſſe dicatur. Multas eiuſmodi minutulas argutias omitto, quibus nimio plus Philoſophia inhorreſcit.

§. 3.

Soluuntur obiectiones contrà primam concluſionem.

CONTRA primam concluſionem multa ſolent obijci hoc modo, primò reipſa pars vna non eſt actu alia: ergo eſt actu diſtincta. Etenim in vlna pes primus, non eſt actu pes vltimus: ſecundò, imo vna pars continui poteſt ſeparari ab alia. Ergo realiter actu diſtinguuntur: item tertiò, vna poteſt eſſe alterius cauſa, vt ſi media pars ligni conuerſa in ignem, reliquam quoque partem inflammet; prima nonne ſecundæ cauſa erit? Ergo actu diſtinguuntur. Reſp. nego has omnes conſequentias: *Ad primum* autem Antec. dico vnam partem eſſe realiter aliam continuatiuè, non indiuiſibiliter. *Ad ſecundum*, dico quæ ſeparari poſſunt, diſtingui realiter actu, vel potentiâ: *Ad tertium*, Dico cauſam diſtingui ab effectu realiter actu ſimiliter, vel potentiâ, actu quidem ſecundum formam, quæ eſt principium agendi, quia per eam intenditur productio ſimilis formæ, quæ actu non ſit: ex parte verò ſubiecti ſufficit diſtinctio partium poteſtatiua. Explico, vnitas continua alia eſt ab vnitate ſimplicis eſſentiæ: eſſentia enim indiuiſibiliter eſt vna; quia eius partes ſeparari aut ſeparatæ perſtare non poſſunt, vt genus & differentia: continuum verò eſt vnum diuiſibiliter, quia eius partes ſeparari poſſunt, ipſæ poſthac per ſeipſas extituræ, vt duæ guttæ eiuſdem aquæ. Vt autem ita diuidi poſſit, non opus eſt, vt guttæ illæ in vnum compactæ, ſint actu realiter diſtinctæ: ſufficit ſi eiuſmodi ſint poteſtate proximâ, id eſt, ſi & entitatem partium, quæ ſubſtantia corporis, & actualem formam diuiſibilitatis, quæ eiuſdem quantitas eſt, ſortiatur. Quod vtrumque habet, verè partes habet actu, & multas item habet, & realiter diſtinctas, non actu quidem ſed poteſtate, eaque proximâ: quomodo ſine quantitate illas ſubſtantia non haberet, & ad hunc modum etiam partes ſunt extra partes, ſc. poteſtate: quatenus tali ordine continuantur ſub vnitate actuali, vt quomodolibet eas actu diſtinxeris, ſiue per ſectionem, ſiue per introductionem nouæ formæ, eas ſis extra alias ordinatim reperturus.

574

At, inquies, quando pars ignea reliquam ligni partem accendit, iſta iam in ignem conuerſa non diſtinguitur à priori ſecundùm formam: eſt tamen eius effectus. Quomodo ergo actu ab illa diſtinguitur? Reſp. ſufficere ex parte ſubiecti, quòd potentiâ proximâ diſtinguatur. Ratio eſt, quia pars agens, per effectionem actu ſibi continuat, & adunit ſecundûm formam, id quod anteà ſecundùm eandem non erat continuatum, & coünitum. Ideo debuit illa priùs actu ſecundùm eam diſtingui, poſtmodum verò idem actu euadere.

Inſtabis adhuc, partes actu diuerſas non eſſe actu partes, quia ſunt actu quædam tota. Ergo vel nunquam dabuntur partes actu diſtinctæ: vel ſemper ſunt eiuſmodi. Item gutta ſeparata eadem numero eſt, ac continuata: ſed ſeparata eſt actu alia, Ergo & continuata. Reſp. *Ad primum* verè concludi, quòd partes quandiu ſunt actu ſolùm partes, non ſint actu diſtinctæ, ſed illæmet, quæ fuerant actu partes, deinde fiunt actu diſtinctæ, cùm actu diuiduntur, & tunc dici poſſunt partes, connotando id quod fuerunt: ſunt verò tota, connotando id quod ſunt. *Ad ſecundum.* Reſp. quòd gutta per ſeparationem fit alia numero: & per continuationem ceſſat eadem eſſe numero, quæ priùs fuerat, vt incipiat pertinere ad indiuiduum continui, cui vnitur.

§. 4.

Soluuntur obiectiones contra ſecundam concluſionem.

QVAMQVAM ex dictis erui poſſit facilis ſolutio eorum, quæ contra ſecundam concluſionem opponuntur, ſatius tamen duxi præcipua hic argumenta contexere.

Obijc. primò, locum definiri ſuperficiem corporis ambientis: at ſuperficies eſt quidpiam indiuiſibile quoad profunditatem. Ergo datur indiuiſibile. Reſp. dari materialiter concedo: diſtingui actu nego. Dices, locus ambiens à locato non tangitur ſecundum aliquid diuiſibile: ergo tangitur ſecundum aliquid indiuiſibile. At id ſecundum quod tangitur, actu differt ab eo ſecundùm quod non tangitur: ergo indiuiſibile diſtinguitur actu à cæteris partibus diuiſibilibus. Reſp. nego Antec. tangitur enim ſecundum extremum quod actu eſt idem cum toto diuiſibili, tangitur tamen indiuiſibiliter, quia tactus contingit in eo quòd poteſtate indiuiſibile eſt. Quare nego ſubſumptum, quia ſufficit diſtinctio realis poteſtatiua: ſecundò cum *Nominalibus* reſpondetur corpus tangi, ſecundùm latus, quod eſt reuera diuiſibile; tangi tamen indiuiſibiliter, & inadęquatè, quia tangitur ſecundum illud latus, prout connotat negationem vlterioris extenſionis. Et duo corpora tangi proximè vel contigua eſſe: dum inter illa, nec ſpatij quidquam, nec aliud vllum corpus interiacet & hinc oritur diſcrimen contigui à continuo, quòd contiguum ſit corpus immediatè tactum ab altero, quod actu diſtinguitur, continuum verò ſit corpus vnicum, cuius partes non ſint actu diuerſæ.

Quòd ſi obieceris ab Ariſt. ea dici *ſe tangere quorum extrema ſunt ſimul.* Vnde duo per ſe clarè inferuntur, primò cuilibet corpori extrema quædam ineſſe, quibus ipſum terminetur: ſecundò illa diſtingui actu à partibus, alioquin ſi actu eſſent partes diuiſibiles, corpus conflarent, & cùm ſimul ſint, plura corpora ſimul ſe penetrarent; quod refutatum eſt ſuperiùs. Reſpondetur huius Ariſtoteleæ deſcriptionis hunc eſſe ſenſum, vt *extrema iuxta ſe ſint*, id eſt, inter illa nihil medium interponatur.

Si repoſueris, & dicas eſſe in tempore inſtantia. Ergo ſunt in continuo puncta. Reſp. in tempore ſimiliter eſſe inſtantia, ſed à reliquo tempore virtute ſolùm, non actu diſtincta. Reſpondet *Durandus* non dari etiam in tempore inſtantia poſitiua, niſi per ſolam deſignationem. Quid ergo; an anima rationalis creatur in tempore? Reſpondet, non: ſed in inſtanti diſcreto.

In 2 d. 1. q. 4.

Denique opponitur, quòd ſi perfectus cylindrus fieret, is tabulam perfectè planam tangeret ſolùm in puncto. Ergo puncta ſunt actu, & formaliter in continuo. Reſpondeo primò, vt priùs, eſſe ſc. puncta virtute, non actu, materialiter, non formaliter: Reſp. ſecundò, tactum fieri non in puncto reali, ſed ſolùm in deſignabili, vel in parte diuiſibili ſecundum quòd habet negationem coëxtenſionis. Reſp. tertiò, non poſſe contingere, vt fiat contactus in puncto, quia contactus fit dependenter à ſitu, ſitus à figura; & hæc à quantitate: quæ omnia eſſentialiter exigunt partes. Sed de hoc in ſequentibus.

CAPVT XL.

AN CONTINVVM CONSTET indiuiſibilibus.

§. 1.

Sententia negans explicatur, ac ſtabilitur.

DIXIMVS continuum eſſe quantum, quantum verò eſſe id quod diuidi queat in ea, quæ inſunt, i. in partes. Hinc quæritur, vtrum ita ſit diuiſibile, vt tandem in partes omnino inſectiles reſoluatur: nam ſi hoc verum ſit, tunc ex indiuiſibilibus conſtare dicetur: ſin verò, falſum, tunc ſemper in infinitum diuiſibile remanebit, ita vt vel minimus apex nunquam poſſit, vel à Deo in omnes ſuas partes diſpeſci, ac diſtribui. Quamobrem duæ ſunt ſolennes opiniones.

Prima, quæ communis eſt, negat continuum ex indiuiſibilibus conflari; & docet partibus illud contineri, quæ rurſus in alias, ite-

rumque diuiduas, poſſint ſecari, & ita ſine fine.

Secunda, è contrario id affirmat: ſed eam expendemus poſtea; modò de ſola prima nobis ſermo eſt: hæc adeo communis eſt, vt in eius patrocinium, omnes cum veterum, tum recentium Philoſophorum ſectæ quaſi dato ſigno videantur concurrere. Ariſtoteles tamen præcipuus eſt anteſignanus. Quamobrem accuratiùs expendi promeretur.

Notandum eſt ergo, duplex eſſe indiuiſibile: vnum Phyſicum: Mathematicum alterum. Illud eſt corpuſculum verè quantum, cui partes aliquot inſunt, ſed naturaliter inſolubiles, cuiuſmodi atomos aliàs deſcripſimus. Mathematicum eſt punctum omni ratione partium deſtitutum. Non eſt hic ſermo de primo; ſed de ſecundo.

Notandum eſt iterum partes duplicis generis aſſignari: nam aliæ ſunt aliquotæ; aliæ proportionales: aliquotæ ſunt certæ, ac determinatæ magnitudinis, quæ aliquoties repetuntur in continuo; vt in linea decem palmorum; partes palmares 10. determinatè inſunt; &c. Hæ partes dicuntur æquales, & non communicantes; quoniam omnes ſeorſum iacent, nec vlla eſt pars alterius. Proportionales ſunt medietates aliarum maiorum partium, vt ſi à linea 20. palmorum, detraxeris lineam 10. palmorum: & ab hac lineam 5. palmorum, &c. Simili modo proportionales dici poſſunt omnes, quæ cum quadam proportione à maioribus ſubtrahuntur: vt ſi à linea 48. palmorum ſubtraxeris 3. quartas ſc. 36. & à 36. pariter alias 3. quartas ſc. 27. & ſic deinceps. Hæ partes dicuntur inæquales, & communicantes, quia conſiderantur vt partes aliarum: & nullam determinatam menſuram habent, ſed in ſola proportione conſiſtunt.

Notandum tertiò, commune Peripateticorum effatum eſſe, quòd partes aliquotæ infinitæ, infinitum conflarent continuum: non verò proportionales infinitæ: Quia inquiunt, iſtæ ſolùm ſunt partes in potentia; illæ verò ſunt partes in actu: ideo ex proportionalibus infinitis ſolùm reſultat infinitum in potentia, & ſyncategorematicum, quod in eo conſiſtit, vt nunquam diuidatur in tot partes, quin poſſit adhuc in plures: ex aliquotis verò infinitis reſultaret infinitum actu & Categorematicum; quale ſuprà refellimus, c. 32. Ratio etiam, cur proportionales tametſi ſint infinitæ, non conflent infinitum, hæc à Complutenſibus redditur, quòd hæ cùm ſolùm partes ſint maiorum aliarum partium, continuum in quo continentur, non extendant, ſed ſolùm partiantur, v. g. ſit linea 8. palmorum: tolle hinc 4. dein 2. tum vnũ palmum, hinc 2. grana; hinc vnum granum, & ita ſi ſemper in infinitum proceſſeris, infinitas reperies partes proportionales, quæ tamen omnes in linea 8. palmorum continentur, nedum eam maiorem efficiunt.

Argumenta porrò, quibus hæc ſententia ſtabilitur, multa ſunt. *Primum* eſt, quod vrget Ariſt. *in Phyſ.* quia ſi magnitudo expunctis indiuiſibilibus ſit compoſita, ſequitur motum velociſſimum eodem tempore cum tardiſſimo peractum iri: idque ſic declaratur: ſit ſpatium 10. punctorum: illud aquila, & teſtudo emetiantur, illa volatu citiſſimo,


hæc tardiſſimo, continuo tamen, greſſu. Tunc in quo tempore Aquila tranſit primum punctum, & ad ſecundum peruenit, in eodem debet illuc appellere teſtudo, niſi alterutrum ex his duobus aſſerere velis, quod vel Aquila ſimul plures partes ſpatij motu ſuo attingat & deſerat, vnumque poſt alterum ſine ſucceſſione percurrat, vel teſtudo in qualibet parte ſpatij plures partes temporis inſumat, quodque progrediendo quieſcat, & ceſſando, atque interrumpendo motum continuet: quæ ambo quis non videt contradictione irretiri?

Si dixeris, à teſtitudine vnam tunc ſolùm partem pertranſiri, quando duæ pertranſeuntur ab Aquila; contrà inquiunt: Ergo cum Aquila vnam pertranſit, deberet dimidium vnius à teſtudine percurri; at ſi hæc indiuiſibilis ſit, quomodo dimidium habet?

Secundò, indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, id eſt. Quod nihil habet extenſionis, vt indiuiſibile, non poteſt aliud reddere extenſius; id quod etiam inde probatur, quòd indiuiſibile additum indiuiſibili ſe habeat, ſicut duo corpora æqualia, quæ ſe interiùs & exteriùs contingerent; ſanè ambo nihilo maiorem ſitum, aut extenſionem ederent, quam horum quodlibet: ita indiuiſibile alteri coünitum, illud interius, exteriuſque, id eſt, ſecundùm id totum quod eſt, & quod habet, tangeret, idque nihilo ſui excederet, ac denique totum penetraret; alioquin partem haberet, qua tangeret aliud, & partem aliam, qua vltra illud procederet. Ergo indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, &c.

Tertiò, ex Mathematicis eruunt omnem lineam poſſe in duas medietates æquales diuidi, quod foret falſum, ſi continuum ſolis ex punctis coaleſceret: nam ſi nouem eſſent puncta, quomodo in duas æquales medietates ſecaretur?

Quartò, ſequeretur item ex contraria ſententia diametrum quadrati, i. lineam ab vno angulo in oppoſitum ductam, æqualem fore coſtę: ſit quadratum A, B, C, D, ducatur linea à B, ad C, finge lineam




C, D, quæ coſta inferior dicitur, 15. punctis conſtare, ac totidem coſtam ſuperiorẽ A, B, tum à ſingulis punctis coſtæ inferioris ducan-

546


tur lineæ ad totidem ſuperioris: hæ totidem puncta diametri C, B, interſecabunt: nec vllam in medio relinquent intactam, quia lineæ ſupponuntur, vt & puncta, immediatę. Ergo tot erunt puncta in coſta, quot in diametro; & ſic diameter non erit maior coſtâ.

Quintò, ſequeretur circulum minorem totidem quoque conſtare



partibus, quot multò maiorem: vnus enim deſcribatur intra alterum ſic. Tunc notentur 4. puncta immediata in circulo maiori A, B, C. D, ab his ducantur totidem lineæ ad centrum E. Hæ ſecabunt neceſſariò minorem circulum per totidem puncta: nam ſi duæ lineæ in idem punctum minoris circuli confluerent, vt lineæ ab A, & B, ad F, in puncto F, eſſet centrum maioris circuli.

Sextò, denique ſequeretur latera trianguli nunquam poſſe longiora eſſe quã ſit baſis. Sit triangulus Iſoceles, i. cuius duo latera ſint longiora baſi: ſintque ſingula 12. punctorum: baſis ſolùm 7. hoc modo: ab his ducantur lineæ in latera, ſingulę ſingula puncta immediata tangerent in lateribus. Ergo linee collaterales non haberent plures partes, quam baſis. At hęc omnia conuincuntur eſſe falſa in Mathematicis.



His denique additur argumentum Theologicum: nempe quòd Concilium Conſtantienſe inter errores contrà Philoſophiam à *Ioan. Hus* propugnatos, Hunc nominatim damnauerit, quòd continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus.

Hęc ſunt præcipua munimenta huius ſententię, quæ non poſſe vlla vi rationum expugnari tot, tantique Philoſophi dudum fuere perſuaſi: Quamobrem ipſa iam adeo veneranda tot excellentium virorum, authoritas veritatis opinionem pręſcripſiſſe videtur; & argumentum

ſit cæteris omnibus ad perſuadendum efficacius. Neque enim ſoli Peripatetici ſic ſentiunt: ſed ita Plato ſentire viſus eſt, cum ob id materiam ſimpliciter multa nuncupauit: ſic ſenſere Platonici vt Marſil. Fic. *in Plot. Enn.* 1. *l.* 9. ſic ſenſit D. Aug. de *Immort. anim. c.* 7. vbi ait, *quantum ſemper eſſe diuiſibile in infinitum.*

§ 2.

Affirmans ſententia declaratur.

NIHILOMINVS contraria ſententia ſuis, iiſque locupletiſſimis patronis deſtituta non eſt: In primis Zenonem habet authorem. Epicuro, Democrito aliiſque atomorum tutoribus placuit, & placet etiamnum. Hinc alios multos inceſſit: quin etiam Platoni cõmuniter adſcribitur. Platoniciſque vulgare hoc effatum tribuitur, quod punctum ſi continuè moueatur, lineam edat; quodque linea ex punctis, ex lineis ſuperficies, ex ſuperficiebus corpus componatur. Eadem ſententia inter recentiores modò plurimùm inuulgatur: ita *Maior*, in 2. Sent. d. 2. *Franc. Patricius diſcuſſ. Peripat. tom.* 4. *l.* 4. *Elhardus Lubinus l. de natura mali. Ariaga, Quiedo, de Lugo*, &c.

apud D. Th. in 1. de anim.

Argumenta illis non deſunt, & quidem efficaciſſima: primò ſic argumentantur, poteſt continuum in partes infinitas diuidi. Ergo habet actu partes infinitas: hoc autem ſi verum ſit, quomodo illud non erit actu infinitum? Quomodo vtrimque terminis, & extremis magnitudinem & extenſionem finientibus terminabitur? Conſequentia patet, quia non diuiditur continuum, niſi in ea quæ inſunt. Antec. verò pro confeſſo, exploratoque habetur: nam quod aiunt aliqui in infinitum quidem diuidi poſſe continuum, at non in infinitas partes, argutio eſt, & cauillus omni Sophiſmate inſulſior, vt enim quod in infinitum augeſceret, partes acquireret infinitas: ita quod in infinitum diuideretur, certè diuideretur in infinitas.

Reſpondent eo genere locutionis hoc ſolùm innui, quòd partes in continuo non ſint actu, ſeu Categorematicè infinitæ, ſed ſolùm in potentia, & Syncategorematicè. Sed contrà, eo ſenſu, non omnes partes, in quas diuidi continuum poteſt, eſſent actu in continuo, id autem vel inde procederet, quòd ipſa diuiſione nouæ partes acquirerentur, quas ante non habuiſſet: & conſequenter, quæ non infuiſſent, vel quòd non eſſent actu diuiſę inter ſe. *Primum* eſt impoſſibile, & contra definitionem quanti datam ab Ariſt. tum quia plures forent partes diuiſæ, quam componentes: tum quia ipſa ſola diuiſio noua eſſet productio quanti, & cõſequenter accretio. *Secundum* non facit ad rem: quia etiam hoc modo, partes aliquotæ non ſunt actu diuiſæ, imo neque actu diſtinctæ. Quæritur autem, vtrum eodem ſenſu ſint infinitæ partes in continuo, quo conceduntur duo, treſve, aut plures palmi: nam ſi hoc modo ſint infinitę, hoc ſufficit vt totum his conſtans ſit infinitum.

Confir-

577

Confirmatur infirmando communem Reſponſionem, qua dicunt continuum fore quidem infinitum, ſi partibus æqualibus, & non communicantibus conſtaret: ſecus ſi ſolùm proportionalibus, & communicantibus. Contrà, ſi ſunt proportionales infinitæ, ſunt & infinitæ æquales. Ergo infinitum conſlant. Antec. probo. proportionales ſunt minores in maioribus contentæ: ſed omnes minores, quæ ſunt in vna medietate: habent totidem æquales & ſibi non communicantes in altera medietate, v. g. ſit linea 48. palmorum: diuidatur per dimidia: vt in vna medietate erunt 24. hinc 12. hinc 6. hinc 3. & ſic deinceps in infinitum; ſic totidem erunt ſemper dimidia in altera medietate, eodemque ordine. Rurſus altera tota medietas continebit bis partem 12. palmorum; quater illam 6. octies illam 3. & ita deinceps & infinities reliquas. Item omnes partes proportionales, quæ continentur in parte 3. palmorum, nonne decies ſexies continebuntur in tota linea 48. palmorum? & cum in ea ſint infinitæ, ita decies ſexies infinitæ actu inerunt, &c. Ergo ſi ſic ſemper progrediaris, inuenies in quolibet continuo fore infinitas partes æquales, & non communicantes: imo & infinities infinitas æquales infinitis, quod quis credat de atomo?

Secundum argumentum eſt, quod à Zenone proponi ſolebat ſic: ſi partes ſunt ſine definito numero infinitæ, nunquam finito tempore, vel pars vnius granuli percurri poterit: quia primùm ex parte termini à quo, ſemper antequam integra vna pars attingatur, priùs tempore debuit eius prior medietas tranſigi, neque hæc tota ſimul: ſed eius alia medietas priùs, & eius alia deinceps hoc modo: quare cum ſemper prior, & prior pars medietatis cuiuſlibet, priori & priori parte temporis attingi debeat; vt inter illas partes priores non datur prima, ſic nec vnquam dari potuiſſet initium temporis, quo illud granulum cœpiſſet percurri. Similiter ex parte termini ad quem, ſemper reſtabit alia & alia medietas minor attingenda, & nunquam attingetur vltima. Quomodo ergo motus incipietur, vbi non datur primum: & quomodo finetur, vbi non datur vltimum?

Hoc concedunt omnes Peripatetici, & mirabiles anfractus rimati ſunt, quibus aditus & exitus motuum quærerent, vti dicemus, cum de inceptione, ac deſitione loquemur: ſed necdum inuenerunt. Filum adhuc Ariadnes implorant; auſimque aſſerere ſalebroſis in his ſaltibus labyrinthum eos potiùs, quam exitum ſibi parare: in vno enim paſſu ſemper hærent aſſerentes priorem ſemper, & priorem partem ordine ſucceſſiuo attingi, nunquam primam: & tamen fuiſſe tempus & inſtans, quando nulla prorſus adhuc tangebatur: ſimiliter ſemper poſteriorem & poſteriorem ſucceſſiuè tranſigi, nunquam vltimam: & tamen totum tranſigi, & contingere tempus & inſtans, quando nihil reſtet emetiendum. Quis ergo non mirabitur ex infinitis partibus omnes omnino & ſingulas ſucceſſiuè perluſtrari, nec duas ſimul, nec nullam: & ab inſtanti, quo nullæ attinguntur, immediatè poſt aliquas priores diſtinctè, & determinatè tranſigi ſine prima: & poſteriores continuo, & ordinatim decurri vſque ad inſtans, in quo ſigillatim

omnes decurſæ ſunt, neque vltimam fuiſſe pertranſitam?

Hic ego ſoleo ad ipſum Ariſtotelem prouocare, is in 2. Met.t.5. probat non poſſe dari progreſſum infinitum in cauſis, quia mediæ penderent à prioribus: & priores à prima: *quare, ſi prima nihil eſt, omnino nulla cauſa eſt*; & infrà, *illorum enim cùm media ſint, neceſſe eſt finem eſſe*. At ſimiliter in continuo, progreſſio ad partes poſteriores pendet ab aſſecutione priorum: ſi priorum, ergo & primæ. Ergo ſi non datur aſſecutio primæ, non poterit contingere aſſecutio mediarum: quibus ſolis conuenit, vt ſint priores & poſteriores. Quidquid hic pro Ariſtotele contra Zenonem dici poterit, illud idem contra Ariſtotelem reponi ac retorqueri, eodem pacto quid vetabit?

5 Præterea dum virga exactè recta, in aqua dimidio tenus immergitur, tunc ſuperficies aquæ illam in punctis duobus contingunt. Quæro autem vtrum illa duo puncta ſint immediatè contigua; an ſimul, an deinceps? non ſunt ſimul, quia non poſſent reſpondere duabus ſuperficiebus, quæ non ſunt ſimul: nec poſſunt eſſe deinceps, ſicut neque duæ illę ſuperficies. Ergo contigua. Hoc autem ſi ita eſt, continuum componetur ex punctis, vt omnes Peripatetici conſentiunt.

Prętereа Deus acum in punctum exacuat: eo illa continget punctum cuiuſdam tabulæ pleniſſimæ: tum illam Deus vel Angelus continuato ductu moueant; poſt illud punctum tabulæ, annon tanget aliquid tabulæ? Quid? lineam? at quomodo puncto indiuiſibili linea diuiſibilis contingetur? Reſpondent aliqui non poſſe moueri niſi per ſaltus. Sed quis hoc credat? ſcilicet Deus non poterit efficere, vt acus dum mouebitur, continuè tangat tabulam: alij dicunt non poſſe ſic acuminari acum vt puncto contingat punctum. At cur ergo ipſi talium punctorum concurſum, interciſionem, & tactum ſupponunt in argumentis Mathematicis, quæ allegant? alij volunt inſtanti tangi punctum; in tempore verò tangi lineam: contrà, vt tempus non fluit niſi per inſtans, ita fateantur acum illam non moueri niſi per puncta. Deinde nunquam indiuiſibile tangit adæquatè ſpatium ſecundùm partem diuiſibilem. Ergo tametſi tempore contingat diuiſibile, illud nihilominus non niſi ſecundum punctum ſucceſſiuè dimetietur. Denique temporis extenſio non poteſt efficere, vt aliquid tangat aliud ſecundum menſuram ampliorem: v. g. palmus ſolùm ſecundum palmum tanget ſpatium quamtumuis longum, & quantaue temporis diuturnitate. Ita fateantur neceſſe eſt motu talis acus lineam duci, quæ punctis componatur. Alia eiuſcemodi pene infinita poſſunt ab vnoquoque excogitari.

Solùm venio ad abſurdum, quo nihil video intolerabilius: ſcilicet ex oppoſita doctrina ſequitur, (& hoc etiam concedunt Theologi,) acumen ſubtiliſſimę acus, ipſumque apicem pedis acari, tot poſſe pati proportionalium eiuſmodi medietatum partitiones, vt ſi eas Deus à primo mundi naſcentis inſtanti inceptaſſet ſigillatim diuidere, ſingulisue momentis millies millenas myriadas talium partium detraxiſſet, nunquam per totam æternitatem poſſet illum apicem ſuis partibus ex-

haurire: vtque ex inexhauſto illo ſeminario partium in qualibet mundi atomo deliteſcentium, infinito plures minuſculas medietates poſſit extrahere, quam ſint in vniuerſo ſpatiola eidem atomo æqualia. Quoniam niſi eſſent plures, cùm hæc ſint finita, finitæ forent & illæ. Ea crediderint, qui ob fidem Ariſtoteli oppigneratam, nihil exiſtimant potuiſſe ab illo falſum cogitari; vſurpentq; quantum peruelint illud, quod idem Ariſt. in l. de Inſectilibus dixit, debere neminem ab opinione ſemel concepta ob difficultates, inexpugnabiles licet, deterreri. Id tamen, ſi verum eſt, cur ipſe ab opinionibus antiquiorum, imo & præceptorum deſciuit? Ergo etiam nos ob argumenta illius tametſi difficilia, neutiquam debemus ab opinione Zenonis reuocari.

Hæc ſunt quæ aduerſus Ariſtoteleam de infinita diuiſione continui ſententiam dici poſſunt. Iudicium modo ferre quæſtionis deciſiuum, difficillimum eſt: tamen penſatis omnibus poſterior videtur mihi multo magis conſentanea rationi: ad explicandum expeditior: & in aliis multis expediendis multò paratior.

§. 3.

Quomodo difficultas poßit, ac debeat expediri.

MVLTI multa commenti ſunt. Aliqui putant omnem difficultatem euadere, ſi dixerint in continuo non eſſe puncta, neque partes actu. Quaſi argumenta oppoſita nihil habeant roboris, niſi ſupponantur indiuiſibilia ſic actu diſtingui: verùm id non planè ſatisfacit: quoniam ſemper manet quæſtio, an ſint partes in potentia infinitæ. Item, etſi partes non ſint actu diſtinctæ, ſunt tamen potentia proxima, & ab Angelo, vel ſaltem à Deo cognoſcuntur actu diſtincto, ita vt vnaquęque poſſit vt diſtincta deſignari: & tunc ſub illa deſignatione actuali, vel aptitudinali optimè proponi poſſunt omnia argumenta §. primi.

Alij excogitauere puncta quædam inflata, quæ quamquam indiuiſibilia, extenſionem tamen diuiſibilem ſortirentur: & ſic ſolui omnes inſtãtias ſibi perſuadent. Aſt inflatio hæc cõmuniter in riſus & in ventoſa dicteria ſolet efflari. Nec immerito: nam ſi extenſio ſit diuiſibilis, quomodo non ea euadet aliquid diuiſibiliter extenſum? aut quomodo poteſt aliquid diuiſibiliter extenſum eſſe, quod nullas partes habeat, vnde diuiſibilem extenſionem admittat? Denique quid eſt inflari, niſi laxari partes alicuius, quæ compreſſiores priùs tenebantur? ita difficillimè ſine partibus vlla fieri, imo concipi poteſt inflatio. Ideo lubet aliam viam inire: & ſupponere quædam certa, deinceps ſaltem quæ probabiliora videbuntur ſubiicere.

Suppono primò vt certiſſimum, dari minimum in natura, quod vlterius Phyſicè diuidi nequeat, Hoc ſuperiùs cap. 2. iam declarauimus: & nunc ſufficiet iſta verba D. Thomæ ſubiicere. *Dicendum*, inquit, *quòd licet corpus Mathematicè acceptum, ſit diuiſibile in infinitum: corpus* In 1. Phyſ. 36.

Phyſica. Mm ij

tamen naturale non eſt diuiſibile in infinitum. In corpore enim Mathematico non conſideratur, niſi quantitas, in qua nihil inuenitur diuiſioni repugnans: ſed in corpore naturali inuenitur forma naturalis, quæ requirit determinatam quantitatem. Idem repetit in 6. t. 15.

Suppono ſecundò, continuum vt continuum Mathematicè diuidi poſſe ſemper in infinitum, id quod triplici ratione poteſt intelligi. primò vt quandiu corpus quantum manſerit quantum, ſemper ſit diuiſibile: fiat enim quantalibet diuiſio corporis, quandiu pars diuidens fuerit continua vel quanta, ſemper hæc conſtabit partibus quantitatiuis ratione Mathematica diſtiguendis, tametſi non ſeparandis Phyſicâ. Secundò vt continuum ſecundum rationem abſtractam quantitatis, ſemper ſit diuiſibile in infinitum; cùm enim quantitas in abſtracto non ſit aliud, quem ipſamet diuiſibilitas, i. ipſamet multitudo partium, ſeu ipſamet molis magnitudo, certum eſt hæc tria vt ſic, nullum habere terminum, atque adeo ipſam diuiſibilitatem nunquam reſolui poſſe in indiuiſibile; neque multitudinem in non multum; neque magnitudinem in non magnum.

At in concreto, & prout magnitudo participatur ab hoc vel illo ſubiecto Phyſico, & ſingulari, non repugnat illi limitari: imo per ſe, ac vi participationis limitari eam neceſſe eſt: & qua parte limitatur, ſuſcipit aliquid contrarij, nempe paruitatis: vnde quidquid ita participatè magnum eſt, eſſentialem habet terminum magnitudinis, & poteſt tandem deſinere in non magnum. Sic de cæteris: nam & ipſa ratio numeri abſtracta nequit vnquam reſolui in vnitatem: participata verò non ſolùm poteſt, ſed ſæpe reſoluitur. Id videtur voluiſſe S. Thomas manifeſtè, cùm in 6. Phyſ. t. 15. ait, & *ideo frequenter talibus propoſitionibus vtitur* (Ariſt.) *in hoc 6. libro, quæ ſunt vera ſecundùm conſiderationem communem motus, non autem ſecundùm applicationem ad determinata mobilia: & ſimiliter non eſt contra rationem magnitudinis, quòd qualibet magnitudo diuidatur in minores, &c. licet applicando magnitudinem ad determinatam naturam, ſit aliqua minima magnitudo.* Tertiò poteſt idipſum intelligi ſecundum arbitrariam imaginationem Mathematicorum: quia poteſt animus in numerandis, vel diſtribuendis magnitudinis cuiuſcumque partibus in infinitum procedere, v. g. Ptolemæus ſemidiametrum circuli diuidit in 60. partes, ex quibus 360. conficiunt totum ambitum circuli: at Regiomontanus eandem ſemidiametrum diuidit in 600. Copernicus in 100000. ita quiuis poteſt ſemper in plures, & plures ſubdiuidere: hoc modo quidam intelligunt partes eſſe potentiâ infinitas in continuo, non verò actu.

l. 1. Mag. conſtruct. in Tabul. ſinuum.

Suppono tertiò non poſſe aſſignari in natura corpuſculum adeo exiguum, quin eo ſit adhuc aliquid tenuius: vnde fluxit quædam adagio *In natura nihil eſſe minimum.* Id iam ſuprà c. 2. §. 2. monſtrauimus: quamobrem ſi vel pedem acari poſſes inſpicere, tot ipſe adhuc pelliculis, alijſque particulis heterogeneis compactus eſt, & in ſingulis illis tot ſunt myriades aliarum, vt verum ſit abſolutè non poſſe

in natura fingi quid adeo paruum, quin ſit adhuc aliquid minus.

Suppono quartò vt certiſſimum, vel plures partes continui ſimul attingi per motum: vel motum conſtare quibuſdam morulis: ſint duo ſpatia æqualia, Vni ſit nomen A. alteri B. certum eſt verſus principium ambobus æquales numero & magnitudine partes reſpondere: tum per A. tranſuolet fulgur ſimul, & teſtudo per B. fulgure pertranſeunte vnam partem, vel teſtudo parem pertranſit, vel non: ſi non, ergo quieſcit; ſi ſic, æquè velociter curreret teſtudo, ac fulgur: vel oportet, vt teſtudine vnam tranſeunte fulgur plures tranſeat. Quòd ſi dixeris fulgure decurrente per vnam partem, teſtudinem vix milleſimam vnius æqualis attingere: contrà, quando illam milleſimam pertranſijt fulgur, vel cum illo eam teſtudo tranſijt, vel certè quieuit, &c.

Ex his

CONCLVDO vt maximè probabile, quòd duo genera partium poteſtate diſtinctarum, vel quomodolibet actu diſtinguendarum ſunt in continuo. Nempe aliæ Mathematicæ, Phyſicæ aliæ: iſtæ ſunt, quæ ſitum externum, & localem aptæ ſint exhibere, & ſecundum quas continuum poſitionem habere, figuris diſtingui, actionem denique agentium naturalium terminare queat, &c. illæ nimirum Mathematicæ ſunt, quæ componunt continuum, prout præcisè conſideratur vt diuiſibile, abſtrahendo à ſitu locali, à figuratione, & à cæteris.

Quoad Phyſicas hæc poſſunt probabiliſſimè affirmari. *Primo*, quòd ſint certæ, ac determinatæ, & finitæ. Hoc probant argumenta 2. §. & id quod paulò ante ex D. Thoma retulimus: *Secundo*, quòd conſequenter detur prima, & vltima, hoc patet ex priori. *Tertiò*, quòd ſint diuiſibiles in plures partes Mathematicas, hoc concedent omnes aduerſarij. *Quartò*, quòd aliquæ ſint partes indiuiſibiles Phyſicæ: idque etiam conſtat ex dictis *Quintò*, denique, quòd hæ partes Phyſicè indiuiſibiles totæ ſimul terminent motum, vel actionem quamlibet Phyſicam: totæ ſint ſimul in minimo loco, ſub minimo ſitu, cum breuiſſima figuratione, &c.

Ratio eſt, quia hæc omnia non cadunt in partem Mathematicam, ſed in Phyſicam: neque enim corpus, aut corporis partes ponuntur in loco niſi Phyſicè, neque terminant actionem, niſi Phyſicè, &c. ſi ergo pars, quæ Phyſicè ponitur in loco, ſub ſitu, & ſub tali vel tali forma, & figura per motum Phyſicum, eſt indiuiſibilis Phyſicè, neceſſe eſt, vt tota Phyſicè ſimul ita ponatur, vel acquiratur, vel formetur, vel figuretur, &c. alioquin ſi per partes his omnibus afficeretur, cum per eas Phyſicè deberet affici, partes alias Phyſicas haberet, & ſic non eſſet indiniſibilis Phyſicè.

Confirmatur, quia ſi forma quælibet naturalis exigit determinatam quantitatem, vt ſuprà ex D. Thoma diximus, nullus eius gradus poteſt ſuſcipi, niſi pars quanti eam admittens, ſecundum totam determinatam quantitatem quam exigit, illam ſimul ſuſcipiat. Sic datur aliqua pars determinato numero partiũ Mathematicarũ conſtans quę tota ſimul recipit primũ & minimum gradum caloris, vel figuram bre-

uiſſimam, vel minimam poſitionem, &c. Ita ex his etiam ſequitur dari minimum locum Phyſicè ſcilicet indiuiſibilem, minimam figuram Phyſicè & ita de cæteris: ſolum in tempore concedi velim inſtans fluens reſpondens numeris æternitatis, vel diuinæ operationis, ſecundùm quos Deus ordinatim fluere facit eſſe creaturarū, vt diximus ſuprà.

QVOAD partes Mathematicas, hæc poſſunt conſequenter inferri: *Primò*, quòd poſſint eſſe indiuiſibiles ſimpliciter, adeoque puncta. hoc probant argumenta §. 2. *Secundò*, quòd plures ad conſtitutionem, & integritatem partis Phyſicæ requirantur, hoc ſequitur ex dictis, nec puto à quoquam improbari. *Tertiò*, quòd modo plures, modo pauciores in qualibet parte determinata, vel determinabili Phyſica contineantur; iſtud conijcio ex illa notabili differentia compactionis, vel tenuitatis, quæ inter partes denſas, & raras deprehenditur, & ſanè, ex quo ſimul conceſſerimus plura Mathematica indiuiſibilia concurrere ad vnicam partem indiuiſibilem Phyſicam, non eſt cur hęſitemus plura, vel pauciora concedere, quæ ſimul coeant, provt forma naturalis, ſiue ſubſtantialis, vt terræ vel ignis; ſiue accidentalis vt denſitas vel raritas exigunt. Ita fiet vt plus materiæ quantæ modo ſub maiori, aliàs ſub minori extenſione facillimè poſſit intelligi, atque inde nulla in explicanda rarefactione reſtet difficultas, quæ alioquin ſemper viſa eſt, ſi qua ſit in tota Philoſophia, intricatiſſima, & penè inſolubilis. Determinare autem quot in vnaquaque parte Phyſica eſſe queant, aut quouſque poſſint multiplicari antequam extenſionem localem, & Phyſicam valeant exercere, illius eſt, qui ſingula *In numero & menſura* compoſuit: ipſe ſcit quibus ſub numeris quaſlibet formas excuderit, quot indiuiſibilia pro ſingulis partibus, & quot partes pro toto, & quam menſuram pro initio, quam pro ſingulis momentis progreſſionis, ac denique quam pro fine debeat res vnaquæque continere.

EX HIS patet primò, quam rectè ſit à Pythagora primùm, deinde à Platone pronunciatum ſæpiùs, quòd Deus vti præcellens Mathematicus, atque ex Mathematico δημιουργὸς, & vniuerſi opifex ex punctis lineas, ex lineis ſuperficies, ex ſuperficiebus corpora, ex his elementa, ex his denique cætera condiderit. Quid enim aliud hoc eſt, quam prima hæc quatuor corpora formas elementares non potuiſſe prius ſuſcipere, quam determinatis & certis partibus Mathematicis fuerint fabricata, & coagmentata?

Patet ſecundò ſolas partes Phyſicas eſſe quæ corpora localiter extendant, & ad poſitionum differentias apta conſtituant. Mathematicæ ſolum diuiſibile corpus reddunt, illique ſitum internum afferunt, aptæ interim componere partes Phyſicas, quæ extendant: non verò ſeipſis extendere. His ſuppoſitis facillime ſoluuntur argumenta contraria.

580

§. 4.

Soluuntur argumenta.

AD primum Reſp. poſſe hoc totum regeri contra ſuos authores, vt conſtat ex quarta ſuppoſitione. Secundò, nego ſequelam: & dico motum quemlibet, quantumuis appareat continuus, per morulas effici, tantò plures & maiores, quantò motus à ſumma velocitate degener fuerit. Nam vt pulchritudo in participante non terminatur, niſi per admixtionem contrariæ informitatis: ita nec velocitas ſine mixtione tarditatis, velocitas autem ipſa pura nullibi eſt, niſi forſan in fluxu, quo Deus eſſe rerum eructat continenter, ac ſucceſſiuè. Morulæ autem poſſunt innumeræ intercidere, quæ nequeant à nobis deprehendi: vnde motus, tametſi plurimum interciſi, nobis apparent continui: ſic tabula læuigata, licet innumeris poris interpolata, nihilominus continua nobis apparet. Neque quæras, à quo fiant illæ morulæ: quidni à debilitate virtutis mouentis? Quidni etiam à limitatione ſubiecti, qua velocitas quoque limitatur? At, dices, in ampla rota non poſſe partes, quæ ſunt prope axem quieſcere, dùm mouentur partes ſupremæ circumferentiæ, niſi diuidantur. Reſp. ſufficere, quòd motus rotæ, quantò magis axi accedit, tantò magis euadat particeps quietis axis; & ſeruetur ſemper proportio minoris ſpatij ad minorem velocitatem. Imo crediderim forte plures partes Phyſicas poſſe ſimul motu Phyſico attingi: cui enim incredibile videatur totum pedem acari poſſe ſimul percurri à manu illum fricante, vel conteri, vel frigefieri: & 100. ſimiles partes ſimul poſſe à ſole tranſigi? &c.

Ad 2. Reſp. indiuiſibilia iuxta ſe poſita, ſi ſint Mathematica, non faciunt extenſum Phyſicè, ſed faciunt diuiſibile Mathematicè, ſicut vnitas addita vnitati facit numerum. Si verò ſint Phyſica, certè faciunt extenſum: nec ſe penetrant, neque contrà hoc vrgent inſtantiæ.

Ad Mathematica vno verbo Reſp. ea omnia ſupponere quòd puncta Mathematica ordinatim digeſta ſint in continuo cum ſitu diuerſo, ſingulis ſingulo reſpondente: quod tamen non dicimus. 2. Reſp. figuras Mathematicas exactè perfectas, vt reſpondent ideis ſuis, vel à Deo, vel ab homine conceptis, non poſſe in rebus Phyſicis reperiri, quia quod participatione fit, nunquam poteſt perfectionem participabilis ſecundùm ſe adæquare.

Hinc Ariſt. *Ex ſenſilibus*, inquit, *quidquam non eſt adeo rectum, aut rotundum: neque item motus, ac reuolutiones cœli ſimiles ſunt ijs, de quibus aſtrologia differit.* Idque ante ipſum multò ſublimius Plato docuerat in 7. de Rep. Ergo negare iure poſſumus illas demonſtrationes exactè poſſe fieri in corpore naturali: eſto fiant in abſtracto, & apud animum Mathematici. Haud refragor. 3 Met. c. 2.

Denique ſi de partibus Phyſicis ſermo fuerit, quæ ſolum ſitum, & figurationes admittunt. Dico lineam quamlibet poſſe in duas partes

Phyſice æquales diuidi, licet in altera forent 1000. puncta pluſquam in altera. Ad cætera Reſp. partes non eſſe actu diſtinctas, in quadrato, triangulo, globo, &c. & ſi diſtinguerentur actu à Deo, diuerſos quaſque angulos habituras, propter modos & figuras diuerſas, ſub quibus diuiderentur: vnde lineam hic longiorem, ibi breuiorem poſſent efficere, hic ſecari per angulos, illic per ſe medias, &c. quæ diutiùs proſequi piget, quoniam figmenta hæc ſunt nullius per ſe vtilitatis. Adde figuras eiuſmodi conſtantes lineis decem vel centum partium Phyſicè indiuiſibilium non occupaturas forte milleſimam partem minimi puluiſculi: vnde iudicet lector, quam vim poſſint habere demonſtrationes allatæ in tam minuſculis punctis. Vt omittam poſſe perfacile retorqueri omnia hæc argumenta in authores: nam ſi in lineis æqualibus debeat eſſe æqualis numeroſitas partium proportionalium, ducantur lineæ ab omnibus partibus proportionalibus coſtæ inferioris ad totidem ſuperioris, an non interſecabunt omnes partes proportionales Diametri? Si aſſeris, ergo diameter erit æqualis coſtæ. Si neges, quomodo tunc reſpondebis, reſpondebimus & nos: ſimiliter ducantur à ſingulis proportionalibus partibus maioris circuli, ad centrum, vel totidem partes minoris circuli contingent, vel non? Ita vrgeberis ſicut vrgebas. Addo negari etiam à præclariſſimis Mathematicis demonſtrari poſſe, quòd à partibus immediatis circuli lineæ debeant vſque ad centrum duci, quin priùs ſe contingant: tametſi contrarium Euclides in ſuis elementis edixerit, ſed hæc ſufficiant.

Ad illud de Concil. Conſtantienſi Reſpondent aliqui quod obijcitur non referri in corpore Concilij, ſed deſumi ex codice cuiuſdam Canonici Colonienſis, quem codicem mendoſum eſſe monet Typographus. Quidquid, ſit tametſi PP. Concilij dictum illud improbaſſent, non id quaſi articulum fidei ſtatuentes dixiſſe credendi ſunt, ſed vt indoctiorem hæreticum traducerent, atque in communi Philoſophia minùs verſatum.

Capvt XLI.

DE MOTV. AN SIT, & quid ſit.

§. I.

Exponitur definitio motus.

Motvm eſſe ſuppono cum omnibus: quis enim id neget? Quid ſit, rationabilius dubitatur.

Tres definitiones adducit Ariſtoteles. Prima eſt *Motus eſt actus mobilis, prout mobilis.* Secunda, *eſt actus entis in potentia.* Tertia,

tia, *Eſt actus motoris, & mobilis, vt eſt poteſtate.* Prima & ſecunda idem exprimunt: ſolùm hoc eſt diſcrimen, quòd prima per terminos magis Phyſicos, ſecunda verò per Metaphyſicos aſſignetur. Ambæ materiale motus, quod eſt mobile; & formale, quod eſt actus, exponunt: de tertia diſſeremus inferiùs, nunc præfatas explicemus.

Notandum ergo eſt ab actu & potentia diuidi omne ens, nam quidquid eſt, aut eſſe qualitercumque poteſt, vel actu eſt, dum exiſtit; vel poteſtate, dum poteſt fieri, vel exiſtere. Cùm autem è potentia tranſit in actum, moueri dicitur: ſic dum aqua ſolùm calefactibilis eſt, in potentia eſt: dum è calefactibili fit calida, fit in actu. Et is actus, fluxuſque caloris è poteſtate aquæ in actualem eius exiſtentiam emergentis, dicitur actus entis in potentia, vt in potentia.

Notandum vlteriùs illud *In potentia* poſſe dupliciter intelligi: primò ſimpliciter, vt omnino non ſit actu, neque quidquam actûs habeat; ſecundò quoad inchoationem, vt actus inchoatus iam ſit, necdum tamen vltimò acquiſitus. Quamobrem, ſubiectum quod tale actus inchoamentum gerit, ad reſiduam eius perfectionem progrediens propriè dicitur ens in potentia vt in potentia, ſicut dum aqua leuiter calefacta in procinctu eſt, vt magis calefiat, & vt loquuntur, in via ad calorem auctiorem. Iuxta vtrumque hunc ſenſum, poſſet intelligi data definitio: ſed communiter, & magis appoſitè ad mentem Ariſtotelis ſolùm debet vſurpari iuxta ſecundum, ita vt motus ſit fluxus formæ iam inchoatæ ad vlteriorem perfectionem procedentis: at iuxta primum ſenſum eſſet fluxus formæ è non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter tranſeuntis, vel abſoluta inceptio formæ, & hoc ſenſu definitio poteſt haud dubiè illuminationi, cæteriſque mutationibus inſtantaneis extrà motorem tamen editis, attribui.

Notandum tertio in hac definitione Ariſtotelem vſum fuiſſe nomine ἐντελέχεια, quod aliquid negotij faceſſit interpretibus, eo quòd non conſtans ſit apud illum proprium eius ſignificatum. Alij cum Cicerone vertunt *Continuam agitationem*: alij cum Hermolao Barbaro *perfecti adeptionem*, nonnulli cum Budæo *efficaciam*, Ariſtoteles item modo ἐνεργείας, aliàs ἐντελεχείας voce vtitur: & hac vltima quandoque omnem animam, aliquando Deum ipſum, hic verò actum imperfectum intelligit, quo ſatis ſuperque innuitur eo nomine actum quemlibet indifferenter denotari.

Plato paulo aliter de motu ſenſit. Duplex illius genus admiſit, vnum in ente primo & archetypo; aliud in natura corporea per ſe fugace & fluxa: illic motum dixit vitam incommutabilem diuinæ mentis, quæ ſemper in ſe reflexa, intelligendo quodammodo ſeſe mouere cenſenda eſt, reiectis omnibus defectibus reliquorum motuum. De hoc motu loquuti ſum' in Log. c. 21. §. 2. In natura corporea motum definijt *Actum diuerſi*: propterea, inquit Plotinus, quòd motus proprium ſit, *Vt quod mouetur, non ſit poſteà in eodem, in quo prius fuerat, neque quieſcat omnino, ſed quatenus adeſt motus ſemper ad aliud perducatur; comitemque ſemper alteritatem habeat, eo quòd non maneat in eodem.*

Enn. 6.l.3. c.22. Hinc ipſe Plotinus idem exprimit alia deſcriptione, quæ mihi videtur luculentior, nempe motus eſt *Progreſſio, ſiue exitus ex potentia, & ex eo quod eſt poſſibile in actum*. Hæc ſatis euidens eſt ex primo notando. Duo ſolùm hic annoto, *Primum*, quod Platonicè heîc motus debeat intelligi, prout eſt genus ad mutationes qu libet tam ſubſtantiales, quam accidentales: cùm Ariſtoteles hic eum ſumat, quatenus à mutatione diſtinguitur, vt dicemus. *Secundum*, quòd vt ſeruetur quædam analogia motus participati ad motum archetypum, ſolet quandoque, & vita quædam corporum nuncupari, vt apud Plotinum ſuprà.

Iam quoad tertiam deſcriptionem, *motus eſt actus motoris & mobilis prout eſt poteſtate*: notandum eſt eâ duo declarari: primò cauſam efficientem vltrà materialem & formalem: ſecundò quod vnus & idem ſit actus motoris, & mobilis: neque enim duos actus reipſa diuerſos admittit, à quorum altero mouens, & ab altero mobile denominentur, quandoquidem motor omnis actu aliquo mediante mouet, eodemque dicitur actor ſubiecti mobilis. Ergo eodem actu, quo mouet agens, mouetur patiens: & quemadmodum eadem via decliuis & accliuis eſt; licet ob diuerſos reſpectus, modo decliuis ſolùm, vt reſpectu deſcendentium, aliàs accliuis: vt reſpectu aſcendentium; ſic idem actus eſt, quo mouens agit, & actuatur mobile, tamen ob diuerſos reſpectus diuerſas induit notiones, vt ab agente actio; paſſio vt in patiente. Vnde ob hanc connotationum, & relationum varietatem non poteſt dici, quòd agere ſit pati, quod docere ſit diſcere, &c. licet alioquin eâdem eruditione, quâ quis docetur, doctor erudiat. Vtrumque hunc ordinem eiuſdem actus ad motorem, & ad mobile diſertè Plotinus explicat his verbis. *Eſt autem motus, qui circa ſenſibilia verſatur, ſtimulus quidam, vel impetus ab alio in aliud vergens, & excitans, & impellens participem motionis ne torpeat, neque maneat in eodem.* Et mox *oportet profectò motum, neque à mouente diſiungi, neque in ipſo eſſe, ſed ex ipſo quidem, & in aliud emanare, neque in alio quouis eſſe à motore diſiunctum: imò verò ab hoc in illud velut ſpiritum, atque afflatum in aliud influentem.* Enn. 6.l.1. c.23.

Hactenus Platonici cum Ariſtotele conueniunt. Diſſentiunt verò in hoc maximè, quòd illi vim motricem non à formis corporeis, ſed à Deo intrinſecus mundanam hanc machinam agitante naturaliter dimanare conſtituant, atque ita motum à Dei mente per animam mundi tandem in materiam deſcendere, indeque tam potentiam actiuam agentium, quam paſſiuam materiæ participari: denique vim motricem, à qua omnis eſſentialiter motus pendeat, eſſe actum quemdam ſubſtantificum, & vigorem perenniter à Deo manantem, cuius efficacitate actiuis paſſiua coaptentur, & ab illis in hæc actus exorientes progrediantur, & exeant, atque in his ab illis recipiantur. quorum nihil voluit Ariſtoteles.

§. 2.

Quomodo ſe habeat motus ad actionem & paſſionem: nec non ad mutationem inſtantaneam.

TAMETSI conſentiant omnes motum eſſe fluxum quemdam, quid tamen fluxus ille ſit, quoue in prædicamento locandus, maximè diſſentiunt. Difficultatem auget Ariſtoteles, dum ea de motu perſæpe tradit, quæ ſibi non parum repugnare videantur: in prædicamentis eum inter ſpecies quantitatis enumerat; deinde poſt prædicamentum facit. Hic cum actione ac paſſione confundit, vnicum eum faciens actum actiui ac paſſiui, vt ſuprà diximus, ſed ea ferme omnia explicata iam ſunt in Logica c. 33. §. 4.

Breuiter hæc pauca ſubdiderim. *Primum*, motus non eſt formaliter actio & paſſio; primò, quia actio & paſſio conſtituunt duo ſumma prædicamenta: ſunt correlatiua, per ſe non inuoluunt ſucceſſionem, &c. Sed oppoſita dicuntur de motu. Ergo hic ab illis formaliter diſtinguitur: ſecundò, diuerſi ſunt termini, ac diuerſæ denominationes, nam v. g. ignis dicitur mouere & agere; aqua verò moueri dicitur, non agi: calor dicitur agi, non moueri; &c. item motus dicitur fieri in aqua, moueri non dicitur, &c. Ergo vt prius.

Secundum, motus diſtinguitur ab actione formaliter, eo quòd præcisè abſque vllo ad agens, patienſue ordine, tranſitus ſit è potentia in actum. Sic in nullo prædicamento eſt: eſt tamen ad multa, vt dicemus inferiùs; neque opus eſt vt genus illi aliquod ratum, ac diſtinctum quæramus, ſiquidem ita neque ipſe quidpiam eſt reuera diſtinctum à terminis. Quare motus eo ſenſu actus eſt aliquis, vt è non eſſe ad eſſe progrediens: qui ſi connotet agens à quo fit, *Actio*; ſi ſubiectum in quo recipitur, *Paſſio* denominatur: ſi ſubito erumpit, *mutatio*: ſi ſucceſſiuè, *motus*. Ob numerum prioris & poſterioris, qui ea in ſucceſſione continuè fluit, *quantitas* vtcumque eſt. Denique ad prædicamenta terminorum, à quibus non diſtinguitur, haud immeritò reuocatur. Sic nulla in Ariſtotele inconſtantia, at nec modus in motu eſt vllus: quippe quòd cum præfatis reſpectibus & connotatis, abunde omnia, vti par eſt, explicentur.

Tertium: definitio motus ſuperiùs allata optimè poteſt mutationibus inſtantaneis adaptari. Ita Iauellus, & alij multi Thomiſtæ: quod vt melius intelligatur, nota ex Ariſt. duplicem eſſe motum, vnum Phyſicum; alterum intentionalem: illum vocat *Actum imperfecti*, 3. de anim.
quem in 3. Phyſ. expreſſit per *actum mobilis*, *vt mobilis*: ac talem ait eſſe generationem & alterationem. Iſtum verò, ſc. intentionalem deſcribit *actum perfecti*, vt intelligere, ſentire, &c. Hinc tota difficultas eſt, quomodo poſſit mutatio inſtantanea vt illuminatio, dici actus imperfecti, ac diſtingui à motu intentionali: nam actus qui ſimul totus

acquiritur, ſimul ſubiectum perficit, atque ita efficitur actus perfecti. Ad hoc breuiter dico per *Actum imperfecti* ſolùm hoc denotari, quòd ſubiectum motus Phyſici, ex ſe ſolum ſit in potentia paſſiua, & non in actu virtuali ad formam recipiendam, ſicut aër eſt in mera potentia luminis recipiendi, & ita eſt ens imperfectum, & in potentia, necnon & mobile ſolùm, vt mobile, & non vt motiuum: ideo illuminatio, licet inſtantanea, eſt ſimpliciter actus imperfecti, & entis in potentia vt ſic, &c. aliud eſt de motu intentionali, quia eius ſubiectum, cum ſit ipſummet principium actiuum, eſt in actu ſaltem virtuali. Ideo eſt ens perfectum, nec habet rationem entis purè in potentia: vt intellectus reſpectu intellectionis; hinc intellectio ſe habet ad intellectum, vt actus ad principium actiuum; & formale, à quo ſuam ipſe perfectionem elicit: illuminatio verò, generatio, &c. ad ſubiectum vt paſſiones ad pura ſuſceptacula. Ita vides motum Phyſicum ſemper effici cum tranſmutatione ſubiecti, quod ſufficit.

§. 3.

Vtrum motui eſſentialiter competat ſucceſſio.

DVPLICITER accipi poteſt motus: primò ſecundum rei ſignificatæ veritatem: deinde ſecundum vulgarem nominis ſignificationem. Primo modo dixerim eſſe ipſam præcisè adeptionẽ nouæ formæ. Secundo modo eſt eadem adeptio, quatenus cum fluxu, & cum ſucceſſione aliqua fit: nam ita iamdiu inter Philoſophos, præſertim Peripateticos conuênit, vt motûs nomine ſolùm eum tranſitum è potentia in actum, qui cum ſucceſſione fit, intelligerent. Quare ſi ſolùm quæritur, vtrum motui prout ſub eo vulgari ſignificatu accipitur, formaliter conueniat ſucceſſio: haud dubiè id certum eſt: at ſi quæſtio ſit, vtrum poſſit eſſe noui actûs exortus aliquis, ſeu adeptio nouæ formæ, quæ nedum denominatiuè, ſed etiam eſſentialiter fiat cum ſucceſſione, fluxuſque ſit ſecundum prius, & poſterius numerandus: erit tum certè quæſtio de re, non de ſolo nomine, vt prior. Id autem

Negant *Nominales*: affirmant ferme reliqui. Quibus perpetuo fauet Ariſtoteles: in 4. enim Phyſ. t. 132. probat omnem motum, ipſamque adeo generationem, & accretionem tempore menſurari, idem in 5. ſed cumulatiùs in 6. vbi omne quod mouetur, vult partim eſſe in termino à quo, & partim in termino ad quem: huc facit notatio nominis Græci, quo mutatio ſolet exprimi, ſc. μεταβολή, quod quaſi aliud poſt aliud ſignificat, vt dicitur 5. Phyſ. t. 7.

Notandum eſt in motu aliud eſſe, an ſemper & naturâ fiat ſucceſſiuè: aliud an eſſentiâ & per ſe ſucceſſionem ſibi propriam vendicet. Verum primum, ſecundum falſum eſſe poteſt: id enim naturâ fit ſucceſſiuè, quod ſecundum ordinem, curſumque diſpoſitionis à Deo rebus naturalibus præſtitutæ, nequit ſimul totum exiſtere, ſed parte parti ſuccedente. Eſſentiâ verò id ſucceſſiuè fit, cui abſolutè ſecun-

dum ſe ſumpto fluxus competit tamquam eſſentia, vel eſſentiale prædicatum, quod ab illo ſine ipſius deſtructione, tolli ſit impoſſibile. Sic ſucceſſiuè augeſcere animantibus natura competit, at non eſſentia: quia non repugnat illis totam ſimul debitam magnitudinem adhiberi; ſicut reuera contigit in prima earum creatione. Sit ergo iam---

Conclvsio prima: Nulli motui ſecundum rei veritatem eſſentialis eſt ſucceſſio: patet hoc inductione: omnis motus vel eſt ad ſubſtantiam, vt generatio; vel ad quantitatem, vt accretio; vel ad qualitatem, vt alteratio; vel ad locum, vt latio. Iam de generatione hoc omnes concedunt; de accretione hoc docuit Auicen. dicens accretionem fieri per minima ſubſtantiæ, quæ acquiruntur ſine tempore; In l. de Gen. & corrup. 23. & Ariſt. id confirmat in 8. Phyſ. t. 23. *Neque augeri*, inquit, *neque minui poſſibile eſt continuè*, i. ſucceſsione continua: de alteratione: item ibidem docet, *coagulationem lactis, & congelationem aquæ ſimul fieri*. Denique de motu locali poteſt id ex præfatis verbis erui, ſiquidem congelatio ſine motu locali non fit. Adde ſequens argumentum; non repugnat ſimul acquiri locum diuiſibilem. Ergo ſucceſsio non eſt de eſſentia motus localis vt ſic. Conſequentia patet ex notatione ſupradicta: Antec. probatur, tum quia poteſt Angelus ſimul acquirere ingentem locum; tum quia poteſt per ſupernaturalem multiplicationem præſentiæ idem corpus ſimul diuerſis locis adæquatis continuis applicari. Ergo tunc eſſet motus localis, id eſt; adeptio noui loci ſine ſucceſsione temporanea. Denique in momento, quo prima pars loci Phyſicè indiuiſibilis attingitur, eſt verè & eſſentialiter motus localis: & tamen non eſt ſucceſsio. Hinc Porphyrius apud Simplicium in primum Phyſ. cum multis aliis antiquis voluit dari mutationes inſtantaneas, i. acquiſitionem formæ, quæ fit ſingulis inſtantibus temporis, eſſe motum formaliter. Ergo motus vt ſic, & ſecundum rei veritatem non eſt per eſſentiam ſucceſsiuus.

Conclvsio 2. Dantur multi motus; qui naturâ ſua ſunt ſucceſſiui. Hoc patet experimento motuum localium, calefactionis, &c. Solùm quæri poteſt, vnde tunc ſucceſſionis naturalis hæc neceſſitas oriatur. Cum enim ſucceſſio ex diuiſibilitate naſcatur, (ſupponit enim prius & poſterius, atq; adeo partes,) multiplex ea deſcribitur: eſt enim primo diuiſibilitas ſubiecti: ſecundo, ſpatij, tertio, formæ; quartò, temporis: ex prima contingit ſucceſſio, quando vna pars ſubiecti prius mouetur quam alia, vt cum digitus primò friget; deinde manus, tum brachium, &c. ex ſecunda, vt cum vnum ſtadium, deinde aliud percurritur, &c. ex tertia cum eadem pars aquæ magis magiſque calefit; &c. quarta eſt ipſa formalis ſucceſſio. Prima diuiſibilitas eſt extenſiua, ſecunda, progreſſiua: tertia, intenſiua. Iam Ariſtoteles ſæpe docet 1. de Gen. t. 62. ſucceſſionem duci ex ſubiecto: aliquando ex forma: quandoque ex 4. Phyſ. 97. ſpatio; verùm hæc ſeſe habent per accidens: nam poteſt mobile ſimul ſecundum omnes partes moueri, vt cum totum hoc aëris hemiſphærium ſimul illuminatur: poteſt item diuiſibile ſpatium ſimul occupari, vt fit ab Angelo; poſſunt denique plures gradus formæ ſimul cōparari,

vt dum vna excellenti demonſtratione vnicus admodum intenſus doctrinæ habitus gignitur. Ergo ſucceſſionis radix petenda eſt ex reſiſtentia, quam vel externa quædam cauſa inducit, prohibens ne totum tam ſubitò fiat: vel interna etiam, vt dum interior aquæ frigiditas moras nectit calori ab igne inducendo: vel ipſa mobilis finitudo, aut inhabilitas, vt contingit in motu locali corporum; quæ cùm nequeant pluribus locis adæquatis ſimul coëxtendi, & aliũd e vnum ſemper occupent integrum: neceſſe eſt vt priorem deſerant, poſteriorem aſſecutura. Atque ſic Reſponderi poteſt ad Ariſtotelem ſuprà citatum, cuius argumenta hoc ſolùm probant, quòd motus naturales fiant neceſſariò ſucceſſiue, quomodo autem ſucceſſionem hanc explicet, dicetur inferius.

In 3. Phyſ. c. 3.

CONCL. 3. ſucceſſio temporis eſt extrinſeca motui, Ita Toletus: nec ſenſus alius eſſe poteſt, niſi quòd in eſſentia motus non includatur. Ratio eſt, quia ſub eadem huiuſmodi ſucceſſionis menſura, plures vel pauciores partes motus poſſunt fluere. Item quia poteſt eſſe motus quoad eſſentiam abſque ſucceſſione, v. c. 35. §. 3.

CONCLVSIO 4. Nulla in motu dari poteſt ſucceſſio, cui non competat interna, & eſſentialis notio temporis: contrà *Toletum* & alios patet, quia illi procul dubio integra temporis definitio plenè & adæquatè conuenit: ineſt enim illi numerus ſecundùm prius & poſterius. Quamobrem omnis ſucceſſio, fluxuſque in numero prioris & poſterioris decurrens, duratio eſt temporalis, à tempore interno pendens, & demonſtranda per externum.

Dices. Motus eſt formaliter fluxus. Fluxus autem eſt eſſentialiter ſucceſſiuus. Ergo, Reſp. Nego Ma. quia vt diximus eſſe poteſt ſine fluxu. Eſt igitur formaliter ſolùm exitus è potentia in actum: verùm ſecundùm quid nominis, eſt ille exitus includens fluxum, & ſucceſſionem: in quo erit quæſtio de voce tantùm.

Vrgebis. Motus à mutatione ſolùm eò diſtinguitur, quòd ille ſit ſucceſſiuus, iſta verò inſtantanea. Ergo. Reſp. 1. negari poſſe Antec. cum Piccolom. Hic & aliis, qui tuentur illuminationem, aliaſque productiones inſtantaneas verè, ac formaliter eſſe motus. Item generationem etiam fieri ſucceſſiuè ob longos alterationum, & diſpoſitionum præuiarum apparatus; cùm tamen generatio vocetur mutatio: diſtingui verò motum à mutatione ex terminis; quod ille ſit à contrario ad contrarium, vt è nigro in album, aut contra; iſta verò tanquam è contradictorio in contradictorium, ſuppoſito tamen ſubiecto, quod ſit ens in potentia & nihil dum actu. Ita hi authores circumſcribunt generationem ſubſtantiæ atque eius corruptionem: idem ex ipſomet Ariſt. 5. Phyſ. deſumunt: quare ſentiunt ſolam propriè tranſmutationem ſubſtantialem dici mutationem; cæteras vero, motus. Alij nomen motûs, ſolis mutationibus temporaneis adiudicant. Sed quæſtio eſt de nomine: quare non multùm refert, quid quiſque aſſignato motus, vel mutationis nomine interpretari conſtituerit.

CAPVT XLII.
DE TERMINIS MOTVS.

§. I.

Quid ſint, & quot ſint termini motus.

DVOBVS terminis omnis motus concluditur, nempe termino *à quo*, & termino *ad quem*: ille eſt, à quo motus incipitur, iſte ad quem terminatur, vt cum è nigro fit album: nigrum eſt *terminus à quo*; album eſt *terminus ad quem*: vterque poteſt eſſe poſitiuus, vt nigrum: vel negatiuus, vt non album. Ariſtoteles poſitiuum vocat *ſubiectum*; negatiuum, *non ſubiectum*: hinc 4. genera combinationum elicit: 1. ex ſubiecto in ſubiectum; 2. è non ſubiecto in non ſubiectum: 3. ex ſubiecto in non ſubiectum: 4. è non ſubiecto in ſubiectũ: ex his ſecundam combinatiomem reiicit, quia motus, inquit, debet eſſe inter terminos oppoſitos: duo autem termini negatiui non ſunt oppoſiti: reſtat ergo, vt tres aliæ ſint motibus conſtituendis, & diſtinguendis idoneæ. Eſt ergo ſenſus eiuſmodi: ambo termini motus, vel ſunt contrarij poſitiui, vt album & nigrum; & ab hoc in illud eſt motus: vel ſunt oppoſiti priuatiuè, ſiue contradictorie, vt viuens & mortuum; & inter hos eſt mutatio ſubſtantialis, quæ ſi ſit à poſitiuo ad negatiuum, vt è viuente ad mortuum; corruptio; ſi ſecus, à negatiuo ad poſitiuum, vt è mortuo ad viuens, generatio appellatur. l. 5. Phyſ.

Notandum eſt autem maximè ab Ariſtotele per non ſubiectum intelligi non ens ſimpliciter, vt *non homo*, *non ignis*, &c. ac ita priuationem formæ ſubſtantialis denotat, quæ ſoli materiæ primæ ineſt, enti vt diximus c. 5. §. 2. penitus informi ac potentiali: cum verò dicimus *non album*, *non candidum*, ſignificatur ſolùm non ens ſecundùm quid, hoc eſt, ens actu, (nempe ſubſtantia) quodam vlteriore actu accidentali deſtitutum.

Hactenus genericam & primam diuiſionem terminorum vidimus, ſupereſt vt ſpecialem examinemus, nempe quot ſint termini, ad quos motus eſſe poteſt. Recidit hæc quæſtio in hanc aliam, ad quæ prædicamenta ſit per ſe motus. Dico *per ſe*, hoc eſt non per aliud, ſed ratione ſui: per aliud namque album dicitur calefieri, ambulare, &c. per ſe verò aqua calefieri, homo ambulare, &c. in hoc ſenſu quæritur, quęnam ſint, quæ per ſe motum terminant. Atqui ex dictis iam patet ſubſtantiam in primis conſtituere terminum mutationis ſubſtantialis: ſupereſt, vt de motu accidentali diſputemus.

Notandum eſt priùs tres ex Ariſtotele ſolere conditiones animaduerti, vt quidpiam motum per ſe terminet. Prima eſt, vt termini motus ſint oppoſiti, & quidem contrariè, quoniam ſeſe mutuo expellunt: ſecun-

da, vt ſint poſitiui, hoc enim requirit Ariſtoteles, dum vult motum fieri à ſubiecto in ſubiectum: vnde ſolet à tam multis Philoſophis eo potiſſimùm titulo à mutatione diſtingui: tertia conditio eſt, vt terminus ad quem habeat partes, quæ poſſint acquiri ſucceſſiuè. Hanc adiungunt, qui ſucceſſionem putant motui eſſentialem eſſe.

Conc. tria duntaxat ſunt prædicamenta, quæ per ſe motum accidentalem terminant, nempe *quantitas*, *qualitas*, *vbi*; nam quæcumque Phyſicè mouentur, ea vel augentur, & motus eſt ad quantitatem; vel alterantur, & eſt ad qualitatem; vel è loco in locum transferuntur, & eſt ad vbi. Neque ſi generationem exceperis, vlla ſolet alia dari ſpecies, quæ ſaltem ad dictos motus non reuocetur, vt dicemus infrà *c. ſeq.* Item prædicta prædicamenta tribus conditionibus enumeratis pollent. In quantitate *maius & minus*, quibus crementum & decrementum inuicem fiunt, pugnantque: in qualitate *magis & minus*, quibus intenſio, & remiſſio: in vbi *dextrum & ſiniſtrum*, &c. quibus acceſſus, & receſſus alternantur, ſe habent reuera vt termini oppoſiti & poſitiui, aliunde his ineſſe partium rationem extra dubium eſt.

Cætera verò vel has conditiones non habent vt ſubſtantia, cui nihil eſt contrarium, ideóque ad eam non eſſe motum aſſerit Ariſt. in 5. Phyſ. vel realem ac Phyſicam mutationem ſubiecto non inducunt: neque actione Phyſica immediatè, ac ſecundùm ſe, parturiuntur, vt relatio, quæ ſolum ex actione per ſe ad eius fundamentum terminata mediatè reſultat; & ſæpe in ſubiecto penitus inuariato exurgit. Actio autem, & paſſio ſunt reſpectus in motu fundati: *ſitus*, & *habere* reſultant ex motu locali: denique *quando* ex innata & immutabili dependentia *eſſe* cuiuſlibet, eiuſue partium à tempore in vnoquoque ſine actione vlla per ſe ad illud terminata, innaſcitur. Ergo reſtant quantitas, qualitas, & vbi; aut ſi mauis locus ipſe.

§. 2.

Obiecta diluuntur.

OBiicies primo: quantitati non accidit contrarium, vt diximus in Logica; nam magnum & paruum opponuntur relatiuè, non contrariè: ſecundò contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtãt: at non poſſunt duo in genere quantitatis diſtare maximè, quia poſſunt quælibet quanta in infinitum diminui, vel creſcere.

Ergo ſaltem ratio Ariſtotelis non valet, qua dixit motûs terminos contrarios eſſe oportere. Reſp. Contrarietatem hic non tam exactè ſumi, ac in Logica: vnde & priuationem pro contrario admittit: *Priuatio*, inquit, *ponatur contrarium*, *& monſtratur affirmatione nudum*: ad hanc ergo contrarietatem ſufficit, vt vnum expellatur ab altero, & ambo, ſint entia ſimpliciter: licet autem idem poſſit eſſe maius, & minus reſpectu diuerſorum; at non reſpectu eiuſdem: elephas eſt quidem minor monte, maior formica: ſed ſecundum ſe nequit è

minore

minore fieri maior, niſi ceſſando eſſe minor: neque requiritur vt non poſſit maior inter terminos diſtantia cadere: nam cum aqua calida vt 2. fit calida vt 6. verus eſt motus, neque tamen termini graduum vt 2. & vt 6. maximè diſtant. Hæc ergo maxima diſtantia non exceſſum maximum notat; ſed mediam contemperationem excludit.

Dices, ſaltem qualitas non habet contrarietatem ſecundum id, ratione cuius habet partes: has enim habet ob quantitatem virtutis, ſeu intenſiuam: illam verò ſecundum eſſentiam ex D. Th. hic. Reſp. ſufficere, ſi qualitas quæ habet partes graduales, vel intenſiuas, habeat contrarium: deinde vtrumque ex eſſentia prodit, vt proprietas, ideo in hoc ſenſu, vtrumque etiam eſt ſecundum eſſentiam.

Obiicies 2. Quantitas acquiritur in inſtanti, vt & ſubſtantia, quæ augetur. Ergo ad eam non eſt motus. Reſp. Grauem hic tangi difficultatem de augmenti & nutritionis motibus, quam expendemus alibi, ſolum ſufficiat nunc dicere, quantitatem in augmentatione acquiri ſucceſſiuè, ac tum etiam ſubſtantiam ſucceſſiuè per nutritionem augeſcere: quia ſic augeri non eſt aliud, quam plures partes quantitatiuas acquirere, ſiue fieri maiorem: nec video cur creditu difficilius eſſet, partes ſanguineas ſucceſſiuè in carneas conuerti; quam frigidas in calidas. Adde ſecundum multos accretionem non fieri ſucceſſione continua, ſed diſcreta, i. per intercalata temporis interualla, vt ex 8. Phyſ. t. 23. infertur, de quo poſtea.

Obiic. 3. Calor qui conſequitur formam ignis, non terminat per ſe vllam Phyſicam actionem. Ergo ad eum non eſt motus. Reſp. Eſto, an propterea nullus calor immediatè ſecundûm ſe producetur? Fatemur quidem motum per ſe non terminari ad omnem qualitatem, vt neque ad intellectum, voluntatem, &c. neque ſemper ad eandem qualitatem, ad quam aliquando eſt: ſed ſufficit, ſi vel ſemper, vel aliquando, vel ad aliquas per ſe terminetur. Neque etiam opus eſt, vt actio, qua reſultant, aliam anteriorem non comitetur: nam ad ſecundas qualitates, cuiuſmodi ſunt albedo, ſapor, &c. eſt per ſe motus, licet ex productione primarum oriundus.

Obiic. 4. In motu debet mobile eſſe partim in termino à quo, & partim in termino ad quem; ſi ergo locus ſit terminus per ſe motus, deberet mobile ſimul in duobus locis conſtitui: quod eſt falſum. Reſp. Nego conſeq. Senſuſque antecedentis eſt, vt in percurrendo medio pars ſecunda ſit terminus *ad quem* motus iam confecti à prima parte; & terminus *à quo*, motus procedentis ad tertiam, & ſic deinceps.

Obiic. 5. Ariſt. 1. *Phyſ. t. 62.* ait 9. prædicamenta accidentium gigni ſubiecto aliquo: *&* 3. *Phyſ.* 5. tot eſſe ſpecies motus, & mutationis, quot entis, &c. *Confirmatur*, quia in quolibet prædicamento ſunt actus & potentia: at hoc quidni ad motum, qui exitus eſt à potentia in actum, ſufficiet? Ideo Simplicius aſſerit ad omnia prædicamenta motum dari. Reſp. tamen explicandum eſſe Ariſtotelem: ſolum enim vult ad omnia eſſe motum, vel per ſe & primo, vti ad 4. relata: vel per accidens, aut per conſecutionem, vti ad reliqua. In 5. Phyſ. t. 5 & 20.

§. 3.

An & quomodo motus ſpecificentur à terminis.

SVNT qui velint motus ſpecificari ſimul ab ambobus ſuis terminis, & inſuper à medio, per quod fiunt. Ita *Burlaus Alb. de Saxonia,* &c. nihilominus ſit

CONCLVSIO: Motus ſpecificatur à termino *ad quem,* non à termino, *à quo*: ita D. Thom. hic: *Motus*, inquit, *non accipit ſpeciem à termino à quo; ſed à termino ad quem.* Item, *Nihil refert quantum ad rationem dealbationis, vtrum ille qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, aut rubeus.* Iſtud autem deducitur ex text. 31. l. 5. Phyſ. vbi Ariſt. ait omnem dealbationem, (ſcilicet vndecumque fiat,) eiuſdem eſſe ſpeciei. *Omnis igitur dealbatio omni dealbationi idem ſecundum ſpeciem erit: & omnis denigratio denigrationi.*

q. 31. a. 1. ad 1.

Ratio eſt per ſe manifeſta. Eſt enim motus nihil aliud, quam terminus, provt inceptionem, vel ſucceſsionem connotat: quomodo ergo ſpeciem ab illo ſuam non deriuabit? Rurſus motus ab illo termino nomen, diſtinctionem, definitionem, naturam & omnia mutuatur; quid, annon & ſpeciem? & vnde quæſo motus aliquis calefactio, vnde is à frigefactione vel dealbatione diſtinguitur: vnde habet vt ſit actus entis calefactibilis, vt calefactibile eſt, niſi à calore? Addit D. Thom. ipſo motu deſtrui terminum *à quo*, & acquiri terminum *ad quem*: vnde is cum priori termino repugnantiam habet: conuenientiam verò cum poſteriori.

In 5. Phyſ. lect. 6.

Interim ex eod. S. Thoma ibidem notandum eſt, quòd *vt motus ſit idem ſpecie, non ſolum requiritur identitas termini ſecundùm ſpeciem, ſed etiam identitas eius, per quod tranſit motus: manifeſtum eſt autem, quòd linea recta, & circularis, ſunt diuerſa ſecundum ſpeciem: vnde motus circularis, & rectus, & voluntarius, non ſunt idem ſecundum ſpeciem: quamuis ſint circa eoſdem terminos: quia via non eſt eadem ſecundum ſpeciem: ſed ſi ſint iidem termini, & eadem via ſecundum ſpeciem, ſunt idem motus ſecundum ſpeciem.* Hæc ſatis aperta ſunt, nec puto quidquam addi oportere: ſolùm notauerim eſſe quoſdam, qui aſſerant motum rectum & circularem ad eundem terminum, differre ſolum ſpecie accidentali, non eſſentiali, eo modo, quo linea recta, & linea curua ſolum accidente ſpecifico differunt: verum planius eſt, quod hic ait D. Thom. & hoc inde poteſt illuſtrari; quòd medium illud cenſeatur vnum quid cum termino *ad quem* facere: quatenus conſideratur terminus *ad quem* vt hoc vel illo medio comparandus: quod enim obiectum eſt ad ſcientiam, id terminus eſt ad motum: obiectum idem ſecundum ſe, ſiue materialiter, poteſt diuerſum haberi ſub ratione obiecti ſcibilis. Quomodo Deus vt reuelatione noſcendus, aliud obiectum eſt à ſeipſo, quatenus ratione poteſt internoſci. Sic idem locus, vt terminans motum circularem, alius eſt terminus *ad quem*, quam vt terminans motum

rectum: quia nimirum alia & alia via eſt acquirendus, & cum via recta vnum continuum facit terminum *ad quem*; ſicut motus ad illum per hanc continuus eſt.

Hinc patet ſolutio multarum inſtantiarum. Nam ſi quis lapidem proiecerit ad feneſtram 2. pegmatis, & ad eandem alius è tecto deciderit. Si ex albo fiat fuſcum, itemque ex nigro. Si ex bipedali fiat quantitas tripedalis; item etiam ex quadripedali, &c. Idem videtur eſſe terminus *ad quem*, & diuerſi ſpecie motus: cùm ſint oppoſiti: illinc enim ſunt aſcēſus & deſcēſus: hinc accretio & diminutio, &c. R. iuxta prædicta, quod in his caſibus, terminus non ſit idem in ratione termini, nam reſpectu diuerſorum induit etiam rationes oppoſitas. Feneſtra ſecundi pegmatis reſpectu terræ, ſuperior eſt; reſpectu tecti, inferior: hinc prior lapidis motus eſt aſcenſus; poſterior, deſcenſus. Fuſcum reſpectu albi eſt nigrum: & motus ad illud eſt inchoata denigratio; reſpectu nigri eſt album, & dealbatio eſt. Tripedalis quantitas reſpectu bipedalis eſt maior, & terminat accretionem; reſpectu quadrupedalis eſt minor, & edit decretionem.

Sed inquies, quòd terminus haſce rationes habeat ita oppoſitas, hoc prouenit ex termino *à quo*, nam in ordine ad illum dicitur ſuperior, albior, maior, &c. Ergo ſic ſaltem motus à termino *à quo* ſpeciem deſument ſuam. Reſp. Complutenſes aiunt terminum dici per ſe ſuperiorem, maiorem, &c. ſine reſpectu ad terminum à quo, niſi ſolum per accidens, ſed malo Reſpondere ſecundò ſic: concedo totum, in eo ſenſu, vt hinc deſumant ſpeciem remotè tantum, ac connotatiuè, i. à termino ad quem proxime prout tamen connotat terminum à quo: Reſp. 2. Nego antec. & dico, terminum ad quem dici ſuperiorem, &c. ex continuitate quam habet cum medio, ratione cuius eſt reuera alius terminus ad quem: vnde & medium ipſum eſt terminus ad quem mediatus. Adde quod acceſſus ad vnum eſt receſſus ab altero: quare quatenus receſſus, dici poteſt ſpecificari à termino *à quo*, non verò vt acceſſus. Hinc cum à nigro fit rubrum, in hac rubricatione continetur nigredinis deſtructio, quæ in ea non contineretur, ſi fieret ex albo: ideo ratione illius deſtructionis cenſetur alius motus.

Dices, motus eſſentialiter exigit duos terminos. Ergo ab illis eius dependet eſſentia. Hoc autem an non eſt ſpecificari? Reſp. concedo Enthymema, & nego ſubſumptū: ab ambobus terminis pendet eſſentia motus in genere: at non eius determinatio, quæ ſolùm fit à termino *ad quem*, ſpecificari autem, non eſt aliud quam determinari ad talem ſpeciem eſſentiæ motus.

Addes, Ariſt. 5. Phyſ. t. 32. diſtinguit mutationem à motu, eo quod iſte ſit è ſubiecto in ſubiectum: illa verò è non ſubiecto in ſubiectum: quaſi dicat motum à mutatione diſcerni, quòd ille ſit à termino *à quo* poſitiuo; hæc verò à priuatiuo. Ergo motus diſtinguuntur penes terminos *à quibus*. Ergo ab illis etiam ſpecificantur. Reſp. 1. Ad ſummū hinc concludi motum ſpecificari à termino *à quo*, ſecundum rationem & differentiam genericam motus: qua motus à mutatione diſtinguitur:

non verò ſecundum ſpeciem, qua talis motus à tali motu diſcriminatur. Reſp. 2. Nomine *ſubiecti* ab Ariſtotele intelligi terminum nedum poſitiuum tantum, ſed etiam priuatiuum, vbi expreſsè ibidem ipſe notat: ideo textus ille haud fauet aduerſariis. Imo ſi quid probat: declarat potiùs hoc diſcrimen motus à mutatione penes ſubiectum attendi oportere, quod ſubiectum motus ſit ſubſtantia ex materia & forma coaleſcens: ſubiectum verò mutationis, ſit materia ſola, quæ non ens ſimpliciter dicitur.

§. 4.

Quomodo motus à termino ad quem diſtinguatur.

NVLLA de termino *à quo* hic difficultas inſtituitur; cum enim per motum relinquatur, certum eſt hunc ab illo diſtingui: ſolùm ergo quæritur de termino *ad quem*.

Duæ celebres ſunt opiniones: prima eſt affirmantium, quorum alij rem abſolutam; alij relatiuam; modum alij agnoſcunt in motu præter terminos.

Secunda eſt negantium, quorum alij affirmant motum ſola ratione diſtingui, vt *Thomiſtæ*: *Nominales* ne hoc quidem, ſed ſolis connotatis rem explicant. Motus, inquiunt, ſolum per ſe ſignificat ſubiectum & terminum; connotat tamen vnam partem termini acquiri poſt aliam, cætero quin ens omne rationis eliminant.

Notandum eſt motum conſiderari poſſe vel purè ſecundùm eſſentiam, quatenus eſt præcisè actus mobilis, ſeu exitus formæ è potentia: vel quatenus natura eſt ſucceſſiuus.

CONCLVSIO. Motus vt motus, ſiue præcisè ſecundùm eſſentiam, ſiue vt naturâ ſucceſſiuus, non eſt aliquid diſtinctum realiter à termino *ad quem*. Ita communiùs Thomiſtæ contra *Paulum Venetum*, *Argentinatem*, &c. Probatur breuiter, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate, at ſola entitas termini ſufficit, vt patebit in ſolutione obiectionum. Ergo non eſt cur aliam ſuperaddas.

Confirmatur, quia ipſe in primis ſecundum eſſentiam abunde per ſolam ipſamformá in ſubiecto exorientem intelligitur: hoc autem quod eſt exoriri, ſeu è potentia exire, aut incipere, quid aliud eſt, quàm eſſe modò, ita vt ante non extiterit, vel eſſe dependenter ab hac parte temporis, præſertim interni, & primitiui? at in his nihil video præter actum exiſtentem, tempus in quo exiſtit, & illius ab hoc dependentiam: aut ſi velis connotari negationem prioris exiſtentiæ, per me licet. Sed hæc connotatio non fiet tunc ſine actu intellectus, qui per illam rectiſsimè poteſt diſcernere, ac definire motum. Ideo meritiſsimè Thomiſtæ dicunt motum formaliter per intellectum diſtingui à termino.

Pari modo motus etiam provt naturâ ſucceſsiuus, non diſtinguitur realiter à termino: quia vt ſic, nihil addit ſupra rationem motus,

niſi quòd vna pars termini acquiratur, ſiue incipiat eſſe poſt aliã, quod quid aliud eſt, quam negatio ſimultatis? Et quemadmodum ſi 10. gradus caloris in diuerſis loci partibus producantur, nihil illis noui exinde cenſetur accidere, ex eo quòd à diuerſis illis loci partibus menſurentur; ſic neque diſtinctum quid illis ſupercreſcit, dum diuerſis temporis partibus coexiſtent, & ab ijs menſurabuntur.

Denique, ſi motus reale quid eſſet à termino reipſa diſtinctum, quodlibet mobile per quemlibet motum bis moueretur, biſque aliter ſe haberet: primò per motus inductionem: ſecundò, per reſultantiam termini.

Obijc. primo, termino manente motus deſinit. Ergo hic ab illo diſtinguitur: Reſp. motum deſinere quoad connotatum: quia connotat inceptionem .i. negationem anterioris exiſtentiæ, ſed non deſinit quoad entitatem ſubiecti, quæ non eſt aliud, quam terminus. Paucis, terminus cum inceptione vocatur motus: quare non manente ampliùs inceptione, nec etiam debet, id quod motus eſt, perſiſtere.

Obijc. ſecundo, multa reipſa motui competunt, quæ nequeunt de termino affirmari: vt primò, quòd velox, tarduſue ſit: ſecundò, quòd ſit ad terminum via: tertiò, quòd medium ſit inter ſubiectum, & terminum. Ergo reipſa diſtinguitur. Reſp. hæc à Thomiſtis ſolui per diſtinctionem rationis: à Nominalibus per connotata; paucis dico, varia eiuſmodi pronunciata motui ſpecialiter competere propter adiuncta, quæ illum concomitantur, nam ratione temporis, cui commenſuratur, dicitur velox aut tardus. Ob ſpatium, ſiue latitudinem partium, aut graduum, quæ inter vtroſque terminos obuerſatur, dicitur via: vt cùm è tenebroſo fit lucidum, à gradu lucis indeptæ retrò ante vſque ad ipſam lucis orbitatem recurrendo, certa graduum intercapedo ineſt, quæ quia termino prior quodammodo eſt, ac priùs percurritur à tendente in terminum, ideo via nuncupatur. Denique medium dicitur ob imperfectionem formæ primò è potentia prodeuntis, præſertim cùm non tota ſimul, ſed partita educitur.

Obijc. tertio, ſaltem quatenus eſt ſucceſſiuus, debet à termino permanente diſtingui. Alterum enim alterius interemptione perſtat, ac deſinitur. Reſp. duplex eſſe ſucceſſiuum: aliud quod eſt per eſſentiam ſucceſſiuum: aliud quod denominatiuè, ſolum, ac participatè. primum ſoli tempori conuenit, & hoc realiter à permanente diſtinguitur: ſecundùm conuenit rebus temporaneis, atque adeo ipſi motui, & iſta differunt à termino per aliud, nempe per tempus, quod imbibunt. Item differunt à permanente connotatiuè, non verò ſubiectiuè: hoc eſt, connotant vnam partem acquiri poſt aliam, quod non vtique connotatur à permanente.

CAPVT XLIII.

DE MOBILI.

§. 1.

Vtrum omnis motus recipiatur in mobili, vt in ſubiecto.

CVM plura ſint motuum genera, vt oſtendimus inferiùs, de nullo dubitatur, quin recipiatur in mobili, præterquam de motu locali. De quo, diſſentiunt authores, & diſſenſionis origo hinc venit, quòd aliqui ſentiant locum eſſe illius terminum; alij verò *Vbi* quod eſſe modum adiacentem rei conſtitutæ in loco arbitrantur.

Hinc alij cenſent, motum localem vti & cæteros, eſſe in mobili: ſic omnes modorum patroni, *Rubio, Conimbr. Complutenſ.*

Alij contrà recipi eum in corpore locante. Ita *Fonſeca, Soncin. in 5. Met. Greg. Heruæus, &c.*

CONCLVSIO: motus localis non eſt actus intrinſecus mobilis. Pro-
8. Ph. t. 59 batur primùm ex Ariſtot. qui 8. Phyſ. motum localem cæteris antepoſit, eo quòd nihil mobili adijciat, vnde ipſum mutetur intrinſecè: *Secundùm illum enim ſolum*, inquit, *nihil mutatur ab eſſe.* Idem conceptis verbis S. Th. ibidem, & in 1. p. q. 110. a. 5. *mobile*, inquit, *ſecun-*
q. 110. a. 5 *dum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi; ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet* locũ. Reſpondent Complutenſes motu locali non mutari mobile per ſuſceptionem formæ abſolutè ei inhærentis, & hoc ſolùm aſſeri ab Ariſt. & S. Th. at non negari, quin mobile interiùs per modum, à loco tamen extrinſeco dependentem, aliter afficiatur. Sed dicant quæſo, vbi apud Ariſtotelem & S. Th. legerint vel modum huiuſmodi, vel internum aliquid mobili ex motu locali accidere. Ariſt. ait *Nihil mutatur ab eſſe.* S. Th. hoc
8. Phy lect. 14. explicans ait *ſecundum motum localem nihil remouetur, quod inſit ſubiecto mobili.... motus localis eſt ſolùm ſecundum locum, qui exterius conti-*
1. p. q. cit. *net.* Item *mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum*, &c. Iſti vero aiunt *mutatur mobile ſecundum eſſe, perdit & acquirit aliquid, quod ipſi ineſt, quod intrinſecum eſt, quod non ſit locus exterior.* Itane magiſtros explicatis! Qualis interpretatio, quæ textum amplificat, detorquet ſententiam, & authoribus falſum affingit!

Ratio concluſionis eſt, quòd nullus detur modus intrinſecus, quo res in loco conſtitui valeant, de quo iam ſatis aliàs.

CONCLVSIO 2. Motus localis non eſt etiam actus corporis locantis. Enimuerò debet illi aſſignata motus deſcriptio competere, aut motus non erit, aut alia confingenda definitio, quod quî concedet Peripateticus? Atqui ex hac definitione, motus eſt *Actus mobilis:* & *actus*

entis in potentia, corpus autem locans, non eſt in potentia ad locum, aut ſi ſit, ergo eſt mobile. Hoc ſi negas, nega & illud.

Conclusio 3. motus localis eſt actus extrinſecus mobilis. Hoc patet ex dictis: nam motus omnis debet eſſe actus mobilis ex *ſecunda concluſ.* motus localis non poteſt eſſe actus intrinſecus mobilis *ex prima.* Ergo debet eſſe actus extrinſecus.

Nota igitur motûs officium eſſe, vt quod in potentia eſt ad actum aliquem, eum aſſequatur: quare tota motûs eſſentia, eſt adeptio actus, ad quem quidpiam fuit in potentia. Actus autem triplex diſtingui poteſt: informans, inhærens, adiacens. *Primus* eſt forma ſubſtantialis, ad quam eſt generatio; *Secundus*, eſt accidens abſolutum, idque duplex, alterum quod ex parte materiæ ſe habet, vt quantitas, ad quam eſt augmentatio: alterum, quod ex parte formæ, vt qualitas, ad quam eſt alteratio. *Tertius* eſt locus, quatenus continens, & menſurans proportionem, qua vnum locatur in alio: ſic enim locus eſt quodammodo perfectio locati, vtpote actuans naturalem eius aptitudinem, quæ ineſt locato, vt in hoc vel illo loco valeat coaptari.

Id quod præſertim verum eſt ſi de loco interno, & primitiuo, quem in immenſitate Dei ſuprà conſtituimus, ſermo fuerit, ab eo enim corpora per realem participationem graduum immenſitatis, & per actualem dependentiam ab eius partibus virtualibus, perficiuntur.

Ergo locus ſic perficiens locatum, & actuans eius potentiam, per actualem illius ad ſeipſum coniunctionem: imo illius à ſeipſo dependentiam, eſt actus mobilis, ſed extrinſecus, & adiacens, eſtque terminus motus localis, non ſimpliciter vt in ſe eſt; ſed vt participatus & acquiſitus à mobili. Si ergo dixeris cum D. Th. *Quod actus cuiuſlibet eſt in eo cuius eſt actus.* Reſp. vel vt informans, vel vt inhærens; vel vt adiacens: ſi cum Complutenſibus addideris; formam ſiue actum in eo eſſe, in quo eius eſt effectus formalis, effectum autem formalem motus localis eſſe moueri localiter, quod eſt ſine dubio in mobili. Reſ. formam informantem, vel inhærentem, eſſe quidem in eo, in quo eſt eius effectus formalis: ſed quoad adiacentem, ſufficit ſi vniatur, vt actuans, & perficiens extrinſecè. In 3. Phyſ. lect. 4.

Ab hac difficultate faciliùs ſeſe expediunt, qui motum localem ſic definiunt, vt ſit *actio Phyſica, per quam corpus naturale agitatur de loco in locum.* Sed hoc actum, ſeu exercitium actuale virtutis naturalis inſinuat potiùs, quam motum propriè dictum, de quo loquimur cum Ariſtotele, ac S. Thoma.

§ 2.

Vtrum idem mobile poßit motibus oppoſitis ſimul moueri.

HÆc quæſtio ponitur propter Ariſtotelem, qui ſupponit in 5. Phyſ. c. 9. non poſſe idem ſimul moueri motibus contrarijs.

Nota poſſe duobus modis idem moueri motibus contrarijs: primò Phyſica.

per accidens, ſc. vno motu per ſe, & alio ratione alterius. Vt dum in curru tendente ad orientem, aliquis pergit verſus occidentem: ipſe per ſe vadit ad occidentem,& tamen per motum currûs etiam ad orientem deuehitur. Nihilominus, tunc non poteſt eſſe niſi vnus motus ſimpliciter, quia non poteſt ille occupare niſi vnum locum ſimpliciter: eum ſc. qui eſt in ordine ad partes mundi. Poteſt quidem alium locum acquirere in curru: at ſimpliciter non alium acquiret, quam quem habet pars illa currus, quem occupabit, ad eundem autem locum eodem quoque motu, & non contrario ferri dicendus erit. v. g. ſit ſpatium A. notentur. 7. partes his 7. litteris a, β, γ, δ, ε, ζ, η, ſit currus B, in quo notentur 4. Partes b, c, d, e,

A,	a β, γ. δ, ε, ζ, η,
B,	b, c, d, e,

Iam fingatur ille currus moueri ab α, ad η, Petrus verò ab e, ad b, ſi currus duplo velociùs moueatur quam Petrus, cum Petrus venerit ad partem d, ipſa currûs pars d, erit ſub ζ, ita Petrus eandem partem aſſecutus, pariter ad eandem partem ſpatij ζ, progredietur: ſic eundem motum ſimpliciter habebit cum curru, licet tardiorem, & ſolum ſecundum quid contrarium.

Secundò, poteſt idem moueri ſimul motibus contrarijs ſecundum diuerſas partes, vt ſi manus calefiat, & pedes obrigeſcant.

QVÆSTIO ergo eſt, vtrum idem mobile ſecundum eandem partem poſſit per ſe moueri motibus contrarijs, vt deſcendere & aſcendere ſimpliciter: calefieri & frigefieri, &c.

Communis ſententia negat poſſe id naturaliter fieri, cæterum non deſunt, qui dicant poſſe primùm id fieri ſupernaturaliter; nam ſi Deus qui facere, vt Petrus ſimul plura loca circumſcriptiuè oppletat, quidni efficiet, vt aſcendat in vno, & deſcendat in altero? Simili quoque ratione, ſi duo contraria ſummè intenſa, vt ſummum frigus & ſummum calorem coünire ſimul in eodem ſubiecto valeat, cur non etiam efficiet, vt aqua v. g. frigus à naturâ recuperans maximum, ſummo ſimul à Deo calore afficiatur? Cæterum de hoc alibi commodiùs ediſſeretur.

Dicunt ſecundò, naturaliter poſſe idem ſubiectum moueri ad contrarias qualitates comparandas in gradibus remiſſis: vt ſi foret quædam aëris particula, quæ neque actu calida eſſet, neque actu frigida, quidni, aiunt, ſimul poſſet 4. caloris gradus, totidemque frigoris admittere? Verùm caſus ille impoſſibilis eſt: ita impoſſibiles quoque eſt in natura id quod in quæſtione verſatur. Vtrum autem ſimile quid contingat in reactione, dicetur in tractatu de Elementis.

CAPVT XLIV.

DE DIVISIONE ET oppoſitione motus.

§. I.

Quotuplex ſit motus.

MVLTIPLEX ſane motûs adnotatur diuiſio.

Primò diuiditur in motum per ſe, & motum per accidens. Motus per ſe, quo ſubiectum ratione ſui mouetur, & eum actum excipit, ad quem per ſeipſum erat in poteſtate, vt dum aqua caleſit.

Per accidens eſt, quo ſubiectum ratione alterius mouetur, id quod dupliciter contingit: primò, cùm pars mouetur ad motum totius. Secundò, cùm forma interit, vel oritur ad interitum, vel ortum ſubiecti, vti cùm ſanitas, complexio, vitalis ſpiritus, Albedo, &c. quæ homini viuo inerant, eo extincto euaneſcunt: eodem reſuſcitato, iterum reuiuiſcunt.

Secundo diuiditur motus in eum qui naturalis eſt, & eum qui violentus. Naturalis eſt ſecundum naturam, idque dupliciter, vel ſecundum naturam totius, vt cum elementa mouentur in orbem ad motum cœli; vel ſecundum naturam propriam, vt cum mouentur ad centra. Primus eſt ſecundo eminentior, & ſupra naturam propriam, quia bonum totius eſt ſupra bonum partis.

Violentus, qui præter, vel contra, vel ſupra naturam. Præter naturam eſt motus artificioſus; contra naturam eſt is, qui ſimpliciter violentus eſt, vt cum lapis ſurſum mittitur: ſupra naturam dicitur raptus diuinus, quo inferiores cœli à primo mobili rapiuntur.

Motus violentus ſimpliciter vel eſt tractio, vel pulſio, vel vectio, vel vertigo.

Tertio motus ſecundum naturam diuiditur à Platonicis in motum primum, & motum ſecundum. Motus primus à Platone in 10. de legibus dicitur motus animæ, quo ſecum per ſuas rationes, ſe intelligendo mouet, atque ex ijs tum dirigendo corporis diſponit officia, vitam diſpenſat, eiuſque ad operandum actuat, animatque facultates. Motus ſecundos vocat motus corporum ex motu animæ prodeuntes, ita vt niſi anima ſe moueret, cætera moueri non poſſent: hoc ille de mundi anima docuit, nos de Deo mundi rectore veriùs debemus interpretari.

Hinc ille 10. genera motuum enumerat, per quos vt per totidem gradus ad Dei ſummi tranſcendit intelligentiam. Sunt autem hi: cir-

cuitus cœli; latio ab vno loco in alium, condenſatio, rarefactio, accretio, diminutio, ortus, interitus, alteratio ab alio in alio edita, denique motus primus, de quo iam antè. Ita ex illis omnibus motibus colligit animam omnia moderantem, ac demum ex eius immutabili, & infallibili ſapientia, Deum demonſtrat.

Ariſtoteles aliter motum per ſe diuidit nempe ſecundum 4. prædicamenta, vt diximus ſuprà. Inter hos autem motus hæc eſſe poteſt comparationis ratio: in ratione motûs ſimpliciter localis præcellit cæteris, tum quia nihil imperfecti videtur in ſubiecto arguere, nullamue in eo potentialitatis notam exigit, vnde rebus nobiliſſimis competere poteſt, vti Angelis, quibus nec generatio, neque accretio, neque alteratio Phyſica competunt: tum quia primus eſt omnium, à motu enim locali cœlorum pendent cætera, vt patet ex 8. Ph.

Ex 8 Phyſ. cap. 7.

Ratione termini generatio præeminet, quia eſt ad ſubſtantiam. Ratione ſubiecti hoc ſibi ius præ reliquis vendicat augmentatio, quòd propriè ſit viuentium.

Motus ad qualitatem .i. alteratio, multas ſubdiuiſiones patitur. Hæc ſufficiat: alia fit in qualitatibus Phyſicis, alia in non Phyſicis, illa vt calefactio, hæc vt eruditio, virtutis adeptio, &c. vtraque ſubdiuidi poteſt in perfectiuam, & deſtructiuam, quarum cuique abunde ſuppetunt exempla. *Alterans porro ideo alterat, vt alteratum ſibi ſimile faciat, nec deſinit alterare priùs quam id aſſequatur, niſi externa cauſa illi modum ſtatuat.*

Motus localis diuiditur in ſimplicem, & mixtum: ſimplex eſt rectus vel circularis, de quo hæc pauca excipe, primo, eum eſſe priorem motu recto, inde Ariſt. probat in 8. Phyſ. quòd ſit eo ſimplicior: quia non ita mutat terminos ſicut motus rectus, hoc eſt, termini motus circularis ſibi cohærent & in ſe coeunt: non diffugiunt, aut diſcedunt à ſe vt termini motus recti: ſecundo, motus circularis eſt omnium perfectiſſimus; primò, quia eſt maximè continuus: ſecundò, quia eſt maximè æqualis, & minimè obnoxius irregularitatibus: tertiò, quia eſt magis perpetuus, & durabilis. Mixtus fit tribus modis, primo, ex pluribus rectis, vt cùm elementa leuia deſcendunt, aut grauia conſcendunt, vel ſubſiliunt, &c. deorſum enim, vel ſurſum, nec non & in tranſuerſum aguntur: ſecundo, ex pluribus circularibus, vt cum formica mouetur ſuper ſphæram in oppoſitum reuolutam: tertiò, ex recto & circulari, vt dum corpora deſcendunt, vel aſcendunt per turbinem, ac per figuram Helicis.

Aliæ ſunt diuiſiones, quæ vel ex adiunctis deſumuntur, vt cum ratione durationis, alius æternus, vel temporaneus, tardus vel velox, &c. dicitur: aut ex accidentibus, vt cum irregularis, vel regularis, ſimilis vel diſſimilis, &c. ſed hæc ſufficiant.

§. 2.

De oppoſitione motuum.

MOTVI contingit oppoſitio vel ratione motus formaliter, vel ratione terminorum. In ratione motus opponitur immobilitati & quieti: ratione terminorum motus motui opponitur.

Immobilitas à quiete differt, quòd hæc ſit in eo quod poteſt moueri, vel motum fuit. Illa verò in eo quod perpetuam, ac ſtabilem firmitatem habet & conſiſtentiam: tria ſunt præcipuè in vniuerſo immobilia, Deus, poli, centrum. *Manente autem primo, neceſſe eſt manere vniuerſum, quod continuatur cum eo*, inquit Ariſt. 8. Ph. t. 51.

Ab immobili ſemper & neceſſariò pendet motus: primò, quia primus motor debet eſſe immobilis: ſecundo, quia etiam *omnis motus fit ſuper immobili* ſecundùm Ariſt. vt vidimus ſuprà c. 33. §. 3. & 5. hinc niſi poli forent immobiles, quomodo regularis eſſet orbium cæleſtium circumactus? Et niſi centrum quoque foret immobile, quomodo motus rectus leuium & grauium corporum certus eſſe poſſet, ac conſtans? De progreſ. anim.

QVOAD QVIETEM ſequentia ſtatui oportet, *Primò*, quies eſt priuatio, & habitus: nempe priuatio motûs, & habitus formæ: etenim mortalia mouentur vt quieſcant: quid eſt, vt quieſcant? Vt habeant formam, actumque, cuius fruendi causâ mouentur. Ideo Pythagoras conſiderauit motum vt deterius contrarium, & ſub ratione priuationis: quietem verò, vt contrarium melius, ac ſub ratione actus.

Secundò, quies conſiderari poteſt in termino *à quo*, & in termino *ad quem*: illa eſt prior motu, hæc poſterior. Tum vtraque eſt vel ſecundum naturam; vel præter naturam. v. g. lapis naturaliter in terra quieſcit: in aëre ſi ſuſpendatur, quieſcit præter naturam: ſi è terra ſurſum proijcitur, habuit quietem in termino *à quo* ſecundum naturam, & acquiret quietem in termino *ad quem* præter naturam. Oppoſitum dicatur, ſi ex alto vbi detinebatur, ad terram deſcendat.

Iam quies in termino *ad quem*, & ſecundum naturam, eſt præcipuè habitus, & forma: in termino à quo, & præternaturam, priuatio: quia remouet perfectionem naturalem, eſtque diſpoſitio præternaturalis, aut violenta.

Tertiò, licet motui abſolutè vt ſic opponatur quies: Tamen principaliùs motui ſecundum naturam opponitur quies præter naturam, & contrà: at motus & quies ſecundum naturam ſubordinationem habent potius quam exactam oppoſitionem, quatenus ille ad hanc ordinatur, opponuntur tamen quodammodo, ſicut quod prius eſt, opponitur poſteriori, ipſi licet ſubordinatum: opponitur inquam in ratione motus ſimpliciter, non in ratione naturæ, & vnum infert in conceptu ſuo formali quandam excluſionem alterius, quod non obſtat quin natura vtriuſque per ſe principium ſit, quietis nempe principium eſt in proprio loco, motûs verò extrà proprium locum.

Quartò, omnis motus pendet à quiete ſaltem vt à fine, quia res mouentur vt formam poſſideant, eaque perfruantur: vnde dicitur in 4. de cœlo, quòd tendere ad locum, ſit tendere ad formam, item communiter motus incipitur à quiete in termino *à quo*, item in decurſu, quo magis & velociùs mouetur mobile, eo magis dici ſolet quieſcere, quia eo pleniùs formam poſſidet, vt quod calefit intenſiùs, eo magis eſt calidum. Sed hoc intellige de tendentia ad quietem in termino *ad quem*, q. d. quò quid mouetur citiùs, eò plus quieti accedit. Cæterum an fiat quies per inſtantia quibus continuatur motus, dicetur infrà, aſt iuxtà illa, quæ diximus cap. 40. §. 3. debemus conſequenter affirmare quo quid mouetur tardiùs, eo id maiorem quietem agere in medio per quod mouetur.

Motus in ipſum, in quo ſtat perfectio, potius eſt ad quietem, quam accidit fieri ſimul cum motu. 5. Ph t. 54.

Restat tertia oppoſitio inter motus ipſos. Hæc contraria eſt, & certè à terminis petitur, an verò ab ambobus, dubitatur: nota enim ex Ariſt. in 5. Phyſ. quinque modis poſſe hanc contrarietatem conſiderari: primò, ſecundum acceſſum & receſſum: ſecundò, ſi terminus *à quo*, ſit contrarius termino *ad quem* eiuſdem motus: tertiò, ſi terminus *à quo* vnius motus, ſit contrarius termino *à quo* alterius: quartò, ſi terminus *ad quem* vnius ſit contrarius termino *ad quem* alterius: quintò, ſi terminus *à quo* vnius ſit contrarius termino *ad quem* alterius. His poſitis fatentur omnes ſecundum modum non inducere contrarietatem, quia non eſt inter duos motus: item concedunt quintum inducere perfectam, ac ſummam contrarietatem, vt cum ex albo nigrum, & ex nigro album fit. At neque negare debent, quin ex quarto reſultet vera motuum contrarietas, vt cùm aqua è tepida modo frigida fit, modo calida. Cum enim motus ſpecificentur à terminis *ad quos*, neceſſe eſt, vt ſi contrarij ſint termini, contrarij quoque motus ſint: atque hæc eſt communis ſententia contra eos, qui ſenſerunt motus ſpecificari à terminis *à quibus*. Vnde reſtat, vt tertius modus ſit omnino inutilis, vt ſi ex albo viride, idemque ex nigro fiat, vnde ſicut vtroque motu acquiritur viriditas eiuſdem rationis, ita motus ad illam inquantum viriditatis acquiſitio, formaliter eſt eiuſdem ſpeciei. Denique in ſubſtantijs quibus non ingruit contrarietas, eius loco reputari debet acceſſus, & receſſus: acceſſus nempe ad eſſe, qui generatio; & receſſus ab eſſe, qui corruptio dicitur, vide Ariſtotelem hic & D. Thomam.

Dices cum *Burlæo*, *Alberto de ſaxonia*, *&c.* motus debent eſſe contrarij ſecundum omnia, quæ includunt eſſentialiter: ſed ſic includunt vtrumque terminum. Ergo ſecundùm vtrumque debent inire contrarietatem. Reſp. Ma. ad ſummùm eſſe veram de ſumma & perfectiſſima contrarietate: ſecundo, negari etiam poteſt, quia ſufficit ſi contingat contrarietas ſecundum id, à quo ſortitur ſpeciem, cuiuſmodi eſt terminus ad quem.

Inſtabis, calefactio in ratione mutationis nequit frigefactioni ſimili ratione mutationis opponi, niſi quòd illa ſit à priuatione caloris ad calorem; & hæc à priuatione frigoris ad frigus. Ergo contrarietas petitur à terminis à quibus. Reſp. primò negando Ant. nam eſto diſcri-

men mutationis à motu proueniat ex termino *à quo* priuatiuo; tamen in præſuppoſito caſu, ipſa calefactio è non calido, & frigefactio è non frigido haberent à terminis *à quibus* conuenientiam in ratione mutationis, & ſolùm contrarietatem ex parte terminorum *ad quos*.

Diximus ſuprà quòd cùm termini *à quibus* reciprocè ſunt contrarij terminis *ad quos*, intercedit tunc maxima contrarietas: id autem verum reor ex eo quod inſit vtriſque contraria quoque deſtructio, vt cum ex albo fit nigrum, non ſolùm adeſt nigrefactio, ſed exalbatio, ſeu albedinis corruptio: & cùm ex nigro fit album, ineſt cõtrarij par quoque deſtructio, quæ & nigrefactio dici queat: pari quoque ratione licet aſcenſui ſimpliciter deſcenſus ſit contrarius, vt deſcenſui terræ, aſcenſus ignis: tamen ſi adſit alteri violentia, ipſa quoque contrarietas maior euadet: ſic deſcenſui lapidis, eiuſdem aſcenſus magis opponitur, quam aſcenſus ignis. Porro quod hic de contrarietate motus dico, poteſt pari proportione de quiete intelligi: quod ſcilicet quieti naturali, quies præternaturalis opponatur, &c.

Sed hinc exurgit dubium, an in omni quoque genere motuum obtingat violentia? hoc in vtramque partem verſat Ariſtoteles: & demũ concludit affirmatiuè nimirum eſſe generationes naturales, & violentas: itemque corruptiones ſimiliter: accretiones motus, & alterationes alias ſecundum naturam: alias præter illam. De corruptionibus, quæ fiunt vi, non eſt dubium. Quæ vero ſint generationes violentæ, explicat dicens, eas eſſe, quæ fato non fuerint definitæ, i. ſecundum ordinem naturæ: eiuſmodi autem ſunt, quæ artificioſo labore procurantur, vt quod roſas hieme quandoque fecerint naſci homines, &c. Sic qui ob delicias cito pubeſcunt, fruges quæ ob humoris copiam ſuæ præuertunt proceritatis tempus, violentè creſcere dici debent: & qui à febri citra criticos dies dimittuntur, præter naturam alterantur, & ſanantur. De harum igitur omnium contrarietate, idem dicendum eſt, quod de motuum localium oppoſitione ſuperiùs diximus. In 5. Phyſ. t. 56.

Reſtat dubiolum, an ſenium ſit motus naturalis. Affirmat hic Ariſt. Negat verò 2. *de Cœlo.* Reſpondet D. Thom. ſenium & corruptionem eſſe contra naturam particularem, quæ ſuam ſemper conſeruationem affectat: eſſe verò ſecundum naturam vniuerſalem: quia ex contrarietate qualitatum, ſecundum naturæ ordinem debent obtingere.

Dices, hinc ſequi falſum eſſe iſtud commune proloquium *vnum vni contrarium eſt.* Siquidem generationi non ſolum corruptio, ſed & generatio erit oppoſita, ſc. generationi naturali generatio violenta. Similiterque in cæteris omnibus accidet. Reſp. Senſum illius proloquij eſſe, vt vni vnum ſit contrarium vna & eadem comparatione, at non diuerſa, vt fit in præſentiarum: nam generationi corruptio ſecundum acceſſum & receſſum, eidem generatio ſecundum naturale & violentum opponitur.

CAPVT XLV.

DE VNITATE ET CONTINVITATE motus.

§. I.

Vnde vnitatem numericam ſortiatur.

5. Phyſ. t. 51. CONCLVSIO. Tria per ſe requiruntur ad vnitatem numericam motus: vnum numero mobile; idem numero terminus; idem tempus: ita Ariſtoles. Ratio; motus eſt progreſſus formæ à potentia ſubiecti, cœptus in tempore: at è potentia diuerſi ſubiecti non poteſt eadem forma progredi, vti neque diuerſo ſubiecto ineſſe, quia omnis indiuiduatio fit ex ſubiecto: neque idem poteſt eſſe progreſſus diuerſæ formæ, quia ille ab hac non diſtinguitur: neque denique poteſt eadem eſſe inceptio in diuerſo tempore: quia hæc eſſentialiter connotat ita rem eſſe in hac determinata parte, vel inſtanti temporis, vt immediatè ante non fuerit. Ideo tempus eſt eſſentialis circumſtantia motus: & ad hunc numero motum, hoc numero tempus requiritur.

Obiic. 1. Motus pendet à termino *à quo.* Ergo etiam ex eo debet illius vnitas proficiſci. *Confirmatur* ex Ariſt. 8. Phyſ. 49. & 82. motus non poteſt eſſe vnus numero, niſi mouens vnum numero fuerit. Ergo etiam debuit mouens addi.

Reſp. Nos ſuprà locutos fuiſſe de iis quæ intrinſecè concurrunt ad indiuiduationem motus: iſta autem duo ſc. terminus *à quo*, & motor ſe habent extinſecè. Adde quòd terminus *à quo* priuatiuus implicitè ſub tribus ennumeratis ſatis apertè concludatur: quatenus enim ſumimus determinatam temporis partem, qua ſic exiſtat forma exoriens, vt in priori non extiterit, an non ſatis abunde *non eſſe* illius formæ, quod *terminus à quo* priuatiuus dicitur, inſinuatur? terminus verò poſitiuus ſe habet per accidens. Quoad motorem verò, licet effectus vnius cauſæ, nequeat naturaliter ab altera elici ſaltem naturaliter, quomodo intelligendus eſt Ariſtoteles: quis inficiari tamen audeat, vel à Deo non poſſe? Quid, Deus non poſſet calefactionem huius ignis, ſine hoc continuare, vel exercere? Ergo à motore per ſe numerica motus vnitas non pendet.

Obiic. 2. Si canis è turri cadens, in medio lapsûs mouetur, erit vnus numero motus, peinde ac ſi viuens perſtitiſſet: & tamen mobile non eſt idem numero. Initio enim erat canis viuens; deinceps fit cadauer:

quæ duo à ſe mutuo differunt vti æquiuoca. Reſpondet Auerroes motum hunc canis fieri ratione molis terræ, (putat enim elementa manere actu in mixtis,) ideo permanente terra, eundem quoque motum perdurare. Reſpondent alij ibi tunc fieri duos motus, qui ſe habeant conſequenter, & copulentur eo inſtanti, quo forma canis euaneſcit, & quo ſuboritur forma cadaueris: ideoque non eſſe opus, vt quies vlla intercedat. Sed ſatis eſt, ſi diuerſa ſit potentia progrediens in actum. Eſt autem diuerſa, vbi viuens demutatur in mortuum.

Obiic. 3. Prius non deſumit vnitatem numericam à poſteriore: ſed motus eſt prior tempore: hoc enim illius paſſio eſt 12. *Met. t.* 29. Ergo. Reſp. Nego abſolutè Mi. Quia quod fit dependenter à tempore, eſt poſterius illo: motus autem eſt eiuſmodi. Quod verò ex Ariſt. adducitur, debet intelligi primo de tempore communi, & demonſtratiuo, quod eſt illud interuallum cæleſtis circumductionis, quæ numeris definitis, ſc. anni, menſis, &c. diſtinguitur: hæc enim ſupponit motum. Secundo Reſp. Id poſſe quoque intelligi de ſucceſſione concomitante motum; quando vna pars acquiritur poſt aliã: illa enim dicitur eſſe paſſio motus, quia eſt quædam partialium acquiſitionum, ſiue productionum ſequela: & hæc quoque requiritur ad vnitatem numericam motus, quatenus eſt fluxus ſucceſſiuus, cum ab ea eſſentialiter talis denominetur. Quatenus verò eſt ſimplex inceptio formæ, ab ea non pendet, ſed pendet, vel à tempore communi cuius inſtanti menſuratur, vel ab interno, & originali, à quo emanat, & definitur.

§. 3.

De continuitate motus.

MOTVM eſſe de genere continuorum res eſt apud Ariſtotelem indubitatiſsima, vt patet ex infinitis textibus: per continuum autem intelligit vnum diuiſibile cuius partes communi vinculo copulentur: vnde vnitatem motus ex eius continuitate colligit, eo quod idem ſit motum eſſe vnum, ac eum eſſe continuum. Ergo vt in continuo permanente ipſe partes diuiſibiles admittit, & inſuper puncta, quibus hæ colligentur: & in tempore ſimiliter partes ſucceſsiuas, inſtantibus copulatas, ſic in motu computat partes fluxiles, quæ quibuſdam indiuiſibilibus quæ *mutata eſſe* μεταβεβληκότα vocitat, continuantur; quare hoc indiuiſibile coæquatur momento, eoque non mouetur quidpiam, ſed motus iam præteritus terminatur, & inchoatur ſubſequens.

3 Phyſ. t. 1.
4 Phyſ. t. 99
5 Phyſ. t. 40
6. Phyſ.
7. Phyſ. 36.
2. de Gen 36
5. Met. 18.

Tria porro ad motus continuitatem requirit: quorum primum eſt, vnitas ſpeciei; ſecundum, vnitas ſubiecti: tertium, vnitas temporis. Quoad primum, rectè aſſerit non omnem motum omni motui poſſe continuari: cum enim continuum ſit id, cuius extrema ſunt vnum, certè quæcumque continuantur debent poſſe vnum per ſeſe conficere: quę autem ſpecie, vel genere differunt, quomodo vnum per ſe conficient?

quomodo linea & ambulatio facient vnum? quomodo contingent ſeſe: quî dealbatio, & calefactio: aut hæc & frigefactio, in vnum quid concinent? Ergo mutationes ſpecie, vel genere differentes poſſunt eſſe *deinceps* ἐφ᾽ ἑξῆς, id eſt, proximè conſequentes, at non continuæ. Eruntque tunc in eodem inſtanti duo ſimul indiuiſibilia motus, quorum alterum erit terminus finiens prioris, & alterum terminus inchoans poſterioris. Hæc porro vnitas ſpeciei eſt in motu *ex re in qua eſt motus*, inquit S. Th. i. ex parte termini ad quem. Similiter requiritur vnitas ſubiecti mobilis: alioquin ſi vnum mobile ſuccedit alteri; motus erunt *deinceps*, vt fit in exemplo canis in lapſu morientis. Denique & vnitas quoque temporis neceſſaria eſt, ita vt nulla pars temporis motum menſurantis, in quiete tranſigatur. Ergo motus quiete interpolatus Ariſtoteli continuus non eſt. Hæc ex Ariſtotele.

Picolom. de motu. Quæritur modo inter Peripateticos an continuitas hæc ſit de eſſentia motus, an verò proprietas, aut omnino per accidens. Multiplex eſt reſponſio: quidam exiſtimant eam à ſucceſſione non diſtingui, & cùm arbitrentur ſucceſſionem eſſentialem eſſe motui, vt ſupra diximus, idem de continuitate aſſeuerant. Pererius 7. Ph. 14 c 7. Alij eam à ſucceſſione diſtinguunt: quia ſucceſſio, inquiunt, hoc ſolum inuoluit, vt vna pars fiat poſt aliam, ſeu vt non ſimul acquirantur: hoc autem ſine continuitate fieri poteſt, vt ſi diſcretis, & intercalatis momentis contingat interrumpi actionem: vti multi cenſent in augmentatione accidere. Hi autem dicunt conſequenter ſucceſſionem ad motus eſſentiam pertinere: continuitatem verò ſolùm illius eſſe proprietatem. At alij dicunt motum conſiderari poſſe dupliciter, primò Mathematicè, & ſic diuidi poſſe in infinitum: nec primum in eo, nec minimum, ſimiliter neque vltimum, maximumque poſſe aſſignari: ſecundò, Phyſicè, vt eſt extra intellectum, & vt in ſubiecto, & ſic non poſſe in infinitum diuidi, ſed affici primo, & vltimo, minimo & maximo. Hinc concludunt motui vt motus eſt, non repugnare, vt ſit continuus: hoc eſt, vt fiat per fluxus ſemper diuiſibiles, & morulis non interruptos. Secus id ei repugnare Phyſicè ſumpto, quia is debet fieri per minima, atque adeo per momenta non continuata, & hoc ad eum modum explicant, quo dicitur talpæ, vt eſt animal, non repugnare, vt videat; repugnare verò, vt eſt in materia ſenſibili determinata. Itaque ſecundum hos authores, motus fit per partes Phyſicè indiuiſibiles, quibuſdam morulis interpolatas, quæ quidem continuitatem Mathematicam tollant: at non Phyſicam; fieri autem dicitur per morulas, quia hoc modo facilius & rationabilius explicatur tarditas motûs, vide ſuprà c. 40. §. 4.

Zimara. 9. contrad. 5. Ph. Balduinus 3. Phyſ. 23.

QVID ergo ſentiendum? Duo pronuncio: *Primum* quod ſecundum Ariſtotelem debeat omni motui continuitas, ita ſimpliciter attribui, vt ſemper in infinitum ſit indiuiſibilis, neq; per indiuiſibile fiat vnquam. Etenim hæc tria ſemper eadem proportione diuidua facit *molem continuam, tempus, & motum*: vt ſatis patet ex dictis.

Secundum, quòd hærendo doctrinæ ſuperiùs c. 40. §. 2. & 3. explicatæ, tertia ſententia Zimaræ videatur probabilior, ita vt ſi notionem fluxus

593

fluxus præciſè cogitemus, in eo nulla ſit quies concipienda, & ſic in abſtracto motus, ſecundùm quod fluxus eſt, Mathematicè continuus exhibebitur: prout verò ille fluxus fit in determinato ſubiecto, tunc interciſis & diſcretis fluxionibus fit, quarum qualibet pars quædam termini Phyſicè indiuiſibilis acquiritur, & è potentia exit in actum. Ita in materia perdit aliquid de Mathematica continuitate, quia inter ſingulas fluxiones, interuenit quies aliqua; ſed tamen fluxus continuus reputatur: quia talis apparet, eo quòd illæ morulæ ſenſum effugiant: & quia vis agitans mobile, ipſumque ad vlteriorem perfectionem deſtinans, adducenſque, continuato molimine perdurat. Vnde motus Phyſicè continuus dici poteſt. Hæc doctrina per ſe conſequitur ex iis quæ loco citato tradidimus.

Dices. Hæc Mathematica ſpeculatio contraria eſt Phyſicæ veritati. Ergo fallax eſt, aut planè inutilis. Reſp. Sine fallacia poſſe multa de formis abſtractis aſſeri, quæ de concretis nequeunt affirmari, vt diximus cap. cit. 40. §. 3. neque opus eſſe, vt conditiones formæ ad certam materiam determinatæ congruant per omnia formis abſtractis. Nam vt omittam cætera, in materia nequeunt eſſe ſine admiſtione oppoſiti ſaltem priuatiui, vnde limitantur: (quia nimirum quilibet gradus in naturâ editus habet priuationem alicuius perfectionis:) hæc autem admiſtio repugnat eidem formæ in abſtracto, &c.

Neque propterea inutiles erunt Mathematicæ diſciplinæ; quandoquidem peritiores facti in abſtractionibus, planiùs, & eruditiùs callemus concreta inde manantia.

Ex his itaque paucis hæc pronunciata colligere licet. *Primò*, Motus præciſè ſumptus pro formæ inceptione poteſt fieri in inſtanti, vt illuminatio.

Secundò, Ipſi verè definitio motûs competit.

Tertiò, Motus ſumptus communiter ſucceſſionem includit, & tunc conſideratur vt fluxus eorum, quæ non ſunt ſimul: & quorum vnum eſt in termino *ad quem*, nempe pars in actum educta: aliud in termino *à quo*, i. in non eſſe, vt pars adhuc in potentia iacens: vnde quod ſic mouetur ex aliquo in aliquod mouetur.

Quartò, Motus ſumptus pro fluxu nequit fieri in inſtanti: hoc enim per ſe repugnat: *Hactenus optimè poteſt Ariſtotelis doctrina explicari.*

Quintò, Motus ſumptus pro fluxu, ita fit in tempore, vt inter quaſlibet nouas fluxiones partium aliquot inſtantia temporis interfluant, quæ ſunt tamen inſenſilia.

Sextò, Quies intercalata tunc fit in tempore, ſed imperceptibili.

Septimò, Motus ille eſt nihilominus continuus Phyſicè; Primò, quia talis apparet; ſecundò, quia eſt in continuata tendentia ad totalem terminum.

Octauo, Denique ille eſt vnus Phyſicè, tum quia hoc modo eſt continuus, tum quia vno & eodem tenore cum morulis fluunt fluxiones, ſicut dum equus currit duobus pedibus antrorſum libratis, quieſcunt duo alij, vnde tot in mora, quot in progreſſu interualla conſumun-

tur. Intercalatus eſt ergo curſus, & nihilominus vnus eſt: atque *de eo hæc ſatis pro iſta ſententia.*

§. 2.

Quomodo motus incipiant, & deſinant ſecundum Ariſtotelem.

HOc adiungimus ob ampliorem doctrinæ Ariſtotelis dilucidatio-nem. Docet itaque id quod eſt *moueri* diſtingui ab eo quod eſt *motum*, ſeu *mutatum eſſe. Moueri*, enim fluxum diuiſibilem & ſucceſſiuum ſignificat, *mutatum eſſe* fluxûs indiuiſibile, vt diximus ſuprà. Moueri vocat μεταβάλλειν, quaſi aliud poſt aliud, vnde concludit: hoc quod *moueri* eſt, ſemper ac neceſſariò in tempore fieri: ſupponit enim nullum poſſe motum edi, quo non poſſit dari velocior in infinitum: velociorem verò fieri, cùm breuiori duratione percurritur idem ſpatium. Quare ſi motus, inquit, ſit in inſtanti, & detur alius illo velocior, iſte ſecundus fieret duratione, quæ inſtanti breuior eſſet, quod eſt impoſſibile.

Hinc vlteriùs progreditur, & probat neque in inſtanti poſſe quidquam quieſcere, primò quia quod quieſcit, id aptum eſt moueri: repugnat autem quidquam in inſtanti moueri. Ergo & quieſcere. Secundo, quod quieſcit ſe nunc habet, ſicut ante. ergo quies habebit prius & poſterius, quod repugnat inſtanti. Tertiò, inſtans continuatiuum præteriti cum futuro, v. g. horæ primæ cum ſecunda, eſt terminatiuum primæ, & inchoatiuum ſecūdæ, & eſt aliquid vtriuſque: ſi ergo aliquid motum fuerit per totam horam primam, & quieſcat per totam ſecundam, debuiſſet in hoc vnico inſtanti ſimul moueri & quieſcere: quia hoc inſtans eſt aliquid horæ per quam totam mouebatur, & aliquid alterius per quam totam quieſcit: hoc autem impoſſibile eſt.

Ex his duobus effatis elicit tertium, quod per *mutatum* eſſe τὸ μεταβεβληκὸς, mobile nec moueri, nec item quieſcere valeat.

Inde etiam iſtud ſubiicit, quòd ante quodcumque *mutatum eſſe* ipſum *moueri* præceſſerit; & ante quodlibet *moueri* debuerit aliquod *mutatum eſſe* præceſſiſſe: eo quod in ſucceſſione continua nullum ſit inſtans, ante quod non fluxerit tempus; neque vllum tempus, ante quod non præceſſerit inſtans: *moueri* autem tempori; *mutatum eſſe*, inſtanti commenſuratur.

His ita ſe habentibus conſequens eſt, vt quomodo motus valeat incipere, vel deſinere, videamus: quatuor ſolent termini deſignari: *Primum ſui eſſe: vltimum ſui non eſſe: vltimum ſui eſſe: primum ſui non eſſe.* Res dicitur incipere per *primum ſui eſſe*, quando ſic ſubito ſit in hoc inſtanti, vt immediatè antè non fuerit: ſecus per *vltimum ſui non eſſe* dicitur incipere, quando in hoc inſtanti ſic non eſt, vt immediatè poſt ſit extitura. E contrario res deſinere dicitur *per vltimum ſui eſſe*, quando ſic vltimò eſt, vt immediatè poſt non ſit futura: denique deſi-

594
nit per *primum ſui non eſſe*, quando res non eſt, ſed immediatè ante fuit. Hi quatuor termini, ſunt quatuor inſtantia, quorum primum & tertium dicuntur intrinſeca, & competunt inceptioni & deſitioni, quæ in inſtanti accidunt: ſecundum verò, & quartum ſunt extrinſeca, & competunt rebus ſucceſſiuis. Hinc obſeruantur ſequentes regulæ.

Prima eſt. Motus propriè dictus, qui cum ſucceſſione continua fit, incipit per *vltimum ſui eſſe*, & deſinit per *primum ſui non eſſe*. Probatur quia ſi per *primum ſui eſſe* inciperet, foret inſtans, in quo motus eſſet: & primo eſſet; vnde prima pars motûs exiſteret, quæ omnia repugnant principiis doctrinæ Ariſtoteleæ, vt diximus: Similiter ſi deſineret per *vltimum ſui eſſe*, in vltimo inſtanti motus eſſet, & daretur vltima pars motus, contra Ariſtotelem. Sic ergo incipit v. g. calefactio, vt poſſit aſſignari inſtans, quando verum erit dicere *modo non eſt calefactio, immediatè poſt erit*; & ſic deſinit vt poſſit inſtans aſſignari, quando verum erit dicere, *modò non eſt*: *immediatè ante erat*; & cum duraſſe dicetur v. g. per horam integram, excludenda ſunt primum, & vltimum inſtans horæ, in quibus non potuit eſſe calefactio, ſed in primo cœpit negatiuè: & in vltimò negatiuè pariter deſiit.

Hinc infertur res omnes, quæ per motum ſucceſſiuum & continuum producuntur, eodem modo per *vltimum ſui non eſſe* incœptari, & per *primum ſui non eſſe* tandem exolui: quia eadem omnino eſt ratio. Paucis, ſic oriuntur & intereunt, quæcumque diuiſibiliter fiunt, vel deficiunt.

Secunda regula: Mutatio inſtantanea incipit per *primum ſui eſſe*, ob rationem oppoſitam; ſimiliter quæcumque mutatione indiuiſibili, & inſtantanea fiunt, eodem modo enaſcuntur, prodeuntque. Ea autem ſunt *primò* formæ ſubſtantiales: *ſecundo*, ſpecies figurarum vt bicubitum, tricubitum: *tertiò*, ſuperlatiua vt calidiſſimum, frigidiſſimum: quia hæc in indiuiſibili conſiſtunt: *quartò*, ea quæ nullam reſiſtentiam, aut contrarietatem patiuntur, vt illuminatio, & à fortiori creatio.

Tertia regula: quorum eſſe conſiſtit in indiuiſibili, ea deſinunt *per vltimum ſui eſſe*: quia alioquin deſinerent diuiſibiliter: idem de rebus quæ per vnicum inſtans durant, dicendum eſt: ideo *ipſum mutatum eſſe*, vt per *primum ſui eſſe* incipit, ſic deſinit per *vltimum ſui eſſe*.

Quarta regula: nihilominus forma ſubſtantialis deſinit per *primum ſui non eſſe*, vt ſcilicet forma ſuccedens, ad quam terminatur generatio, poſſit introduci & oriri per *primum ſui eſſe*: nam cum ante inſtans immediatè ſit tempus, & corruptio formæ recedentis præcedat immediatè introductionem nouæ, ſi hæc fit in inſtanti, debet illa neceſſariò contingere in tempore.

Sed hinc ſubito ingens ſuboritur difficultas, quomodo forma ſubſtantialis, quæ conſiſtit in indiuiſibili, poſſit deſinere in tempore, hoc eſt, corruptione diuiſibili, habente ſcilicet partes infinitas. Reſpondent corruptionem formæ ſubſtantialis ſumi poſſe dupliciter, primò pro alteratione, qua diſpoſitio conſeruatrix formæ abiiciendæ minui-

CAPVT XLVI.

DE QVALITATIBVS motus.

§. I.

De velocitate & tarditate motus.

VELOCITAS & tarditas duobus modis poſſunt conſiderari, primo ſecundùm ſe; ſecundo comparatiuè. Secundùm ſe ab Ariſt. in 5. Phyſ. explicantur tribus propoſitionibus: *Prima eſt*, mobile velocius eodem tempore moueri per maiorem magnitudinem. *Secunda*, mobile velocius per æqualem magnitudinem moueri in minori tempore. *Tertia*, mobile velocius in minori tempore maiorem magnitudinem tranſigere Hæc nota ſunt experimentis.

Comparatiuè ab eodem Ariſt. in 7. conſideratur, vbi primùm aſſerit non omnes conferri poſſe inter ſe: quia Mathematici ſupponunt lineam rectam non poſſe cum curuá comparari. Motus autem rectus ad obliquum ſe habet, ſicut linea recta ad curuam: Item comparatio nulla fit inter æquiuoca. Motus autem in genere ſunt æquiuoci, cùm ad diuerſa prædicamenta referantur. Ergo comparatio debet inſtitui inter motus eiuſdem ſpeciei, dè hac autem ſequentes tradit regulas.

Prima: ſi aliqua virtus ſuperat aliquam reſiſtentiam per aliquod ſpatium in aliquo tempore, eadem vincet dimidium huius reſiſtentiæ eodem tempore, per ſpatium duplex. Vt qui portare poteſt pondus 100. librarum duabus horis per duo ſtadia, poterit ferre pondus 50. librarum duabus horis per quatuor ſtadia.

Secunda: eadem virtus vincit eandem reſiſtentiam per dimidium ſpatij, in dimidio temporis. Sic præfatus baiulus poterit vnâ horâ per vnum ſtadium ferre 100. libras.

Tertia: eadem virtus vincit dimidium reſiſtentiæ in dimidio temporis per idem ſpatium. Ita ille 50. libras vnâ horâ per duo ſtadia feret.

Quarta: non eſt propterea neceſſe, vt eadem virtus vincat duplam reſiſtentiam in eodem tempore per dimidium ſpatij. Neque enim oportet vt ille 200. libras ferat duabus horis per vnum ſtadium.

Quinta: qui certam reſiſtentiam vincit certo tempore, &c. dimidiata virtute vincet dimidium reſiſtentiæ per idem ſpatium, & eodem tempore. Vt ſi Baiulus fortis vt 8. poteſt ferre 100. libras, fortis vt 4. ſolùm 50. feret duabus horis per duo ſtadia.

Sexta: nec eſt neceſſe, vt dimidia virtute is vincat totam reſiſtentiam per medium ſpatium in toto tempore, ſcilicet vt ferat 100. libras

per vnum ſtadium duabus horis.

Septima: virtus duplex duplicem reſiſtentiam vincet eodem tempore per idem ſpatium, vt baiulus fortis vt 16. feret 200. libras, &c. idem ſeruata proportione de cæteris motibus dicito. Hæc ex Ariſtotele, quæ ſupponunt ſemper in medio aliquam reſiſtentiam, quæ vim motricem remoretur.

§. 2.

De vniformitate & irregularitate motuum.

Aristoteles duas aſſignat cauſas, vnde fit, vt motus ſint vniformes, vel irregulares. *Prima* deſumitur ex parte rei, quæ mouetur; dum enim magnitudo in qua fit motus, eſt æqualis vel regularis, motus ille eſt vniformis: & ſi ſecus, irregularis. Regularis porro magnitudo ea dicitur, cuius quælibet pars vniformiter ſequitur aliam, vt patet in linea recta, quæ idcirco regularis, vel vniformis dicitur, quia omnes eius partes æquali tenore ſe conſequuntur; irregularis contrà magnitudo ea eſt, cuius partes aliquæ alias non vniformiter ſequuntur, vt fit in linea obliqua, vel angulari. Hinc itaque motus rectus dicitur regularis, itemque circularis, cùm in perfecto circulo, quælibet pars vniformi & æquali curuaminis ductu excipit aliam Motus verò flexuoſus & obliquus, difformis dicitur, & irregularis.

Secunda cauſa è velocitate, vel tarditate deriuatur. Quæ ob maiorem, minoremve agentis virtutem, aut ſubiecti reſiſtentiam contingunt, ac variantur.

Notat porro Ariſtoteles motum irregularem comparatum cum regulari eſſe minus vnum, atque adeo magis compoſitum: ſicut linea recta cenſetur magis vna, & ſimplicior, quam quæ per angulos in diuerſa latera incuruescit: ideo linea triangularis magis multiplex eſt, quam ſimpliciter recta. Idem de motu dicito.

CAPVT XLVII.

DE MOVENTE,

An omne quod mouetur diſtinguatur à mouente.

§. I.

Exponitur quæſtio.

ARISTOTELES 7. lib. Phyſ. exorditur ab haccе propoſitione, *Omne quod mouetur ab alio mouetur.* Et hinc ſibi parat iter ad peruestigandum primum motorem.

Nota primò hic non eſſe quæſtionem propriè de quolibet motu: ſed ſolùm de illo, de quo in his Phyſicorum libris præſertim tertio, egit Ariſtoteles, nimirum de motu qui eſt actus imperfecti, & præcipuè de locali. Non verò de motu, qui actus perfecti dicitur, quo interiores animæ operationes comprehenduntur, ſecundum quas animæ verè ſeſe mouere intelligendo ſcilicet, ſentiendo, appetendo, & alijs motibus eiuſmodi, uedum à Platonicis ſolùm, ſed etiam ab Ariſt. 3. de anima dicuntur *Et ſic patet*, inquit S. Th. hic, *quòd Ariſt. ponens omne quod mouetur, ab alio moueri, à Platone qui poſuit aliquid mouere ſeipſum, non diſſentit in ſententia, ſed ſolùm in verbis.* In 7. Phyſ. lect. 1.

Nota ſecundò ſolenne hoc eſſe Platonicorum effatum, corpora non poſſe ſeipſa mouere, imo ijs nullam per ſe alia mouendi vim, aut efficacitatem ineſſe, ſed ſolùm patiendi: moueri autem ab anima, denique ſolius ſubſtantiæ ſpiritualis prærogatiuam eſſe, vt ſeipſam moueat, motu ſcilicet animaſtico & perfecto. Quomodo autem mundána hæc fabrica, & vnde moueatur, ſic paucis deſcribit Marſil Ficin. in Timæum. *Omnia hæc à ſummo quidem bono eſſe; ab intellectu formari, ab anima poſtremo moueri: imo verò omnia hæc à primo, ſed eſſe à primo tantùm, formari à primo per intellectum; moueri & mouendo formari mobiliter à primo per intellectum ſimul, & animam.* q. d. communicationem ipſius *Eſſe*, quam D. Dionyſius πρώτην δωρεὰν appellat, appropriari Deo Patri; formationem, quæ fit ſecundum ideas, Filio; motum denique & agitationem, illi diuino ſpiritui qui *ferebatur* ſuper aquas, & hæc tria notat B. Paulus dum ait, In ipſo *Viuimus, mouemur, & ſumus.* Actiuum 17

Nota tertio, hanc propoſitionem Ariſtotelis, *Omne quod mouetur, mouetur ab alio*, multùm cruciare Peripateticos, qui propterea in ſectas varias diſtrahuntur. Cùm enim videant multa eſſe, quæ ſe ſe moueant, vt ſpiritus, animantes, ipſaque adeo elementa ſuum repeten-

tia centrum: coacti ſunt varias comminiſci ſolutiones, alij hoc de ſolis elementis & mixtis, & ijs quæ materia, formáque conſtant, ſolùm interpretantur, ita vt Angeli, animæque intellectiuæ, formæque puriſſimæ ac ſeparatæ, vt ipſa per ſe grauitas, &c. mouere ſe per ſeipſa valeant. Alij de motu Phyſico idem concedunt; negant de motu emanationis, cuiuſmodi eſt is, quo mens humana intelligit, ignis aſcendit, aqua frigeſcit, &c.

Zabarella.

Alij præfatam propoſitionem ſic explicant, vt quotieſcumque mouetur aliquid, debeat adeſſe quidpiam quod moueat, non motum, vel quod motum, non moueat: velut cùm Angelus mouet cœlum, Angelus mouet & non mouetur, & cùm ignis aſcendit, forma mouet mediante leuitate, & mouetur materia, quæ non mouet. Alij ſenſum hunc fabricant, in omni eo quod mouetur, id quod per ſe mouet, reuera diſtinguitur ab eo quod per ſe mouetur: velut cum ignis aſcendit, forma ignis eſt mouens per ſe; at non per ſe mouetur, ſed per accidens, quia mouetur ad motum totius: ſecus totus ignis per ſe mouetur, & non mouet per ſe, totus porro ignis ab eius forma diſtinguitur, &c. Alijs ſufficit, ſi quod mouet, vim motricem acceperit ab alio. Thomiſtæ demum illam propoſitionem ſimpliciter intelligunt: in tanta ſententiarum varietate quæritur quid ſit ſentiendum.

Scotus in 7. Phyſ.

Aretinus in 7. Phyſ.

Recentiores.

§. 2.

Solutio quæſtionis.

CONCLVSIO PRIMA: in corporeis abſolutè & ſimpliciter verum eſt, id omne quod mouetur, ab alio moueri, atque ita & motum diſtingui à mouente.

Ariſtoteles id probat hac ratione, omne quod mouetur, vel mouetur ab extrinſeco vel ab intrinſeco: ſi primum, ergo mouetur ab alio, ſi ſecundum, tunc ſic, quod deſinit moueri ad quietem aliùs, mouetur ab alio (vt enim quies ad quietem, ita motus ad motum aliûs ſequatur, neceſſe eſt,) ſed quod mouetur ab intrinſeco, deſinit moueri ad quietem aliûs. Nam omne corpus diuiſibile deſinit moueri, ſi aliqua pars quieuerit: alioquin ſi parte quieſcente, reliquæ moueantur, iam totum non moueretur per ſe primò, ac ſecundum omnes partes. Ergo ad quietem partis, quæ aliud eſt à toto, totum quieſcere neceſſe eſt.

Hæc eſt tota efficacitas argumenti Ariſtotelis, quod vſque adeo angit Peripateticos, vt quidam hunc 7. librum Phyſicorum tanquam adulterinum exploſerint, & rationes, quibus inſpergitur, dialecticas vocitarint. Alij hoc vt explicent, ſupponunt Ariſtotelem ibi ſolum loqui de eo quod non per accidens, neque per partem, aut ad motum alterius mouetur, ſed de illo quod primo, ac per ſe totum, & ſecundum omnes ſuas partes mouetur.

Toletus hic Alex Eudemus Themiſtius.

Supponunt ſecundo, vt aliquid dicatur per ſe primò ita moueri à

597

ſeipſo, requiri, vt ſeſe moueat independenter à quocumque alio, quod non ſit illud. Vnde ſequitur hic ſenſus quod ſic primo à ſe mouetur, habet in ſe principium, cui primò conuenit, vt moueat; at in corpore hoc nequit obtingere: quia cum ſit diuiſibile in infinitum, nulla eius pars poſſet aſſignari, cui primò competeret, vt moueret, quia ſi eſſet aliqua eiuſmodi, ante illam daretur alia quæ quieſceret, *Sic ergo*, inquit D. Th. hic *oſtendit Ariſtoteles cauſam, quare nullum mobile mouet ſeipſum, quia non poteſt eſſe primum mobile, cuius motus non dependeat à partibus*, & *ſi pars non mouetur, totum non mouetur: ſicut ſi pars non eſt, totum non eſt, vnde & Platonici, qui poſuerunt aliqua mouere ſeipſa, dixerunt, quòd nullum corporeum mouet ſeipſum, ſed mouere ſeipſum eſt tantummodo ſubſtantia ſpiritualis*, (.i. animæ,) *quæ intelligit ſeipſam*, &c. Hactenus S. Th. Qui alias cupit interpretationes, legat *Complutenſes hic, Ferrarienſem in* 1. *l. contra Gent. c.* 13. *Suarez* 1. *Met. diſp.* 58. &c.

Interim ex prædicto argumento Ariſtotelis ſaltem hoc debet inferri, voluiſſe illum, quod quidquid mouetur, debeat neceſſariò moueri à principio extrinſeco, & hinc motorem extrinſecum neceſſario inueſtigauit: atque hoc notes velim contra interpretationes Scoti, & Aretini, & aliorum ſuprà relatas.

Probatur ſecundo concluſio, & forte efficacius: idem non poteſt ſimul eſſe in actu completo ad agendum, & in potentia paſſiua ad patiendum: quod verò mouetur, eſt in potentia paſſiua ad recipiendum. Ergo idem non poteſt eſſe mouens & motum. Ma. manifeſtatur ex oppoſitione, quæ inter agens & patiens, atque inter vires vtriuſque intercedit: nam agens dat ex eo quod actu habet, patiens recipit, eo quòd indigum fuerit, quare priuatio ſupponitur in paſſo, plenitudo verò in agente: paucis, agens habet actum oppoſitum potentiæ, qua patiens aptum eſt ab illo perfici. Repugnat autem idem eſſe plenum & vacuum, ſimulque cum actu quo perficere queat, potentiam illi oppoſitam, qua ſolum perfici aptum ſit, poſſidere. Mi. patet etiam, quia omne mouens eſt agens, mobile verò patiens. Certè hoc argumentum efficaciſſimum eſt quoad motum Phyſicum, qui eſt actus imperfecti, nam is neceſſariò ſupponit id quod mouetur, ex ſe carere perfectione, quam per motum, ab agente perfecto præſtolatur: ſiue hoc vniuocum ſit, vt cum aqua calefit ab igne, ſiue æquiuocum, vt cum cœlum mouetur ab intelligentia, & à cœlo alterantur elementa, nam in hiſce omnibus æqualiter procedit argumentum.

Reſpondent Scotiſtæ duplicem eſſe actum, formalem & virtualem, illum eſſe quo quid formaliter eſt tale, ſicut ignis eſt formaliter calidus: hunc eſſe, quo quid poteſt efficere tale, ſicut vinum eſt virtualiter calidum, aiunt autem non repugnare, quominus idem ſit ſimul in actu virtuali & in potentia formali. Hinc tria dicunt *Primum*, idem poſſe à ſeipſo moueri: *Secundum* ſufficere, quòd mouens ſaltem ratione diſtinguatur à moto; *Tertium*, eam diſtinctionem in eo poni, quòd mouens ſit, quatenus eſt in actu virtuali; motum verò, quatenus eſt in potentia formali.

Rr

Sed contrà, in primis quod eſt in actu virtuali, non eſt ens imperfectum: ergo eius actuatio formalis, quæ per motum fieret, non eſſet actus imperfecti. *Secundo*, vel eſt in actu virtuali perfectè completo ad agendum, vel non: ſi non, Ergo debet compleri per aliquam mutationem circa ſe contingentem: ſi ſic; ergo nullum potuit eſſe inſtans in quo actum non exerceret ſuum, & conſequenter eo ipſo, quo in actu virtuali eſſet, in actu quoque formali conſtitui debuiſſet.

Confirmatur hæc ſequentibus maximis, quas ſuprà copioſiùs elucidauimus. Quarum *Prima* eſt, *quod modo eſt in actu & modo in potentia, debet in actum redigi per id, quod ſemper ſit in actu*, hoc eſt per id quod per ſe actu completè potens eſſet atque expeditum ad actuandum: & ratio eſt, quia quod modo eſt in actu, & modo non eſt, cùm non ſit per ſe tale, hoc eſt, in actu, debet eo redigi per id quod ſit per ſe in actu: quod autem per ſe actu eſt, ſemper tale eſt. Ex hoc efficitur primo mouenti, per ſe, & ſemper ineſſe actum illum ratione cuius mouet cætera: eſt enim is actus voluntatis diuinæ, qui & Deus eſt. Nec ſequitur propterea effectum debere ſemper inſequi, quia huius actus obiectum eſt, vt in tali vel tali tempore, talis aut talis motus emanet inde, & non aliter.

Secunda maxima eſt, *idem manens idem ſemper facit idem*. Vide c. 19. §. 2. Ergo quod ante non mouebat, ſi poſtmodum moueat, debet aliter ſe habere.

Tertio probatur inductione quoniam nihil poteſt aſſignari, quod moueatur, cuius non extra ipſum aſſignetur cauſa mouens, & excitans, id quod ex ſolutione argumentorum abunde patefiet.

§. 3.

Soluuntur obiecta.

8. Ph. t. 40. OBIIC. 1. Ariſtoteles explicans de quo mouente loquatur, ait *Similiter autem, & aliorum vnumquodque, quorum mouens neceſſe eſt habere vniuocum.* Ergo ſolum mouens vniuocum, (quod eſt in actu formali, debet diſtingui à moto: non verò mouens æquiuocum, quale eſt quod eſt in actu virtuali. Reſp. Ariſtotelem vere loqui etiam de mouente æquiuoco, quandoquidem ex illo principio; *Quidquid mouetur ab alio mouetur*, tranſcendit ad primum motorem, qui mouens æquiuocum eſt. Adduxit tamen exempla vniuoca vtpote manifeſtiora, ſed non negat idem verum eſſe in reliquis.

Obijc. 2. multa ſunt, quæ ſeipſa mouent, aliunde non mota: *Primò* enim ſpiritus ſe mouent è loco in locum, animæ item ſeparatæ quidni locorum mutare poſſunt interualla?

Secundo, Angelus & anima rationalis intellectionem, appetitionem, &c. in ſeipſis eliciunt, ſimulque ſuſcipiunt: imo in hoc elucet vel maxime prærogatiua libertatis, vt liberum ſit quod à ſeipſo mouetur.

Tertiò, viuentia quoque eò non viuentibus præſtant, quòd ſeipſa moueant, progrediendo, vegetando, augeſcendo, &c.

Quartò, elementa ſuis è centris diſtracta, quam primùm libera fuerint, eò ſe proripiunt, & ſimili modo aqua calefacta, dum ſibi relinquitur, ac ſui iuris euadit, ſe continuo refrigerat: nec tamen mouentur aliunde.

Quintò, ſi lapidem proieceris, vbi à te diſceſſerit, ſuum ipſe motum peragit, cùm tamen non ſit ampliùs mouens, à quo propellatur. Ergo, &c.

Reſpondeo in his omnibus maximè deprehendi veritatem, quam hactenus ſumus tutati: & quidem quoad ſpiritus & animos noſtros certum eſt eos etiam ſe non mouere niſi ab alio præmoti fuerint ob ſecundam rationem ſuperiùs adductam, ſed hoc in illis animaduertendum eſt, quòd potentiam ſe mouendi quidem habeant, at non vltimo determinationis actu completam, ideo ad vlteriorem adhuc determinationem indifferentes ſunt. Seque ipſi determinare poſſunt aliquando, (in quo à non viuentibus differunt,) ſed vt ita ſe determinent, egent motione aliqua extrorſum ſibi accidente, vt vidimus c. 20.

Hinc ad *primum*, Reſpondetur Angelum & animam ſeparatam mouere ſe poſſe localiter, ſed priùs moueri per voluntatem, quæ rurſus ad media mouetur à fine, & ad finem à bono, quod Deus eſt, quodve Dei motione creatum quélibet prolicit, ac delectat appetitum. Ita intellectus motus & illuminatus à prima veritate, quę Deus eſt, vel Dei radius, cætera vera intelligit: & hoc etiam ad *Secundum* ſufficiat. Similiter ad *Tertium*, Reſpondetur corpus moueri ab anima, hanc verò ab obiectis extrinſecis, vel ab authore naturæ. Hoc porro ſic intellige, vt totum animal ſit, id quod mouet, & etiam quod mouetur: ſed anima eſt id quo mouet; & corpus id quo mouetur, & in eo eſt aliqua pars, quæ principium motus eſt, à qua nimirum reliquæ omnes mouentur, vt cor. Ideo illa diſſimilaris eſt & heterogenea.

Ad *quartum* & *quintum*. Reſpondetur vt ſequitur.

CAPVT XLVIII.

DE MOTV ELEMENTORVM.

§. I.

Explicatur & reſoluitur quæſtio.

QVÆSTIONEM propoſitam variè tractant Philoſophi. Alij volunt elementa moueri à ſeipſis principaliter: alij à cœlo, alij à proprijs centris, alij à generante.

CONCLVSIO PRIMA: elementa dum remotis impedimentis ad propria centra conuolant, non mouentur à ſeipſis principaliter. Ita

euidenter Ariſtoteles 8. Phyſ. t. 33. vbi ſic ait, *Omnia quæ mouentur, aut naturâ mouentur, aut præter naturam & vi, atque ea quæ vi & præter naturam, omnia ab aliquo, & ab alio mouentur; eorum rurſus quæ naturâ mouentur, tam ea quæ à ſeipſis mouentur, ab aliquo mouentur, quàm ea quæ non à ſeipſis, vt leuia & grauia: (aut enim mouentur ab eo quod genuit, & fecit leue ac graue; aut ab eo quod impedientia, & prohibentia remouit,) profectò quæcumque mouentur ab aliquo mouentur.*

Et in text. 29. hanc reddit rationem. *Ipſa namque moueri à ſeipſis, impoſſibile eſt: vitale ſiquidem hoc & animatorum proprium eſt. Et ſiſtere poſſent ſeipſa, vt ſi quid ambulandi cauſa ſit ſibi, eſt & non ambulandi.* Quare cùm *in ipſo igne* inſit, *vt ſurſum feratur, planum efficitur in ipſo quoque* ineſſe vim ac principium, *vt feratur deorſum.* Tum deinceps probat in eo quod ſe mouet, debere partem mouentem eſſe diſtinctam actu à mota: vnde quatuor iſtæ rationes colliguntur, *Prima*, moueri ab interno principio principali proprium eſt viuentium: ſed elementa non ſunt viuentia. Ergo, *Secunda*, quod mouetur à ſeipſo, poteſt conſiſtere & quieſcere ante finem motus: id non poſſunt elementa. Ergo, *Tertia*, quod mouetur à ſeipſo, poteſt etiam naturaliter moueri ad oppoſitum, non poſſunt id elementa. Ergo: duæ iſtæ rationes in eo fundantur, quòd quæ à ſe principaliter mouentur, non habeant à naturâ potentiam vltimò & proximè actuatam ad motum hunc vel illum, vnde quædam in illis adhuc ineſt indifferentia, cùm ad quietem, tum ad oppoſitos motus, quæ per determinationem à forma prouenientem tollatur: quæ autem ſecus à natura determinata iam ſunt, ea tum ab eo ſolùm principaliter moueri cenſentur, à quo actualem hanc determinationem accepere, vt mox oſtendemus apertiùs.

Quarta denique ratio Ariſtotelis eſt, quia nullum continuum poteſt mouere ſeipſum: ſed elementa ſunt continua. Ergo. Ma. patet, quia in eo quod ſeſe mouet, pars mouens debet eſſe actu diſtincta, & quaſi ſeparata à motâ: at hoc non contingit in continuo: ergo, &c. cùm autem audis ſeparatam, heterogeneam intellige, quæ diſtinctis organis polleat, quibus ad mouendum apparatur, vt cor in animali, & huiuſmodi parte carent elementa.

Reſpondet Aretinus in 7. Phyſ. in elementis eſſe materiam & formam, materiam ſolum moueri, formam ſolam per ſe mouere, licet reciproce ad motum totius per accidens moueatur. Contrà, *Primò* loquendo de motu naturali, materia non eſt per ſe ſola principium paſſiuum motus: ſed hoc etiam habet à forma, vt diximus c. 13. §. 3. *Secundò*, totum per ſe mouetur, mouens autem debet eſſe præter id quod mouetur. Ergo debet eſſe aliquid præter totum, cuiuſmodi non eſt forma. *Tertiò*, vel forma naturaliter habet potentiam vltimò determinatam ad mouendum, vel non: ſi primum, ergo poſſet ciere motus oppoſitos vt diximus: ſi ſecundum, ergo mouetur ab alio, vt dicemus.

Conclvsio 2. Probabile non eſt elementa moueri à cœlo, aut à ſuis centris. Hoc enim nequit aſſeri niſi per quaſdam virtutes occul-

tas, ad quas refugere nuſquam debet Philoſophus, quoties aſſignari poſſunt manifeſtæ. Deinde quod non à cœlo moueantur, patet, quia vel attraherentur omnia ſurſum, vel omnia deorſum repellerentur: vtrumque autem falſum eſt: quòd non etiam à centris, patet, quia quò moles foret amplior, eò magis virtuti à centro illis impreſſæ reſiſteret. Vnde tardiùs ad illud raperentur: ſicut ob eandem rationem, quo denſior eſt ferri moles, eo renitentiùs ad magnetem accedit. Hoc autem eſt contra experientiam.

CONCLVSIO 3. Probabilius eſt elementa moueri principaliter à generante: aut enim à generante mouentur ad ſua centra, vel ab eo quod remouet impediens ex Ariſt. ſuprà; ſed ab eo quod remouet impediens, non mouentur niſi per accidens. 8. Phyſ. t. 32. Ergo per ſe mouentur à generante: nec ſane de ſententia Ariſtotelis ambigi poſſe vllatenus arbitror: neque de illa ſancti Thomæ, vt eum legenti conſtabit. In 8. Phyſ. l. 8. ep. q. 18. a. 1. &c.

Vt autem probetur concluſio, notandum eſt cum Ariſtotele duplicem eſſe actum: primum ſcilicet, & ſecundum: ille eſt forma conſtituens eſſentiam, vt forma ignis: iſte, operatio conſtituens rem actu operantem: vt combuſtio: ſic duplex eſt potentia; altera ad actum primum, qualis eſt in ligno ad ignem: altera ad ſecundum, qualis eſt in igne ad comburendum. Remota illa, hæc proxima dici poteſt; inter vtrãque diſcrimen hoc accidit ex eod. Ariſt. quòd nihil valeat è priori potentia in actum primum progredi niſi per actionem agentis, at quod poſteriori potentia iam pollet, in actum ſecundum poteſt ſe ſolo prorumpere, niſi prohibeatur: quare tunc ſatis fuerit remoueri prohibens. Hinc apparet ab Ariſtotele potentiam hanc proximam vſurpari pro ea quæ ſit vltimo ad agendum completa; & quæ nunc vſitatiùs ſolet vocari actus primus; nam duplex admittitur actus primus, vnus formalis qui conſtituit eſſentiam, alter cauſalis; è quo immediatè fluit effectus, niſi obſtet exterius aliquod impedimentum.

Hinc iſtud formatur argumentum, ab eo elementa mouentur, à quo ponuntur in actu primo cauſali; ſeu à quo potentiam proximam ſui motus accepere: ſed illud eſt generans. Ergo mouentur à generante. Ma. inductione declaratur: ſenſus, nemine refragãte, mouentur ab obiectis. At quomodo, niſi quia perſpecies ab illis acceptas ponuntur in actu primo cauſali, atque adeò principium proximum ſentiendi accipiunt? Diſcipulus item à Magiſtro eruditur; quinam? eandem certè ob cauſam. Inſtrumentum mouetur à cauſa principali: quare? quia ſimiliter proximam inde coöperandi facultatem ſuſcipit, ita de cæteris. Mi. æquè ſit euidens, ſumo v. g. ignem: actus cauſalis, eſt actualis eius leuitas: hac enim poſita, illico ſurſum euolat.

Hinc ita decet argumentari: quod dat alicui actum primum cauſalem, id eius mouendi cauſa eſt principalis: ſed quod ignem generauit, quodcumque illud, vel vbicumque fuerit, ſiue agens vniuocum, ſiue æquiuocum, in centro ſiue extra centrum, dedit ei actum primum cauſalem, dum ſuam contulit leuitatem. Ergo eo ipſo illum cenſetur me-

rito ad motum leuitate obtinēdum ciere, ac propellere: præſertim quia ille motus debitus eſt igni, vel in primo inſtanti, quo eſt, vt poſſit in ſuo centro conſeruari. Idem de grauitate reſpectu terræ & aquæ, dicendum eſt. Quamobrem leuitas reſpectu aſcenſus, & grauitas reſpectu deſcenſus ſe habent quemadmodum actualis motio inſtrumenti, ſeu ſicut ſcientia, quam Deus intellectui Angelico infundit, *qua continuo contemplatur ille, qui ſcientiam habet, niſi quid obſtet*: aut certè ſic ſe habent, quemadmodum impetus à proiiciente infixus ſagittæ volanti: quare ſicut inſtrumentum ab agente dirigitur; Angelus à Deo eruditur; & ſagitta mittitur à proiiciente; ſic elementa mouentur ab eo quod illa fecit leuia, vel grauia, vt loquitur Ariſtoteles cit. ſupra in 1. concl. text. 33. & licet poſt inditas has qualitates generantia remoueantur, aut pereant; manent tamen adhuc virtualiter in elementis per virtutes ſuas, quæ ſunt leuitas & grauitas: ſicut qui gignit hominē, ſuſcepto ſemel ſanguine prolifico, tametſi primo poſt conceptum die moriatur, nihilominus per virtutem ſuam ſic agit deinceps, quaſi præſens & coniunctus fœtui, cuius eſt genitor, continuo permanſiſſet.

Ex Ariſt. in Phyſ.

In hoc igitur totum robur huius ſententiæ ſitum eſt, vt leuitas & grauitas ſint actuales determinationes, elementis inditæ ad quærendum locum ſibi, vel à primo momento debitum, & formalia pondera, quorum naturalis actus ſit ferre ſemper ſurſum, aut deorſum: Itemque in hoc, vt illud idem quod elementa genuit, eadem fecerit actu leuia, vel grauia: quia quod dat eſſe, dat etiam ea, quæ pertinent ad naturalem perfectionem ipſius eſſe: tum quia naturales omnes vires, & facultates ab eodem cenſentur proficiſci, à quo gignitur eſſentia, cui per ſe competunt, &c.

§. 2.

Soluuntur obiectiones.

In 1. d. 2. q. 10. Greg. Ant. Andr. Valeſ.

ADVERSVS hæc Scotus cum aliis multis plurima obiicit, ſed quæ iam magna ex parte ſoluta ſunt. In primo ait ex Ariſtotele motum elementorum attribui leuitati, vel grauitati eorumdem, vt patet ex 8. Phyſ. t. 32. vbi dicit *leue ſtatim, atque generatum fuerit, operari, ſi non aliquid obſtet, & actum leuis eſſe, vt alicubi ſit, & ſurſum*: & 4. Phyſ. t. 85. ait *graue & leue eſſe actiua motus*: ergo non opus eſt vt recurratur ad generans. Reſp. His euinci ſolùm quod grauitas & leuitas ſint principia motus proxima & inſtrumentalia ſecundum ſenſum concluſionis noſtræ.

Dices, virtus inſtrumentalis eleuari ſolet ad effectum ſe nobiliorem: at impulſus ad locum ſupernum, vel infernum non ſuperat nobilitatem leuitatis vel grauitatis. Reſp. Elementa non ſimpliciter agi ſurſum, aut deorſum, ſed præterea huc ordinari ad ipſorum conſeruationem, quæ plurimum pendet à centris: ad hanc igitur illico aſſequendam, generans iis dedit leuitatem, vel grauitatem: ac per hoc eas

quodammodo eleuat ad conſeruandum eſſe illorum. Alij negant has qualitates eſſe actiuas, & cenſent eas ſolùm paſſiuè diſponere ipſa elementa, vt ſuſcipiant motum à generante, & quoſdam textus citant D. Thomæ ex 2. de Cœlo t. 9. Sed Reſpondeo ex D. Thom. Opuſc. 2. de dimenſ. interm. *Eas aliquando dici principia actiua motus, in quantum ſunt inſtrumenta generantis, quod eſt mouens principale grauium, & leuium .... quandoque dici principia paſſiua; quia ſunt effectus generantis: effectus enim in quantum huiuſmodi, habent rationem paſſiui.* Vide Complut. hic.

Obiicies 2. Ideo dicimus elementa moueri à generante, & non à ſeipſis, vt diſcrimen aliquod aſſignetur inter viuentia & inanimata: ſed diſcrimen illud nullum eſt: nam viuentia & animantes debent quoque moueri ab extrinſeco; niſi enim ab obiectis mouerentur, motu omni deſtituerentur. Ergo. Reſp. Diſcrimen ſuperius à nobis aſſignatum eſſe optimum: cui hoc vnum ſubiiciemus, quod ſcilicet in viuentibus ſit potentia, quæ immediatè ponatur in actu primo cauſali à ſola forma informãte. v.g. potentia progreſſiua, à quo determinatur niſi à forma? Fateor formam prius determinari per imaginationem, hanc per ſenſum, & hunc denique ab obiectis: ſed iſta quid efficiunt aliud, quam quod determinent formam, vt hæc determinet potentiam progreſſiuam? ita efficitur vt motus progreſſionis verè ab intrinſeco proueniat. Ita de potentiâ iraſcendi, appetendi, &c.

Hic interim notes velim: hoc quod eſt *à ſe moueri*, proprium eſſe viuentis: primò enim ac per ſe conuenit vitæ, vtique tanquam primæ & nobiliſſimæ operationi, quæ principium à quo exit, rurſus explet & viuificat. Quamobrem quo quid vitam nobiliori gradu poſſidet, eo id præſtantius à ſeipſo mouetur, & contra; quò quid minùs vitæ particeps fuerit, eo id minùs à ſeipſo moueri cenſendũ erit. Cùm ergo plantæ ſint in infimo gradu viuentium: minimum quoque huius vitalis motionis exercitium habent: ſpiritus verò intellectualis in ſupremo gradu cùm ſit, etiam perfectiſſimè ſe mouet: indeque ipſius libertas emicat. Denique primum per ſe viuens imparticipatum, quod eſt diuina mens, primò per ſe atque penitus independenter ſe mouet, motu ſcilicet nobiliſſimæ intellectionis, quæ perfectiſſimum ſtatum nequaquam interturbat, vt diximus in Logica c. 21. §. 2. Atque ab eo motu viuifico, cæteri pendent motus naturales.

Obiic. 3. Elementa mouentur à centris ſuis. Ergo non à generante. Antec. oſtenditur ex eo quòd nequeat aliter explicari; cur illa tantò velociùs attrahantur à centro, quantò illi viciniora fuerint, vt docet Ariſt. 1. de Cœlo. t. 88. Reſp. Nego antec. ad probationem dico variè à variis hoc exponi conſueuiſſe: ſed ſufficiat D. Thomæ ſolutio: id enim ibidem putat accidere, *quod quanto corpus graue magis deſcendit, tanto magis confortatur grauitas illius propter propinquitatem ad proprium locum*, ſed vnde hæc confortatio? multis modis poteſt hæc explicari: primo, fortè ob συμπάθειαν loci: probabile namque eſt in centris, & circumquaque regnare quandam vim fouendis grauibus, vel leuibus

idoneam, à cœlo vel à natura vniuerſali afflatam, iiſque amicam: hæc ergo corroborari elementa, dum huc appropiant, quid vetat? ſecundò, ob diminutionem virtutis contrariæ: nam res naturales ſolent ex ſitu in quo diu iacuere, quandam quaſi habitualem virtutem contrahere, qua in eundem poſtea aliquandiu inclinentur, vt diximus ſupra c. 27. §. 2. Tertiò poteſt grauitas confortari ob remotionem maioris impedimenti: nam quò propiùs graue centro accedit, eò minus interiecti corporis ſuperandum ſupereſt: ideò illud faciliùs vincit. Adde quòd dum graue decidit infernè agitat aërem, eumque tantò intenſiùs commouet, quantò diutiùs: hinc verſus centrum aër ſubinde celeriùs ſubſidit, magis graui deorſum tẽdenti condeſcendit, eique cedit faciliùs. Has omnes rationes fere attingit Simplicius in 8. Phyſ. Denique aër circumquaque agitatus, dum ſpatium quod ſupernè relictum eſt à graui, impetit, ne detur vacuum, nouum quemdam impetum facit, vt partes diuulſæ, ac diſſipatæ rurſus coëant, & amiſſæ vnionis iacturam fortiori denuo impactione reſarciant. Quo fit vt ipſa grauitas (non dicam augeatur, neque enim lapis propè centrum ponderoſior eſt, quam procul,) ſed adiuuetur, vt liberiùs effectum ſuum naturalem exerat.

Quæres vnde conſtet grauia & leuia, velociùs rapi prope centrum. Reſp. à Stratone Lampſaceno duobus id experimentis demonſtrari: primum eſt, quòd aqua è tegulis defluens, cùm primò ſit continua, deinde prope terram à ſua continuitate diuellitur ob nihil aliud quã ob maiorem ſuæ celeritatis impetum: ſecundum, quòd lapis ex alto decidens grauiore ictu terram percutiat, quam ſi è loco viciniore. Vnde magis ab illo læduntur ij ſuper quos cadit. Tertium peti poteſt ab horologiis, quæ ponderibus librantur: nam quo hæc ex altiori loco demiſſa, terræ propiùs impendent, celerius cadunt; horaſque tunc efficiunt breuiores.

CAPVT XLIX.

DE MOTV PROIECTORVM, à quo fiat.

§. I.

Explicatur & reſoluitur quæſtio.

CVM mouens debeat coniungi cum re mota, & videamus ſagittam emiſſam à ſagittante, in ſcopum tendere, appellereque illo interim diſtante, imo & forte mortuo: Quæritur qua virtute motus ſagittæ tunc peragatur.

Omiſſis Philoſophantium controuerſiis, occurrit in primis ſententia

tentia Ariſtotelis ſentientis res violentè proiectas, moueri ab aëre, qui primò à proiiciente impulſus, reliquum impellit, & cum eo rem proiectam. *Mouentur*, inquit, *proiecta, eo qui impulit non tangente, aut propter contrarij circumobſiſtentiam*; (quod refutat 8. Phyſ. t. 82.) *ex eo quod pellit pulſus aer*, (quod ipſe maximè ſemper approbat.) ſicut enim *cùm quis mouet aquam, vel aërem, hoc aliud mouet & hoc aliud, & quieſcente illo accidit huiuſmodi motum procedere vſque ad aliquid, illo qui mouet non præſente.* D. Thomas ita probat, & explicat: *Non eſt intelligendum quòd virtus violenti motoris imprimat lapidi, qui violenter mouetur, aliquam virtutem per quam moueatur; ſicut virtus generantis imprimit genito formam, quam ſequitur motus naturalis: nam ſic motus violentus eſſet à principio intrinſeco, quod eſt contra rationem violenti: ſequeretur etiam, quòd lapis eo ipſo, quòd per violentiam moueretur localiter, alteraretur, quod eſt contra ſenſum. Motor igitur violentus ſolum imprimit lapidi motum, quod quidem fit, dum tangit ipſum: ſed quia aër eſt ſuſceptibilior talis impreſſionis, tum quia eſt ſubtilior, tum quia eſt quodammodo leuis, violentiùs mouetur per impreſſionem violenti motoris, quam lapis, & ſic deſinente violento motore, aër ab eo motus vlteriùs propellit lapidem, & etiam aerem coniunctum, qui etiam mouet lapidem vlteriùs*, &c. 4 Phyſ. t. 68 l. de ſomniis c. 2. In 3. de Cœlo lect. 7.

Secundo loco ponemus opinionem Platonis, cauſam eiuſmodi motus è fuga vacui, & ab antiperiſtaſi arceſſentis. Hanc Ariſtoteles refellit 8. Phyſ. t. 82. ſed ſi ritè fuerit explicata, ab ea fortè prior ſuum omne videbitur robur depromere. Senſus ergo eſt, dum lapis v. g. proiicitur, illico findi aërem, vt procurrenti lapidi pateat via, quo vlteriùs progreſſo, in ſpatio quod relinquitur vacuum fieret, niſi circumſtans aër ſubito affluens illud oppleret: in hoc affluxu ponè fit quædam concuſſio lapidis, vnde vlterius quoque impingitur. Hæc reciprocatio circumſtãtis aëris ritè antiperiſtaſis dici poteſt: περίστασις enim circumſtantiam ſonat: ἀντὶ verò modò *contrà*: modò *viciſſim*, ſeu reciprocè ſignificat. Hanc Alex. Platoni attribuit.

Eſt & tertia ſententia celebris, quòd ſcilicet à proiiciente quidam impetus rei proiectæ infigatur, inſtar agitationis cuiuſdam, quæ tandiu in re proiecta duret, quandiu eius durat impulſio. Impetus ille dicitur eſſe qualitas, non permanens, vt grauitas vel leuitas, ſed fluens vt irradiatio, quæ à lampade fluit in oculum. Per hunc continuatur quodammodo impetus proiicientis cum re proiecta, ita vt ex applicatione, & niſu quo proiiciens lapidem impingit, ſequatur ac reſultet in lapide participatio quædam illius agitationis & impetus, qui fuit in proiiciente. Ita Thomiſtæ communiter, & præterea *Scaliger*, *Cardanus*, *Toletus*, &c. Exerc. 28. l. 2. de ſubt. 8. Phyſ. c. 9.

§. 2.

Deciſio quæſtionis.

CONCLVSIO. Motus proiectorum fit tribus illís modís, quí tribus præfatis opinionibus deſcribuntur: & quidem *Primus modus*, qui ducitur ab aëre moto & mouente, ſic explicatur. Cum impellitur lapis, ſimul impellitur circumſtans illum aër, qui vt facilis eſt moueri & mouere, rurſus lapidem, ac cum eo aliam partem aëris ciet: & hæc iterum aliam cum ipſo lapide: & ſic deinceps.

Probatur autem primo authoritate Ariſtotelis ſuprà, tum nonnullis experimentis eiuſmodi: Campana ſurſum inuertatur, ita vt manubriũ ad perpendiculum deorſum vergat, tunc ob minimum tactum toto ſuo pondere relabitur, & mox vbi ad perpendiculum pependerit ſine interruptione ſeſe proprio libramento ad aliud latus ſurſum attollitur: quid tunc illum motum incutit niſi aër circumquaque agitatus, reciproca ſc. ſuarum partium fluctuatione illud æs penſile reuibrans? Item cum pila plumbea è tubo bombardæ tanto impetu emittitur, quid hunc niſi aër ab igni rarefactus efficit? Idem in terræ motibus, nubiũque ex fulmine ſciſſionibus, atque etiam in cuniculis puluere tormentario ſuccenſis integra propugnacula deiicientibus contingit: ex aëre rarefacto motus hi perquam violenti eueniunt. Ergo aër impactus vel rarefactus mouere poteſt alia corpora.

At *ſecundus*, qui eſt Platonis, etiam prædictum motum plurimum iuuat. Imo crediderim, vix ſine illo poſſe priorem explicari. Etenim finge ſagittam ab arcu rectâ tranſmiſſam in ſcopum: huc ea per rectam lineam collimat, intra quam primo ſagitta propellitur ab arcu immediaté, & mouet exinde aërem verſus ſcopum: & hic aër alium anteriorem, ipſique ſagittæ præambulum diſcutit: ergo intra eandem lineam rectam, non aër ſagittam, ſed hæc aërem potius mouet: extra illam autem lineam; ſi mouetur aër immediate à neruo huius arcus, certe diſpergitur huc illuc, vnde nequidquam is poteſt ſagittam impellere: niſi refluens in locum ſagittæ, prohibiturus vacuum, illam facto impetu pone diuerberet: ſic enim promouebit. Iuuat autem hic etiam ponderare; quòd partes aëris dum diuiduntur, vim quandam patiantur, ideo vnionem ſuam contraria vi reſarcire contendunt. Ita reciproca fit incurſio, & *ἀντιπερίστασις*.

Denique præter hos duos modos maximè neceſſarius eſt *tertius*, qui per impetum explicatur. Nam hunc multa perſuadent: primo experimenta; deinde rationes.

Experimento percepimus, quod ſi virgam ferream digito ſuſpenſam teneamus; ſi pars infima tacta fuerit, quendam tremorem in ea digitis perſentiſcimus: quid tremor ille niſi impetus? durat enim aliquandiu poſt pulſionem: & ſentitur ſub digitis, vbi non eſt aër circumfluens,

Aliud ex Scaligero colligam. Sit læuiſſima tabula, intra quam torno

fiat foramen orbiculare, aptum ad continendam rotam, ita vt hæc intra illud liberrimè poſſit circumagi; & minimum aliunde aëris inter conuexum circulum rotæ, & concauam ſuperficiem huius foraminis intercipiatur. Tunc dirigatur hæc tabula, rota intra hoc foramen ſic collocetur, vt axe hincinde ſuper duobus furcillis innixo, ipſa in illo foramine penſilis ſit vndique; tunc citiſſimè circumrotetur: accidet vt remoto primo motore, diu continuetur illa rotatio: à quo autem fiet? ab aëre? at ſupponimus hic pauciſſimum interiici, & hic adhuc illo moto diſpergitur, vel rareſit, ac rarefactus exit foras, ita potius externum aërem agitaret, quam rotam: reſtat ergo vt fiat ab impetu.

Ratione probatur *Primò*, quia ſi à ſolo aëre fiat motus proiectorum, omnia quæ probant grauia & leuia citiùs moueri circa finem, idem quoque probarent de proiectis: cum tamen contrarium eueniat.

Secundo, Quia difficillimè poteſt explicari, quomodo ab aëre, qui circularibus quaſi vndis circumquaque glomeratur, vt fit in aqua, poſſit ſagitta tam rectà & tam rapidè in ſcopum tendere? præſertim cùm ſupra demonſtrauerimus, non poſſe illam ab aëre moueri, qui eſt intra rectam lineam, ſed ab eo qui fertur in tranſuerſum.

Tertio, Cum perflat vehementiſſimus Aquilo & ſaxa diſturbat, ac turres; ſi ex oppoſito lapidem proieceris: cur à vento tam valido in contrariam partem non abripietur; ſed ſequetur potius impetum manus tanto leuiorem?

Ad hæc conſidera quemadmodum etiam nullo ſpirante vento, aër naturâ ſuâ maximè reſiſtat rebus, quæ ſic proiectæ ſunt: adeò vt ex colliſione ſæpe plumbea glans præ calore colliqueſcat, & homo, qui ex alto ſe in mare præcipitem daret, cruribus diductis ac diuaricatis ab intercurrente aëre findi ſoleat medius; quantò ergo maior reſiſtentia ex validiſſimo vento proueniet? illam autem quid vincet? an aër oppoſitus? at nullus eſt, qui rem proiectam directè aduerſus illum ita reſiſtentem protrudat, vt diximus. Ergo neceſſe eſt, vt à proiiciente promanet impetus in rem motam, eamque impellat, & dirigat.

Adde ſequentes caſus; aër quantuſcumque in mobile quieſcens quantouis impetu moueatur, non tamen illud ita impellet, ſicut impellitur à proiiciente. 2. Pila longiùs truditur reticulo perforato, à quo vix aër commouetur, quia totum liberrimè permeat; quam plenâ tabulâ, à qua totus aër medius impellitur. 3. Si emiſſa ſagitta in medio ſui iactûs per foramen aliquod nec latius, neque anguſtius tranſeat, æqua velocitate traiicietur in ſcopum: at hac illam aër non proſequetur, &c. Vide Camerarium, qui licet oppoſitum ſentiens, plura pro nobis contra ſe, quam pro ſe contra nos, eaque ſcitu digniſſima congeſſit. 4. Si eſſet vacuum, an non poſſet per illud vel tantiſper lapillus vnus proiici? Phyſ. 14. q. Select.

§. 3.

Soluuntur obiecta.

PRIMÒ nobis obiicitur Ariſtoteles, ſed illi ſatisfecimus 1. parte noſtræ concluſionis: additur authoritas S. Thomæ. Reſp. Ab eo ſolere diſtingui duplicem virtutem, vnam permanentem, cui ſit eſſe ratum ac firmum: alteram fluentem, cui eſſe incompletum conueniat, *per modum quo colores ſunt in aere, & virtus artis in inſtrumento.* Negat ergo primam proiectis imprimi, non verò ſecundam: hinc optimè ſoluuntur ea quæ ipſe ſubdit: nam ea virtus fluens non eſt verè principium motus; ſed potius effectus principij mouentis, eſt nempe agitatio quædam veluti continuatio eius impulsûs, qui primò in proiiciente editur. Ideò etſi ſit in proiecto, non tamen ab eo motus procedit, vt à principio intrinſeco: ſicut procederet, ſi eſſet virtus perfecta & permanens. Similiter nõ alteratur, id quod illam recipit alteratione ſimpliciter dicta, quæ terminatur ad qualitatem permanẽtem, non ad ſimplicẽ motionẽ.

De Potent. q. 3. a. 7. ad u.

Obiic. 2. Ille impetus eſt qualitas, aut nihil; ſi qualitas aut 1. aut 2. non 1. quia ſolum ſunt 4. calor, frigus, humor, ſiccitas; non 2. quia non oritur ex primis. Reſp. Hanc diuiſionem cadere ſolum in qualitates permanentes, cuiuſmodi non eſt agitatio, & impetus de quo loquimur.

Obiic. 3. Hæc qualitas nulli eſt naturalis. Ergo reiicienda. R. Nego conſeq. ſufficit enim ſi naturaliter fiat & emanet à proiiciente: alioquin dicant aduerſarij, quomodo & cui corruptio rerum ſit naturalis.

Obiic. 4. Illa qualitas non diſtingueretur à virtute motiua: nam ſi Deus auferret à lapide grauitatem, & quis eum deorſum impelleret, idem hæc impulſio efficeret ac grauitas: at hoc negauimus ſuprà. R. diſtingui à virtute motiua, quod hæc virtus ſit permanens: & à naturâ ſubiectum determinatum expoſcat, & ad centrum determinatum collineet: ſecùs impetus ille fluens eſt, nulli ſubiecto per ſe petit ineſſe, à ſolo proiiciente habet, quò tendat. Denique non hæret inſtar habitus, ſed fluit vt motio. Ideo pro diuerſitate termini *ad quem* diuerſa eſt; eademque pro eiuſdem id entitate.

Quæres quomodo generetur, an ſucceſſiuè? Reſp. Eam ab applicatione virtutis motricis emanare. Quare ſi ſucceſſiua hæc fuerit, quod crediderim probabilius, ſucceſſiue producetur & impetus: ſecus in inſtanti, ſi ſit inſtantanea.

Quæres 2. Quomodo corrumpatur? Reſp. Seipſa & ſicut odor in aëre, color in nube, Cum enim eſſe incompletum & fugax habeat naturâ ſuâ, non poteſt diu durare. Sed quò intenſior fuerit impulſus, eò diutius: quo remiſſior, eò breuius exiſtet. Adde qualitatem repugnantem plerumque ineſſe mobili, cui imprimitur, ideò ab ea expugnatur.

Caput L.

DE PRIMO MOTORE.

§. I.

An ex motu demonſtrari queat primus motor immobilis.

ADVERTE in primis dubitari an ſit officium Phyſici de primo motore, qui Deus eſt, diſputationem agredi: iſtud enim ad Metaphyſicam potius videtur pertinere, quæ ob id maximè diuina ſcientia, & ſapientia nuncupatur. Adde ad eandem per ſe reuocari ea omnia quæ ſunt ab omni materiâ defœcata, & abſtracta, vt in Logica c. 47. quare cùm Deus & intelligentiæ primum in eo abſtractionis gradu locum occupent, merito Phyſicæ ſpeculationis orbitam excedere videbuntur. Hinc inuulgatum eſt ſolius ſapientiæ officium eſſe, vt ad prima quæque rerum omnium principia, cauſaſque altiſſimas mentem Philoſophi eleuet: ſapientia porro cum Metaphyſica coniuncta eſt, ideo Ariſtoteles teſtatur motores qui mouent non moti, nequaquam eſſe conſiderationis Phyſicæ. Et Plato Dialecticæ ſoli attribuit, vt ex agnitione rerum naturalium mentem ſubuehat in admirationem, & contemplationem ſummi boni, & idearum in illo & ex illo reſplendeſcentium. Nihilominus cùm res naturales intimam habeant dependentiam à primo ſuo motore, vt à primo principio, à primitiuo exemplari, & ab vltimo fine: nec illarum natura exactè noſci queat, niſi earum cum illo connexio, & eſſentialis innoteſcat ſubordinatio, crediderim cum multis Peripateticis etiam ad Phyſicum pertinere, vt ordinem nouerit quem res ad ſuum habent conditorem, quoue dependentiæ genere ab illo vniuerſa natura dependeat. Et quoad Platonem attinet, certum eſt illum nullam ſcientiam Phyſicam agnouiſſe, quæ ſuæ dialecticæ, i. ſapientiæ alis in primi principij confeſſionem identidem non ſubueheretur. Et ſanè quis poſſet Ariſtotelem culpare, dum toto 8. Phyſ. ex motu primum motorem inueſtigat, & ſtatuit? Licet ergo, imo ex officio incumbit Phyſicæ perpendere, non quid ſit Deus, aut qualis, (hoc enim Metaphyſicus facit,) ſed quòd primus ſit motor, & quomodo poſſit demonſtrari.

2. Ph. t. 71. & 71. 12. Met. t. 5. &c.

7. de reſp.

Nota ſecundò, multa nobis eſſe media Dei cognoſcendi. Academici tria præcipuè diſtinguunt, *Primum* per internum contactum diuinum. *Secundum*, per negationem: *Tertium*, per externa eius opera. *De primo* Iamblicus inter Academicos diuinus appellatus, ait ante omnem rationis vſum nobis inſitam eſſe de dijs notionem, & contactum quendam diuinitatis, meliorem quauis notitia, per quem excitatur naturalis appetitus boni, dirigitur ratiocinatio, & formatur iudicium. Ita ille indicat primam veri anticipationem, quæ humanæ men-

ti cum habitu principiorum inſeritur eſſe Dei notitiam, qua de re vide quæ in morali diximus.

7. de diu. nom. *Secundum medium* quod eſt per negationem explicat D. Dionyſius ſic: *Id quod natura Dei eſt, incognitum eſt, & omnem rationem & mentem ſuperat.... ad cognoſcendum illud ſummum bonum, & omnium bonorum finem via & ordine pro viribus aſcendimus in ablatione, & in ſuperlatione, & in omnium cauſa. Quocirca Deus in omnibus cognoſcetur, & ſine omnibus: & per cognitionem, & per ignorationem.* Ita tres gradus diſtinguit: primus eſt in ablatione ſimplici, vt ſi à Deo remoueas ſolum ea, quæ ſunt nobis quoque communia, dicens Deum neque ſapientem eſſe, neque ſubſtantiam, &c. at quoniam idem de materia dici poteſt: additur ſecundus gradus, quo ſic de Deo negantur omnia, vt ſuper omnia extollatur, & dicitur ſuperlatio. Sed ſic adhuc ita poſſet intelligi ſegregatus ab omnibus, vt nihil omnium contineret, ideo adiungitur Tertius, quo ſic ſuper omnia eminet, vt omnia incircumſcriptè præhabeat, eorum vt *principium*, vt *exemplar*, vt *finis.*

in 6. & 7. de reſp. Hunc ita in illa inacceſſa luce regnantem Plato introſpexit, & ſtupendam illam caliginem, omni creato lumine ſplendidiorem, qua diuina maieſtas vndique circumfulget & latet, ingenij ſui ſubtilitate penetrauit, ac peruidit. *Deum neque ſubſtantiam, neque mentem, neque animam eſſe* atteſtatus, *ſed ſuper hæc omnia conſtitutum, & in ipſo intelligibilis mundi apice regnantem, ſupra mentem, ſupra veritatem, ſuprà omnem eſſentiam, denique ſuprà id omne quod concipi, aut credi poteſt.* Et Plotinus Pythagoræos imitatus, ait Deum Apollinem dictum à negatione multorum, ἀπόλλωνα quaſi ἀποφάσει πολλῶν.

En 5. l. 5. *Tertium* quod fit per opera, declarat illud Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Illudque

10. de leg. Platonis, *Terra, ſol, ſydera, ipſumque vniuerſum, temporum quoque ordinatiſſima varietas, annis, menſibuſque diſtincta, Deum eſſe oſtendunt.* His addi debet & motus vt mox dicemus.

Nota tertiò quoad Ariſtotelem, tria ſolere diſquiri. *Primum*, quid ipſe nomine primi motoris intellexerit: *Secundum*, an eius demonſtratio latiſſimè in 8. Ph. deducta, ſit efficax: *Tertium*, an alias aliquando demonſtrationes de Deo cognoſcendo induxerit. Quoad *primum* Simplicius Ariſtotelem facit Platonicum, putat enim eum nomine 1. motoris non Deum, ſed mentem imparticipatam ſub Deo poſitam intellexiſſe: quaſi hunc ordinem conſtituiſſet, vt primò Deus immobilis, & non mouens niſi per modum finis: ſecundò, Mens imparticipata δημιουργός, mundi opifex, quæ ſolùm moueatur eminenter ab eſſe ad operari: tertiò Anima, quæ ſeipſam mouens, cæterorum quoque motuum tranſeuntium cauſa ſit: quartò Natura, per quam cœlum procliue ad motum euadat. His accedunt alij multi, arbitrati Deum Ariſtoteli non videri aliter mouere, quam ſub ratione finis, intelligentiam vero illo inferiorem eſſe, quæ primum mobile circumagat.

Aſt communiter illi oppoſita ſententia ſolet adſcribi: quòd nimirum primus Deus, ſit primus motor. Idque planè colligitur ex toto

ferme l. 8. Phyſ. vbi nuſquam vltra primum motorem tranſcendit, illique attribuit ea quæ Deo ab illo inueniuntur vſpiam fuiſſe accommodata, vt *quòd ſit vnus, quod eo manente, neceſſe ſit manere vniuerſum quod continuatur cum eo, &c.* & 12. Met. t. 43. ait principium & primum entium, tum per ſe, tum ex accidente immobile, mouere primo, æterno, & vno motu, &c. 8. Ph. t. 48. 46. 52.

Ruſus permulti ſunt, qui nomine primi motoris, non vnicum, ſed omnes motores fuiſſe ſubintellectos aſſeuerent: quia quæ de primo dicta ſunt in 8. Phyſ. eadem in 12. Met. cit. cæteris adſcribuntur.

Ideo dici debet, eum hic de primo ſolo motore explicitè fuiſſe locutum, implicitè verò de cæteris.

Quoad ſecundum, dicunt plurimi demonſtrationem Ariſtotelis ineſficacem eſſe, quia falſo prorſus principio innitatur; ſc. quòd motus fuerit æternus. Reſpondent alij ſatis eſſe, quòd eſſe talis potuerit: alij ex motu ſimpliciter primi motoris exiſtentiam ac dignitatem manifeſtant.

Quoad tertium, Auerroës exiſtimauit ſolâ motûs æternitate poſſe monſtrari, quòd dentur motores immateriales, cætera media eſſe leuiuſcula, & nullius roboris Picolominæus conatur oſtendere ab Ariſtotele plura fuiſſe adhibita media motoris incorporei, nimirum ab ordine rerum, quia Met. 12. t. 52. Deus dicitur caput, & principium ordinis: tum ab eſſentiali dependentia inferiorum à primo principio, quia t. 56. ait, *Ni forent intelligentiæ incorporeæ, nihil eſſet.* Verùm præter quam quòd hæc dicat per tranſennam, nec ſuo more demonſtret, certum eſt ex eius ſententia hæc in motum reſolui poſſe, quatenus putauit omnia quæ noſtris ſenſibus vſurpantur, à motu cœli pendere: & propter illum inferiora ſuperioribus naturali ſubordinatione connecti, cuius ſubordinationis caput Deus ſit, ac principium. 8. Ph. com. 3. 12. Met. com. 5.

§. 2.

Quatenus ex motu queat Deus demonſtrari.

SVPPONO in toto l. 8. Phyſ. actum eſſe de motu Phyſico, prout generationem, alterationem, crementum, & lationem comprehendit. Hoc poſito ſit

CONCLVSIO PRIMA: Ex motu ſimpliciter ſumpto demonſtrari poteſt eſſe aliquem motorem primum, immobilem, & incorporeum. Probatur ſic: omne quod mouetur, ab alio mouetur vt demonſtratum eſt ſuprà: non datur proceſſus in infinitum, vt identidem ſæpè diximus, & præſertim cum de cauſis diſſeruimus. Ergo neceſſariò veniendum eſt ad primum motorem; qui non moueatur ab alio Is ergo vel omnino immobilis eſt, vel à ſeipſo ſe mouet: quòd ſi ita eſt, ſequitur ipſum apud ſeſe includere motorem immobilem, quia nihil ſe primò mouet, niſi conſtet parte mobili, & motore immobili. Atque adeo debet partibus diuerſi generis conflari, quod non conue-

nit mero corpori: huc adde nihil poſſe mouere ſeipſum niſi ſit viuens; quare ſi quò quidpiam magis à ſe mouetur .i. minus dependenter ab alio, eò nobilius viuens ſit, vt diximus ſupra c. 47. §. 2. neceſſariò ſequitur illud quod ſimpliciter à ſeipſo ſe moueret, fore viuens perfectiſſimum, quod autem eiuſmodi eſt, vita perfectiſſima frueretur, quæ in intellectione conſiſtit: intellectio denique actio immaterialis eſt, ideo nequit niſi à ſpirituali principio elici.

Conclvsio secvnda: Ex huiuſmodi motu non demonſtratur quòd primus motor magis ſit à materia abſtractus, quam anima intellectiua. Ita conceptis verbis D. Thomas 1. contra gent. c. 21. & patet, quia ſi cœlum eſſet animatum, abunde ab eius anima poſſet motus eius proficiſci. Quin videtur ipſe Ariſtoteles ita ſenſiſſe, quia 12. Met. t. 39. Deum vocat *ſempiternum, optimumque animal:* nec dixit ζῶντα viuentem, vt male quidam volunt interpretari, ſed ζῶον quod animal verè ſignificat, & ſanè ſi demonſtratum fuiſſet primum motorem animâ ſuperiorem eſſe, cur tandiu in lycæo diſputatum fuiſſet an intelligentiæ motrices eſſent formę informantes? Ariſtotelem porro ita interpretantur grauiſſimi ac locupletiſſimi viri.

Galen. Alex. Themiſt. Plutarch. Alb. m. Varro. Mirand.

Ex his infero præciſè vi huius demonſtrationis, quam in 8. Phyſ. tam copioſè proſequutus eſt Ariſtoteles, non probari efficaciter, quòd primus motor ſit æternus, actus purus, & per ſe immutabilis: patet vel ex hoc ipſo, quòd ſecundum rei veritatem datur primus motor primi cœli, qui non ſit eiuſmodi. Secundo, quia ſi hoc demonſtratiuè concluderet de primo motore, idem etiam de cæteris euinceret, quia de cæteris Ariſtoteles 12. Met. t. 43. eodem modo ſyllogizat, *Cùm quod mouetur, ab aliquo moueri neceſſe ſit, primumque mouens immobile per ſe eſſe, ac motu æterno ab æterno moueri, & videmus præter primam cæteras etiam lationes ſempiternas eſſe, neceſſe eſt harum vnamquamque à per ſe immobili, & æterna ſubſtantia moueri.*

Sed falſum eſt de cæteris, vt fides docet. Ergo non demonſtratur de primo, etenim demonſtrationem ſemper veram eſſe contingit: aut demonſtratio non eſt, hinc Diu. Thomas ibid. lect. 5. *Ex hoc*, inquit, *proceſſu manifeſtum eſt, quòd Ariſtoteles hic firmiter opinatus eſt, & credidit neceſſarium fore, quòd motus ſit ſempiternus, & ſimiliter tempus: aliter enim non fundaſſet ſuper hoc intentionem ſuam de inquiſitione ſubſtantiarum immaterialium. Sed tamen ſciendum, quòd rationes ab eo inductæ in 8. Phyſ. ex quarum ſuppoſitione hic procedit, non ſunt demonſtrationes ſimpliciter, ſed rationes probabiles.* Nota interim ex principijs quæ ſupponebat Ariſt. inferri poſſe aliunde motorum cæleſtium æternitatem: Etenim negabat poſſe ſubſtantiam produci, niſi per generationem, nec eam ſine alteratione, vt nec alterationem ſine motu locali poſſe contingere. Ideo 8. Phyſ. t. 58. motum localem facit priorem omnibus motibus: motores autem priores ſunt omni motu locali, ergo omnem generationem quoque antecedant, neceſſe eſt.

Infero ſecundò, neque poſſe inde probari, quòd primus motor ſit immenſus, & infinitæ virtutis, id patet, quia primus ille motor, qui mo-

do

do actu cœlum mouet, non eſt huiuſmodi.

Cæterum de immenſitate Dei nihil expreſſit Ariſtoteles, quod tamen non fuit omittendum. Imo, quod immenſus non ſit primus motor videtur colligi ex l. de mundo ad Alex. c. 7. & 8. Phyſ. t. 84. vbi ait primum mouens non in medio eſſe, ſed in circulo, quia celerrimè mouentur, quæ ſunt in circulo.

Nec felicius virtutem eius infinitam explicuit, quoniam qui eam ex ſcriptis illius eruere cupiunt, multo labore per varias coniecturas id tandem vix aſſequi ſeſe arbitrantur: neque vllum textum euidentem adducunt. At ſunt multi perilluſtres Peripatetici, qui ſincerè profitentur ſecũdum Ariſtotelem, motorem primum virtutis eſſe quoad extenſionem infinitæ, at finitæ quoad intenſionem. Ita *a Picolomineus*, *b Zimara*, *c Gregor. Arimin. &c.* citantque Auerroem qui 2. de cœlo & com. 63. ait *ſi primus motor eſſet infinitæ virtutis, moueret in inſtanti*, & com 71. addit, *ſi primo cœlo plures competerent ſtellæ, aut pauciores, vel illud non moueretur, vel non æqua velocitate.* Quæ magnum quidem fundamentum habent in Ariſtotele, nam 8. *Phyſ. t. 79.* docet ſi in magnitudine finita eſſet virtus infinita, fore vt moueret in non tempore .i. momento, quoniam moueret infinita velocitate, quæ omnem excedit temporis moram: aut ſi moueret finitâ, finita eſſet virtus motrix. Scio equidem multas adhiberi ſolutiones, quarum optima, i qua ſit, eſt ea quam adhibuit S. Thomas, nempe argumentum illud conuincere non poſſe formam corpori mancipatam, & naturalem, eſſe infiniti roboris, quia hæc ageret naturaliter quantum poſſet, poſſet autem infinito velociùs mouere, quam quæuis alia finita, quæ moueret in quantumuis exiguo tempore. Ergo neceſſariò hæc moueret in non tempore: ſed de forma intellectuali, & libera id dici non poſſe, quia hæc *agit ſecundum proportionem ordinis competentis; non ſecundum proportionem virium.* Per me ſanè liceat, vt hæc reſponſio congruat menti Ariſtotelis, ſed multa obſtant, quæ mihi modo non eſt animus proſequi. Solùm ſubdiderim multis famoſiſſimis Peripateticis viſum eſſe, quòd Ariſtoteles Deum fecerit agens neceſſarium: idque inde poſſe erui, quòd in 2. *Cæl. t. 25. & 26.* aſſerat non poſſe cœlum velociùs, aut tardiùs moueri, & t. 38. remiſſionem velocitatis, qua modo rapitur cœlum, non poſſe aliunde prouenire, quam ex impotentia mouentis. Sic vbique virtutem motorum cæleſtium talem conſiderauit, vt quæ non poſſet non agere, quando proportionato mobili eſſet applicata, nec item aliam videtur vnquam inſinuaſſe proportionem, quam naturalem, ſecundùm quam agens in ſubiectum aptum totas vires effundit ſuas. Nec poteſt ſibi ab agendo temperare: vnde eſt quod in 3. Phyſ. t. 32. dicat *poſſe* non differre ab *eſſe* in perpetuis.

a l. de cœlorum motorib. c. 34. *b* Theor. 6. *c* in 1. ſ. d. 42. q. 3.

Auicen. 9. Met. Auer. 12. Met. Simplic. 8. Phyſ. Scot. 18. 8. Heru. q. 2. Iauel. 12. Soncin. ibid. ægid.

An verò admiſerit Deum eſſe cauſam efficientem omnium, non minùs fuit ambiguus: quid autem ſentire debeamus, ſatis colligi poteſt ex ijs quæ hactenùs diximus c. 14. §. 1. & hæc ſufficiant.

§. 3.

Synopſis præcipuarum demonſtrationum, quibus Philoſophi mens ad ipſum naturæ authorem aſcendere valeat.

STOICI olim, non abſurdè putauere poſſe nos ad primum rerum principium eleuari per catenam fati ex ſubordinatis cauſis conflatam, per quam cuncta dicebant ex primis deſcendere, & in ea viciſſim tranſcendere, ac demum reſolui & deſinere. His non abſimilia docuere Platonici vt ex c. 31. §. 2. & 3. colligere licebit: & Plato in 10. de rep. ſeriem rerum, & cauſarum à prima dependentium connexionem, diuinæ prouidentiæ ſeruientem quibuſdam anulis inuicem complicatis mirificè depinxit. Idem Homerus aurea illa ſua catena in 8. *Iliados* ſignificauit: qua Iupiter à ſe ſuſpenſa teneri omnia pronunciat. Per hanc igitur poſſumus ad primum omnium principium, quod Deus eſt, eleuari.

Et quidem *duobus modis*, vel ex effectuum comparatione ad primam cauſam, quæ methodus *cauſalitatis* dicitur; vel ex ſuperlatione primæ cauſæ ad effectus, quæ methodus *eminentiæ* nuncupatur. Prima variè fit: provt in diuerſo genere cauſæ res productæ pendent à primo ſuo principio, ſc. in genere *cauſæ efficientis*, *exemplaris*, & *finalis*.

IN GENERE cauſæ efficientis breuiter ſic: quidquid à non eſſe mutatur ad eſſe, pendet ab aliquo primo, quod habet à ſe ſimpliciter eſſe; quodque ideo eſt ens per eſſentiam, & omnino immutabile, conſequenter æternum, omnibus accipientibus eſſe intimè præſens; &c. Sed quidquid fit, aut quod mutatur quocumque modo, mutatur à non eſſe ad eſſe, nam ſi fiat ſimpliciter, mutatur ab eſſe ſimpliciter, ſi verò ſecundum quid & quoad accidentia, etiam ſecundum eſſe illud mutatur. Ergo neceſſe eſt vt id quod vel non eſt, vel quod non habet eſſe, id adipiſcatur communicatione illius, quod illud habet: & cùm omne imperfectum à perfectiori debeat perfici, idque quod non habet aliquod eſſe per ſe, inde ſit in ſeipſo imperfectum; reſtat vt quod ſecundum ſe caret aliquo *eſſe*, illud habeat ab eo quod per eſſentiam illud habeat. Ex quo neceſſario infertur admittendum eſſe aliquod primum principium, quod non ſolùm habeat per eſſentiam ipſum *eſſe* ſimpliciter, ſed inſuper quod habeat eſſe omnium perfectionum, quæ ab omnibus reliquis haberi poſſunt contingenter. Singulæ partes huius demonſtrationis poſſent facillimè conuinci, ſed probatio propriè ad Metaphyſicum pertinet. Quare hic eam indicaſſe ſufficiet.

Solùm confirmatur ex ijs, quæ iam ſparſim deduximus. *Primò*, ex nobilitate & vniuerſalitate primi effectus, qui eſt ipſum eſſe. Cuius primum & principale principium non poſſe aliud ſtatui, quam primum ens, Deum Opt. Max. docuimus c. 20. §. 1. & 2.

Secundò, ex artificio rerum naturalium, quod non poſſe proficiſci niſi ab opifice, qui ſapientia infinita, omniſcia, infallibili, & omnipotente præditus ſit, demonſtrauimus c. 14. & 15.

Tertiò, ex inſcrutabili varietate virium occultarum, ex ſtupendis inſtinctibus animantum: atque ex admirabili conſtructione rerum vel minimarum, muſcæ, acari, &c. in quibus multitudo membrorum, colorum varietas, officiorum diſtinctio, diſpoſitio partium, organorum aptitudo, denique omnium mirabilis ordo præter vitam, animam & eſſentiam, cum res eiuſmodi, eorum omnium ſibi non eſſe cauſæ primæ conuincantur, conuincunt certè primum aliquem eſſe artificem, cuius ſapientia ſit ineffabilis, &c.

Quartò, ex magnitudine item effectuum naturalium, eorumque multitudine, congruentia, pulchritudine, ſubordinatione, harmonia, & proportione ſingularum ad ſingula, vt probauimus c. 26. & 27. vnde conuincimur vniuerſum hoc vnicum eſſe opus, vnius eiuſdemque artis regulis fabrefactum, ac denique non potuiſſe niſi ab vnico artifice proficiſci, cuius immenſitatem magnitudo, fœcunditatem varietas; pulchritudinem ornatus, ſapientiam ordo, prouidentiam conſeruatio, denique vnitatem harmonia irrefutabili authoritate deprædicant. Hinc ſapiens atheos, qui ex ijs ad agnitionem omnipotentis artificis eleuari ſe non ſinerent redarguit hoc modo: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de ijs quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex...., quorum* (ſc. Solis, Lunæ, rectorum orbis terrarum, &c.) *Si ſpecie delectati deos putauerunt, ſciant quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit*, &c. & denique concludit, *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Nota interim Deum ſpeciei generatorem dici, quo probatur quod diximus c. 15. & 16. indiuidua quæ ſunt ſub eadem ſpecie non poſſe fieri niſi virtute quæ præſit toti ſpeciei: vnde dicemus vlterius ſingulas ſpecies non poſſe propagari, aut conſeruari, & multò minùs fuiſſe conditas, & excogitatas, niſi virtute illius, qui toti earum generi præſidet, neque ſimiliter genera, niſi virtute illius, qui toti vniuerſo, quod ex illis conflatur, prædominatur. Sap. 13. 1.

Iure igitur, ob admirabilem illam partium vniuerſi conſonantiam, reciprocamque concinnitatem Orpheus Deo ſic accinuit.

Tu ſphæram totam cythara reſonante contemperas.

Et Dorilæus Pythagoreus mundum vocauit Dei organum, & Alexander Mileſius dixit *laudabilis hic mundus eſt, pro ſingulis quibuſque ſpeciebus, ſed multo laudabilior ex harmonia omnium, compageque vniuerſorum, in quo ſumma eſt, & ſtupenda ex contrarietate in eadem vita & ſono concordia, dum inter ſe diuerſa ſunt, & cum ſingulis cuncta conueniunt.*

IN GENERE cauſæ exemplaris multiplex quoque fieri poteſt demonſtratio. De hac egimus c. 28. §. 1. & 2. poteſtque duo præcipua media ſuppeditare. *Primum eſt* ex ipſa rerum participatione: *Secun-*

dum ex definitiua earum verificatione. Nam exemplar vtrumque hoc habet, eſt enim forma principalis, ſecundum quam res participatæ ſunt, & ſecundum quam veræ definiuntur, ac iudicantur.

Ex participatione ſic: in primum, quod per eſſentiam eſt omnia, tranſcende, quidquid nō eſt per ſe tale eſt per aliud, quod ſit per ſe tale, & quidquid participatione eſt, fit ab eo quod eſt per eſſentiam. Quidquid autem modo eſt, & ante non fuit, aut poteſt non eſſe, vel non fuiſſe, & etiam quod variabiliter eſt tale: certè participatione tale eſt, non per eſſentiam, quia quod per eſſentiam eſt, ſemper & inuariabiliter eſt, vt homo ſemper, & inuariabiliter eſt rationalis. Atqui primo corporea omnia mutabilia ſunt, vt patet ex c. 37. §. 1. & 2. & mutabiliter ſunt, quæcumque ſunt ſiue entia, ſiue viuentia, ſiue pulchra, ſiue magna, &c. Ergo ſuper illa debet eſſe aliquid incorporeum, quod per eſſentiam, & incommutabiliter ſit ens, viuens, pulchrum, magnum, &c.

Secundo, inter ſubſtantias incorporeas animæ rationales ſunt variabiliter viuentes, intelligentes, ſapientes, iuſtæ, bonæ, &c. ergo tales ſunt participatione, & non per ſe. Ergo ſuper illas eſt adhuc aliquid purius, quod ſit per eſſentiam hæc omnia.

Tertio, quæcumque plura in aliqua ratione conueniunt, eam participatione habent, quia ratio quæuis ſecundum ſe, & per eſſentiam exiſtens imparticipatè, non poteſt eſſe multiplex, vt non poſſunt eſſe multæ pulchritudines præcisè per ſe, & ſine admiſtione defectus, vel contrarij, & ſine participante ſuppoſito exiſtentes, alioquin ſuper illas eſſet alia purior, abſtractior, & vniuerſalior pulchritudo.

Cum ergo ſint multæ animæ intelligentes, debet ijs prior & ſuperior eſſe aliqua per ſe intelligens, &c. ſimiliter, ſi ſint, vt reuera ſunt, multæ intelligentiæ beatæ, ſapientes, &c. tales ſunt, ſic ſupra omnia viuentia, pulchra, ſapientia, beata, &c. vnum neceſſariò datur primum per ſe ſimpliciter, vniuerſaliter, incommutabiliter, & imparticipatè viuens, pulchrum, ſapiens, beatum, &c. hæc demonſtratio eſt Platonis 5. 6. & 10. de Rep.

Quarto, omne participatum debet ſimul eſſe cum participabili, ſicut corpus nequit viuere in abſentia animæ, cuius participatione viuit. Ergo primum illud per ſe ens, viuens, pulchrum, &c. eſt in omnibus entibus, in omnibus viuentibus, in omnibus pulchris, &c. ergo eſt immenſum: item quod eſt in alio, dependet ab eo quod eſt in ſe, & quod definitè eſt in alio, pendet ab eo quod eſt in ſe incircumſcriptè, & immensè. Hæc eſt etiam ratio Plat. in Phœdone.

Vide c. 33. §. 4.

Quinto, quod modo eſt, & non fuit, pendet ab eo quod ſemper eſt, &c. ita infinita eiuſmodi poſſent excogitari.

Vide c. 36. §. 4.

Ex definitiua rerum verificatione multæ poſſunt anagogicæ demonſtrationes erui, ſed ſufficiant ea quæ tradidimus in Logica c. 9. §. 3. & 4. c. 37. §. 1. & c. 41. §. 4. & 5. in quibus oſtendimus admittendam eſſe neceſſariò veritatem primam & incommutabilem, in qua ſint regulæ ſtabiles, & inuariabiles, & formæ archetypæ verorum omnium;

ſecundum quas de omnibus veris anima rationalis veraciter iudicare queat; & definire quid vnumquodque, & quale eſſe debeat. Hoc argumentum copioſè proſequitur D. Aug. in Pſ. 41. Sed præcipuè l. de vera Relig. c. 29. 30. 31. & 32. Hortorque magnopere, vt legatur: vnde concludit: *Nec iam ambigendum eſt incommutabilem naturam, quæ ſupra rationalem animam ſit, Deum eſſe, & ibi eſſe primam vitam, & primam eſſentiam, vti eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur: & ars omnipotentis artificis. Itaque cum ſe anima ſentiat, nec corporum ſpeciem, motumque iudicare ſecundum ſeipſam, ſimul oportet agnoſcat præſtare ſuam naturam, ei de qua iudicat; præſtare autem ſibi eam naturam, ſecundum quam iudicat, & de qua iudicare nullo modo poteſt.*

In genere cauſæ finalis, ſic procedendum eſt ex 2. Met. Cùm multa ordinantur ad aliquid, veniendum eſt ad aliquid primum, ſiue vltimum, cuius gratiâ ſint reliqua, & ipſum nullius cauſa. Vide c. 30. §. 1. de hoc fuſiùs in morali.

RESTAT ſuperlatio ſiue methodus *eminentiæ*: fit autem hæc vel progrediendo ab omni bono, quod diminutum eſt, ad ipſum ſummum & indeficiens: & concludendo, *id quo melius cogitari non poteſt*, eſſe Deum. Hoc modo efficaciſſimè procedit *D. Anſelmus in Monol 3. & D. Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt.*

Vel comparando minùs ad maius, & inde ad id quod ſimpliciter eſt, conſcendendo; & ſic argumētatur Auerr. in Met. ſi aliquid fuerit maioris veritatis, & minoris falſitatis, neceſſe eſt eſſe verum ſimpliciter, i. quo nihil verius ſit, & quod ſit menſura; & cauſa omnium verorum: idem de pulchro, de iuſto, &c. Hoc modo etiam procedit S. Anſelm. initio Monol.

Vel abſtrahendo ab omni bono particulari, id quo limitatur, diſtinguitur & multiplicatur; & quod ſic præciſum reſtat, illimitatum vnum, & ſimplex Deo poteſt incunctanter attribui, vt facit S. Aug. 8. de Trinit. c. 3. *Tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes, ita Deum videbis.* Lege cætera in Log. c. 9. §. 4.

Ex his omnibus catenam verè auream ſibi, & nobis conflant Platonici, per quam infima cum ſupremo principio, & ſummo bono indeſinenter connectuntur: per hanc ita ſubuehebatur Alcinous: *Contemplans*, inquit, *aliquis pulchrum, quod corporibus ineſt, ex eo progreditur ad animi pulchritudinem: hinc ad alteram, quæ in inſtitutis & legibus: deinde ad immenſum Pelagus ipſius pulchri: ex quo ipſum bonum intelligit; & hoc amabile & expetendum, velut ſplendorem in animum, qui per hos gradus aſcendit, refulgentem.* Id deſumitur ex Platone in conuiuio. c. 9. Philoſ. Plat.

Per eandem ſic nos ad Deum euehit Marſil. Ficinus. *Aſcende age Platonice contemplator, ab ijs formis, quas in mundi materia ſentis ad naturam formarum eiuſmodi genitricem: quam etſi non ſentis, cogita tamen infuſam, mundi materiæ, ceu vitalem ſpiritum, plenum ſeminum, & per ſemina artificioſe ſingula diſponentem ..... Deinde & in te ſenſum in rationem: rationem in intellectum, & in mundo ſimiliter ſentiendi genus, in ra-* In 10. Dial. de Rep. vt dictum eſt c. 9.

tionalem naturam, & hanc in genus intellectuale reducas: præterea, cum percipias in te ipſo intellectum id quod intelligibile eſt, appetere quaſi perfectius, ab eoque formari velut potentiore, præpone tam in mundo, quam in te naturam intelligibilem intellectuali naturæ: intelligibile verò idem omnino, atque ipſum ens appella. Huic denique quod & intelligibile, & ens appellaſti, ipſum præpone bonum: nam & vt benè ſis, eſſe cupis; & intelligibile gratiâ ipſius boni deſideras: poſtquam huc aſcenderis, percipies vniuerſum ſacro quodam ſeptenario deſignatum, ab infimaque materia ſurgens per ſenſibiles qualitates, per naturam, per ſenſum, per rationem, intellectum, intelligibile, ad ipſum bonum.

Eandem catenam miris 7. annulis conflauit Plotinus. *Primus* eſt animi purgatio; *Secundus*, cognitio diuinorum operum ſingillatim comparata: *Tertius* contemplatio ordinis, quo inferiora gradatim & concatenatim ad ſuperiora reducuntur. *Quartus*, Proportionum, quibus ſingula cum ſingulis, & cum vniuerſo congruunt, ac conuenientiam ſeruant admirabilem conſideratio. *Quintus*, negatio, qua omnem defectus aſperginem à Deo remoueas. *Sextus*, Supplex ad Deum oratio. *Septimus* denique vt contemplator tandem idem quodammodo cum mundo intelligibili effectus, amore boni vlterius ſtimulatus in ipſum omni formæ ſpectaculum penitus transformetur. Huc tandem Phyſica Platonica deſinit.

Aliter paulo hunc aſcenſum, (quem & deificationem nominat) Reuclinus explicat in arte Cabaliſtica: *Cùm ab obiecto præſente*, inquit, *per medium ſuum exterior ſenſus tranſit in ſenſionem internam; & hæc in imaginationem; imaginatio in æſtimationem; æſtimatio in rationem: Ratio in intellectum; intellectus in lucem quæ illuminat omnem hominem, & illuminatum in ſe corripit, ac tranformat.*

Finis Octo librorum Phyſicæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

INDEX CAPITVM ET QVÆSTIONVM.

IN vniuerſam Phyſicam Proœmium. 1
§. 2. De obiecto. 2
§. 3. De methodo. 3
§. 4. De quæſtionibus aliquot proœmialibus ex Ariſtotele excerptis. 5
§. 5. Partitio totius Phyſicæ. 7
Caput I. De principiis rerum naturalium in genere. 8
§. 1. Secta Metaphyſicorum & ſpiritualium. ibid.
§. 2. Secta Phyſicorum. 9
Caput II. De Atomis. 11
§. 1. Quid ſint Atomi, an & cur ſint, quales & quorum cauſa. ibid.
§. 2. Quid ſentiendum videatur. 13
Caput III. De Pythagoræ, Platonis, & Ariſtotelis ſententia, eorumque mutua comparatione. 17
§. 1. Quid ſenſerit Pythagoras. ibid.
§. 2. Diſgreſſio prima Platonica. 19
Quid Plato de mundo intelligibili ſenſerit. ibid.
§. 3. Quid de mundo ſenſibili. 23
Caput IV. De materiæ primæ exiſtentia. 27
§. 1. Exponitur quæſtio. ibid.
§. 2. Quæſtionis ſolutio. 28
Caput V. De materiæ eſſentia. 29
§. 1. Quæſtio explicatur. ibid.
§. 2. Soluitur quæſtio. 30
§. 3. Quædam ex dictis inferuntur. 33
§. 4. Soluuntur obiectiones. 35
§. 5. Quomodo potentia ſe habeat ad materiam. 37
Caput VI. De priuatione. 38
§. 1. Quid ſignificet. ibid.
§. 2. Quomodo priuatio ſe habeat ad materiam. 39
Caput VII. De diuiſione materiæ. 40
§. 1. Quotuplex ſit materia. ibid.
§. 2. An materia prima ſit aliquid præter eſſentiam rei cuiuſque. 41
§. 3. Deciſio. 42
§. 4. Obiectionum ſolutio. 44
Caput VIII. An materia ſit principium indiuiduationis. 46
§. 1. Status quæſtionis. ibid.
§. 2. Deciſio. 47
§. 3. Illationes perutiles. 49

Phyſica.

§.4. *Obiectionum ſolutio.* 51

Caput IX. De ſuppoſito quod materia totius dicitur. 52

§.1. *Diſcrepantes de ſuppoſito ſententiæ.* ibid.

§.2. *Reſolutio.* 55

§.3. *Illationes aliquæ de opinionibus aliorum.* 57

§.4. *Obiectiones ſoluuntur.* 60

Caput X. Qualis ſit materia prima. 62

§.1. *Prima proprietas.* ibid.

§.2. *Reliquæ proprietates.* 62

§.3. *De vnitate, veritate, & bonitate materiæ.* 64

§.4. *Propter quid ſit materia.* 66

Caput XI. De forma ſubſtantiali. ibid.

§.1. *An ſit.* ibid.

§.2. *Quid ſit forma.* 67

§.3. *Quotuplex ſit, qualis, & cur.* 68

Caput XII. De toto compoſito. 69

§.1. *Quid & quotuplex ſit totum, quid vnio, qualis vnitas, & vnde hæc fluant.* ibid.

§.2. *Quod totum reipſa diſtinguatur à partibus.* 70

§.3. *An forma immediate vniatur ſuæ materiæ.* 72

Caput XIII. De natura ſecundum Ariſtotelem. 73

§.1. *An quid, & quotuplex ſit.* ibid.

§.2. *Quale principium ſit natura.* 75

§.3. *Cui præcipuè competat ratio naturæ.* 77

Caput XIV. De natura vniuerſali ſecundum Platonem. 79

Digreſſio ſecunda. ibid.

§.1. *De ſententia Ariſtotelis: Examen Platonicum.* ibid.

§.2. *Quid ſit natura ſecundum Platonem ac ſanctos patres.* 81

§.3. *Qualis ſit hæc virtus.* 84

Caput XV. De Rationibus ſeminalibus. 88

§.1. *Status quæſtionis & difficultatis.* ibid.

§.2. *Deciſio quæſtionis.* 90

§.3. *Soluuntur dubia.* 93

Caput XVI. De principio viuentium è putri materia naſcentium. 95

§.1. *Status quæſtionis, & opinionum varietas.* ibid.

§.2. *Quæſtionis deciſio.* 96

§.3. *Soluuntur dubia.* 99

§.4. *An animalia ex putri orta poſſint eiuſdem eſſe rationis cum iis quæ prolificant.* 100

Caput XVII. De naturæ cum arte collatione. 101

§.1. *An ars naturam imitetur.* ibid.

§.2. *An ars opera naturæ faciat.* 102

§.3. *Solutio dubiorum.* 104

Caput XVIII. De cauſis rerum naturalium in genere. 105

§.1. *Quid ſit, & quomodo definienda.* ibid.

§.2.

§. 2. *Quotuplex eſt cauſa.* 106
§. 3. *Quales ſint in genere, ſeu quid illis conueniat.* 107
Caput XIX. De cauſa efficiente in genere. 109
§. 1. *Quid ſit & quotuplex.* ibid.
§. 2. *Qualis ſit cauſa efficiens, ſiue quas habeat proprietates vel conditiones.* 110
Caput XX. De prima cauſa efficiente. 112
§. 1. *An ſit vna prima omnium cauſa effectrix ac conſeruatrix.* ibid.
§. 2. *Quo pacto prima cauſa concurrat cum ſecundis.* 115
§. 3. *Idem ex ordine ac ſtatutis diuinæ prouidentiæ demonſtratur.* 121
§. 4. *Explicatur prima & præcipua difficultas de natura huius concurſus, & quomodo non officiat libertati.* 126
§. 5. *Soluuntur omnes difficultates.* 130
Caput XXI. De cauſa ſecunda principali. 136
§. 1. *Verum dentur propriè cauſæ creatæ.* ibid.
§. 2. *Quomodo agat, & qua virtute.* 138
§. 3. *Reſpondetur ad argumenta oppoſita.* 140
Caput XXII. De cauſa inſtrumentali. 143
§. 1. *Exponitur ſtatus quæſtionis.* ibid.
§. 2. *Soluuntur obiectiones.* 146
§. 3. *De potentia obedientiali, vbi de miraculis pauca.* 147
Caput XXIII. De pluralitate cauſarum per ordinem ad eundem effectum. 150
§. 1. *Status quæſtionis ac ſolutio.* ibid.
§. 2. *Soluuntur obiecta.* 152
Caput XXIV. De eadem cauſa comparata cum diuerſis effe- 15[illegible]
ctibus. ibid.
§. 1. *Status quæſtionis & ſolutio.* 153
Caput XXV. De cauſa comparata cum obiecto. ibid.
§. 1. *Status quæſtionis.* 155
§. 2. *Solutio quæſtionis.* 157
§. 3. *Obiecta diluuntur.* 158
Caput XXVI. De viribus occultis. ibid.
§. 1. *Quòd ſint.* 160
§. 2. *Sympathia & antipathia* [illegible] ibid.
Digreſſio tertia. 161
§. 3. *Vnde proueniant.* 166
Caput XXVII. De Magnete. ibid.
§. 1. *Mirabiles eius proprietates.* 169
§. 2. *Cauſa horum motuum indagatur.* 172
Caput XXVIII. De cauſa exemplari rerum naturalium per ordinem ad mundi opificem. ibid.
§. 1. *An detur.* 173
§. 2. *Quid ſit cauſa exemplaris.* ibid.
Digreſſio Platonica IV. 177
§. 3. *Quædam obiecta ſoluuntur.*

Caput XXIX. De cauſæ exemplaris efficacitate ac diſtinctione. 178
§. 1. *Quæ ſit cauſalitas cauſæ exemplaris.* ibid.
§. 2. *Quod cauſa exemplaris quintum genus cauſæ conſtituat.* 180
§. 3. *Soluuntur obiecta.* 181
Caput XXX. De cauſa finali. 183
§. 1. *An ſit, & quis ſit finis rerum naturalium.* ibid.
§. 2. *Quid ſit finis, & quæ eius cauſalitas.* 184
§. 3. *Diverſis difficultatibus ſatisfit.* 186
§. 4. *Quotuplex & qualis ſit finis.* 188
Caput XXXI. De Fortuna. 189
§. 1. *An ſit, & quid ſit,* ibid.
§. 3. *Quomodo fortunam cum diuina prouidenti priſci Philoſophi præſertim Ariſtoteles, & Plato compoſuerint.* 191
Digreſſio Platonica V. ibid.
§. 2. *Quid ſit fatum.* 195
§. 3. *De contingentia rerum, quomodo cum ſuperiore doctrina cohæreat.* 197
Caput XXXII. De infinito. 201
§. 1. *An ſit, quid ſit, & quotuplex.* ibid.
§. 2. *An poſſit à Deo infinitum aliquod actu effici* 204
§. 3. *Soluuntur obiecta.* 207
Caput XXXIII. De loco. 211
§. 1. *An ſit, & quid ſit.* ibid.
§. 2. *Quomodo locus dici queat ſpatium.* 213
§. 3. *Explicatur ſententia Ariſtotelis.* 214
§. 4. *Quod ſecundum quoſdam ipſa loci ratio à Deo petenda ſit, & quomodo.* 217
Digreſſio Platonica VI. ibid.
§. 5. *Quotuplex ſit locus.* 219
§. 6. *Qualis ſit locus, ceu quas habeat proprietates.* 221
Caput XXXIV. De iis quæ ſunt in loco. 222
§. 1. *Quid potiſſimum de ſupremo Cœlo ſentiatur.* ibid.
§. 2. *An plura corpora poſſint eundem locum occupare.* 223
§. 3. *An poſſit corpus pluribus in locis diſtantibus, & adæquatis collocari.* 226
§. 4. *Epilogus breuem deciſionem continens.* 229
Caput XXXV. De vacuo. 231
§. 1. *An ſit, & quid ſit.* ibid.
§. 2. *Ad nouas quaſdam experientias reſpondetur.* 233
§. 3. *Qua virtute impediatur, ne fiat vacuum.* 235
§. 4. *An in vacuo, ſi daretur, motus localis fieri poſſit, iſque ſucceſſiue.* 236
Caput XXXVI. De Tempore. 237
§. 1. *An ſit, & quid ſit ſecundum veteres.* ibid.
§. 2. *Dubia quædam ſoluuntur.* 239
§. 3. *Quomodo tempus à motu differat.* 241
§. 4. *Platonica de tempore ſententia declaratur.* 243

Digreſſio Platonica VII. ibid.
§. 5. *Quotuplex ſit tempus, & qualis eius diuiſio.* 248
Caput XXXVII. De iis quæ ſunt in tempore. 250
§. 1. *Quæſtionis reſolutio.* ibid.
§. 2. *Soluuntur obiecta.* 251
Caput XXXVIII. De Æternitate & æuo. 254
§. 1. *Quid ſit Æternitas.* ibid.
§. 2. *De æuo, eiuſque diſtinctione à tempore.* 256
Caput XXXIX. De continuo an habeat partes, & quomodo. 261
§. 1. *Status quæſtionis exponitur.* ibid.
§. 2. *Quæſtionis deciſio.* 262
§. 3. *Soluuntur obiectiones contra primam concluſionem.* 264
§. 4. *Soluuntur obiectiones contra ſecundam concluſionem.* 265
Caput XL. An continuum conſtet indiuiſibilibus. 266
§. 1. *Sententia negans explicatur.* ibid.
§. 2. *Affirmans ſententia declaratur.* 270
§. 3. *Quomodo difficultas poſſit, ac debeat expediri.* 273
§. 4. *Soluuntur argumenta.* 277
Caput XLI. De motu an ſit, & quid ſit. 278
§. 1. *Exponitur definitio motus.* ibid.
§. 2. *Quomodo ſe habeat motus ad actionem & paſſionem.* 281
§. 3. *Vtrum motui eſſentialiter competat ſucceſſio.* 282
Caput XLII. De terminis motûs. 285
§. 1. *Quid ſint & quot ſint termini motûs.* ibid.
§. 2. *Obiecta diluuntur.* 286
§. 3. *An & quomodo motus ſpecificentur à terminis.* 288
§. 4. *Quomodo motus à termino ad quem diſtinguatur.* 290
Caput XLIII. De mobili. 292
§. 1. *Vtrum omnis motus recipiatur in mobili.* ibid.
§. 2. *Vtrum idem poſſit motibus oppoſitis ſimul moueri.* 293
Caput XLIV. De diuiſione & oppoſitione motus. 295
§. 1. *Quotuplex ſit motus.* ibid.
§. 2. *De oppoſitione motuum.* 297
Caput XLV. De vnitate & continuitate motus. 300
§. 1. *Vnde vnitatem numericam ſortiatur.* ibid.
§. 2. *De continuitate motus.* 301
§. 3. *Quomodo motus incipiant & deſinant.* 304
Caput XLVI. De qualitatibus motus. 307
§. 1. *De velocitate & tarditate motus.* ibid.
§. 2. *De uniformitate & irregularitate.* 308
Caput XLVII. De mouente. 309
§. 1. *An quod mouetur, diſtinguatur à mouente.* ibid.
§. 2. *Solutio quæſtionis.* 310
§. 3. *Soluuntur obiecta.* 312

Caput XLVIII. De motu elementorum. 313
§. 1. *Explicatur & reſoluitur quæſtio.* ibid.
§. 2. *Soluuntur obiectiones.* 316
Caput XLIX. De motu proiectorum. 318
§. 1. *Explicatur & reſoluitur quæſtio.* ibid.
§. 2. *Deciſio quæſtionis.* 320
§. 3. *Soluuntur obiecta.* 322
Caput L. De primo motore. 323
§. 1. *An ex motu demonſtrari queat primus motor immobilis.* ibid.
§. 2. *Quatenus ex motu queat Deus demonſtrari.* 325
§. 3. *Synopſis præcipuarum demonſtrationum, quibus Philoſophi mens ad ipſum naturæ authorem aſcendere valeat.* 328

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Fine

MOL 2007108